

Palmigenius in scorpio

Heu quot habet mors sæua uias artes quoque [illegible]
Quo magis esse procul credis, magis imminet
Certius est quam mors, quam mors in certius [illegible]

Ex libris Henrici Samuelis Wolff

CONCIONES FVNEBRES CENTVM EX VETERE, ET OCTOGINTA EX nouo Testamento.

Rectè pieq; viuere, & bene feliciterq; mori volentibus, vtiles, iucundæ, & necessariæ,

A

M. IOANNE BRANDMILLERO HAbitæ & conscriptæ,

Cum rerum & verborum memorabilium copiosissimo Indice.

1589.

AETATIS HOMINIS NVMERVS EST, VT multum, centum annorum: aut, vt sit bona valetudo, octoginta: quorum tamen potissima pars labores sunt & incommoda. Ecclesiast. 18. Psal. 90.

BASILEAE,
APVD PETRVM PERNAM.
M. D. LXXII.

KNIHOVNA KÓRNICKÁ PAN
BIBLIOTEKA

13874

139 a 1980

GENERIS NOBILITATE, PRVDENTIA, & eruditione clarissimis viris, D. IOAN. CONRADO ab VLMA, *illustrissimi Principis Caroli Marchionis Badensis, &c. Consiliario, & Rœtelensis ditionis Præfecto vigilantissimo:*

NEC NON D. CASPARO *HERVAGIO, V. I.* Doctori consultissimo, eiusdem illustriss. Principis Consiliario, & ditionis Rœtelensis archigrammateo & cancellario, dominis suis plurimum obseruandis, gratiam & pacem à Deo patre per Iesum Christum Dominum nostrum.

NUNC esse tempora extrema, nouissimũque diem instare, viri ornatissimi, testantur & probant non

solùm tot & tam illustria signa, quæ Christus ipse prædixit ventura ante suum vltimum aduentum: verùm etiam clarissima & indubitata testimonia sanctorum Apostolorum, & seruorum Iesu Christi Domini & seruatoris nostri. Sic enim D. Paulus in 1. *ad Corinth.* 10. *scribit: Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis: scripta verò sunt propter admonitionem nostri, in quos τὰ τέλη τῶν αἰώνων, hoc est, extrema seculorum, seu termini ætatum, inciderunt. Item ad Hebr. primo: Extremis diebus hisce loquutus est nobis Deus per filium. Et Petrus: Porrò rerum omnium finis imminet. Et Ioan. Filioli, ἐσχάτη ὥρα ἐστὶ. i. nouissimum tempus est. Item Iacobus: Ecce iudex ante ianuam astitit.*

Qualia aũt futura sint extrema tẽpora, indicarunt ijdẽ Apostoli: & Christus do-

stus dominus ante illos satis declarauit his verbis: Sicut accidit in diebus Noe, ita erit in diebus filij hominis: Edebant, bibebant, vxores ducebant, & dabantur nuptum ad eum vsq; diem, quo intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, et perdidit omnes. Consimiliter etiam sicut accidit in diebus Loth, edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant. Cæterũ quo die exijt Loth è Sodomis, pluit igni & sulphure de cœlo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit dies, quo filius hominis reuelatur. Item, Quoniã abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Hinc Apostolus 1. Timoth. 4. Spiritus autem certò loquitur, quòd in posterioribus temporibus descisscent quidam à fide, attendentes spiritib. impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum per simulationem falsilo-

quorum, cauterio notatam habentiũ conſcientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus, &c. Item 2. Tim. tertio: Illud autem ſcito, quòd in extremis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt enim homines ſui amãtes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, neſcij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quàm amantes Dei, habentes formam pietatis, ſed qui vim eius abnegarint: adde & illuſores (teſtantib. Petro et Iuda,) qui iuxta proprias concupiſcentias ambulant, et dicunt: Vbi eſt pollicitatio aduentus eius? Siquidem ex quo die patres obdormierunt,

mierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis.

Audiamus quoq; si placet, D. Ioan. Chrysost. (aureum illud os) quid loquutus sit ante uoo. annos, (vt legere est in lib. 1. de compunctione cordis) de moribus sui seculi: & videamus an non et nos cum nostra vita ac moribus iisdem planè colorib. depingi mereamur. Lugendum, inquit, est, & verè lugendum præsentis vitæ tempus, in quo tantam malorum labem, tantaq; quotidie videmus flagitia cumulari, quæ si velis considerare per singula, nunquam poteris à lachrymis temperare. Sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta resoluta, vt ne vestigium quidem virtutis unq; videas: nequitia verò & luxuria repleta esse cuncta perspicias, & quod est infelicius, perurgentium nos malorum iam nec ipsi sensum capimus, nec alijs

præbemus, nec alios monemus, sed sumus velut corpus extrinsecus quidem indumentis adornatum, intrinsecus verò tabe pessimi languoris absumptum: & contingit nobis quod illis solet accidere, qui vel phrenesin patiuntur, vel mente capti sunt, à quibus cum multa turpia & periculosa vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pudoris tamen aliquid, nec pœnitudinis capiunt: quin imò & magnifici sibi, ac sapientiores sanis videntur & sapientibus. Ita ergo & nos, cum omnia quæ sanitati cõtraria sunt geramus, nec hoc ipsum quidem quod deest nobis sanitatem nominamus. At enim si fortè in corpore parum aliquid morbi pulsaverit, statim & medicos adhibemus, et pecuniã profundimus, & omni obseruantia quod competit, gerimus, nec prius cessatur, quàm quæ molesta sunt mitigentur.

gentur. Anima verò cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, vratur, præcipitetur, & modis omnib. pereat, ne parua quidem pro ea nos cura solicitat. Sed horum omnium causa illa est, quòd omnes pariter hic morbus obtinuit, & tanquã si accidat, multis sub vno morbo languentibus præsto esse neminem sanum, certum est quòd omnes pariter corrumpat, & absumat incuria, dum nemo est qui vel oportuna præbeat, & importuna prohibeat: ita & in nobis dum nemo sanus est, sed omnes languemus, alij maiore, alij minore ex parte, nemo est qui curet. omnes enim indigent cura. Etenim si extrinsecus vndecunq; adesset, & præceptorum Christi, ac nostræ conuersationis confusionem, ac perturbationem videret, nescio si alios magis vllos quàm nos inimicos esse, & contrarios præce-

ptorum Christi iudicaret: & quasi qui studiũ quoddam habuerimus, contraria in omnibus gerere quàm ille mandauit. Sed ne quis fortè putet exaggerationis causa à nobis hæc verba proferri, probamenta iam nunc adhibeo, nõ aliunde quàm ex ipsis Christi mandatis. Quid enim dicit Christus? Dictum est antiquis: Non occides: ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio. Qui autem fratri ſuo dixerit Rhaca, reus erit concilio: qui autẽ fratri ſuo fatue dixerit, reus erit gehennæ ignis. Hæc quidẽ Christus: nos autem plus quàm increduli & infideles calcamus hanc legem, & quotidie innumeris iniurijs fratres noſtros afficimus, &c.

Hæc cum ita ſint, videtur ſummè neceſſarium atq; conuenicns eſſe hodierno die, proponere mundo, tractare, legere, & ſæpe

& sæpe cogitare ea, quæ solent plerunque tractari ac dici in funebribus concionib. Non enim incommode, neq; ineptè referri possunt ea quæ scripta sũt, et dicta de summo cuiusq; die, ad illa quæ extant de extremo totius mũdi die, et vice versa. Ac si iustum est, vt quisq; se præparet ad mortẽ corporis sui: multò iustius est, vt se quoq; paret ad nouissimum diem et consummationẽ seculi: quo die omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt reportet vnusquisq; ea quæ fiũt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Non minus item iustũ fuerit, considerare nos inuicem (vt Heb. 10. legimus) εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης, καὶ καλῶν ἔργων, ac non deserere aggregationem nostri mutuã, sicuti mos est nonnullis, sed adhortari inuicem, idq; hoc magis, quòd videmus appropinquantem diem.

Cæterùm quænam illa potiſsimum ſunt, quæ in orationib. funebribus vtiliter docentur, omnib. diſcipulis Chriſti non negligentib. eſt notum, idq; ex illis ipſis orationib. quas tùm in eccleſia audiunt (tẽpore peſtis maximè, et aliàs) tũ in libris domi legunt. Eadem quoq; videre licebit ex illis meis oratiunculis: quas quidem primùm ſcripſi in meum vſum, et ad iuuandã memoriam meã: deinde aũt perſuaſus ſum à multis miniſtris verbi & fratrib. in domino dilectis, vt illas quoq; aliis communicarem. Hoc aũt malui hactenus ad aliquot annos differre et procraſtinare, quàm ſtatim illis annuere: propterea quòd probè ſciam iſtas conciones non eſſe ita benè, doctè, ſcitè, artificioſè cõpoſitas, ornatas et diſtinctas, vt ſatisfacere poſſint acri & limato iudicio virorum literatorũ noſtro tẽpore, præſertim eorũ, qui plus habent

habeni φιλαυτίας quàm φιλαδελφίας. Attamen nihilominus tandē volui gratificari fratrib. et iuxta eorum petitionem has conciunculas, nō eruditas atq; politas, sed rudes et simplices emittere: idq; tanto confidētius, q̄ nihil in illis continetur et dicitur, quod non sit dictum prius ab aliis, et scriptū à doctiss. et probatiss. doctoribus ecclesiæ: adeo vt conciones et explicationes illæ locorū scripturæ sacræ nō sint tā meæ, q̄ aliorum. Neq; n. me pudet confiteri legisse me et collegisse ea quæ hîc scripsi, ex aliis me longe doctiorib. atq; audiuisse et didicisse à meis fidelib. præceptorib. Etenim probè memor sum illius Basil. Mag. ad Gregor. theol. dicentis: Neq; verò addiscendū verecundū esse oportet, nec ad docendum malignū: quod ab alio tute didiceris, nequaq̄ clam habendum, etc. Sed si qui sint, quib. non placebunt ex

plicationes nostræ, his tamẽ sperò non ingratũ fore, quòd collegi tot locos scripturæ, seu themata ex vtroq; testamento (nimirũ 200.) quæ commodè et aptè in sepulturis vita defunctorũ explicari debẽt et possunt. Credite.n. mihi, sunt nonnulli concionatores, qui aliquando non minus laborãt in quærendo et inueniendo aliquo textu cõueniente rei præsenti, q̃ in disponendo et exponendo eo. Cœpi aũt eligere et sumere themata ex 1. lib. Mosis, et ab hoc pergens secundum ordinem sacrorum librorum, tandem perueni ad Apocalyp. S. Ioan. in qua præ cæteris epistolæ illius ad 7. ecclesias, quæ sũt in Asia, scriptæ et missæ, videtur nostris temporib. valde vtiles et necessariæ. Vtinam secundum illas ita cer temus in vita præsenti, quæ militia est, vt tandẽ in Christo Iesu vincamus, ab ipso coronemur, et cũ ipso in æternum

ternũ viuamus, Amen. Adiunxi in fine cõcionum Indicem, qui quidẽ non paginas indicat, sed conciones, q̃ continẽt res, ac verba obseruatione digna: cũ sint cõciones breues, seu potius, vt verius dicã, concionum epitomæ: quæ tamẽ facile dilatari poßunt, et occasionem p̃bere cuilibet copioßius eaßdem exponendi.

Porrò cogitanti mihi, ei quærenti cui nã, pro more aliorum scriptorũ, consecrare ac dedicare vellẽ hunc librũ concionũ funebrium, occurristis vos viri ornatiss. et prudentiss. non q̃ hic liber sit vestra prudẽtia et doctrina dignus, sed q̃ sub præfectura, ab illustriss. principe et domino, domino Carolo Marchione Badenßi, etc. vestræ fidei et prudẽtiæ cõmißa, non pauci sint p̃cones verbi diuini, quib. liber ille gratus erit, vt quẽ iã dudum libenter et vidißent et habuißent: nunc aũt multo gratior: reliqs for-

tè nõ ingratus, si vos habuerit patronos. Adde, quòd ambo vos domini mei praestantiss. estis nostri vicini. Vicinos autem decet esse amicos, testante ipsa Sapientia, Eccl. 25. Amicitiam autẽ nostram & charitatẽ hac etiam ratione & seruari & crescere posse, haud existimo aliquem vocaturum in dubium. Ad extremum verò rogo vestras donationes, vt amicè in bonam partem interpretari velint hoc meum institutum, quòd ad illas meum tenue Opusculum dare ausus sim: illarum gratia libenter facturus plura & maiora, data occasione, si quidem potuero. Valete. Basileæ. Calend. Nouemb. Anno M. D. LXXI.

Ioannes Brandmillerus
Biberacensis.

CONCIO I.

THEMA EX CAPITE II. Geneſis.



VLIT *dominus Deus hominem, et poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum: præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.*

EXPLICATIO.

I

AD quid conditus atq; conſtitutus ſit homo à Domino Deo, primùm oſtendit Moſes his verbis, nempe non ad perditionem, miſeriam, mortem, ſed ad hoc vt ſit, vt felicitatem habeat, & viuat: idque fecit benignus, & gratia dilectioneque plenus Dominus, ſine vllo merito hominis: ac tulit eum & poſuit in paradiſum voluptatis (in cuius medio lignum vitæ eſt, Apoca. 2.) vt operaretur (id eſt, coleret eũ:

nam ocium Deo inuisum est. Fuit autem ille cultus dissimilis ei, qui contractam culpam consecutus est) & custodiret illum (à bestijs: quarum imperium tenebat, sicut & reliquarum creaturarum, Sap. 9. hæc custodia etiam in eo cõsistere debuerat, vt seruata iustitia per vitationem arboris veritæ mansisset in paradiso cum suis posteris, quibus paradisum non præstitit, sed perdidit.) præcepitque ei (agnoscere enim debuit homo Deum pro Domino & creatore suo, qui potestatem habuit ei præcipiendi & prohibendi: cui homo meritò obedientiam præstare debuisset.) dicens, Ex omni ligno paradisi comedendo comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Miretur autem quispiam cur arborem illam, sine dubio bonam (quicquid enim creauit Deus, bonum est, 1. Timoth. 4.) Dominus prohibuerit homini. Potuisset namque itadicere Adam: Quid est illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est, quid facit in paradiso? Ad hanc quæstionem ita respondetur in Sermone 34. Augustini de verbis Domini: Prorsus ideo est in paradiso, quia bona est, sed nolo eam tangas. Quare? Quia obedientẽ tevolo, non contradicentẽ: quia Dominus sum, & tu seruus: et, quia obediẽtia melior. Nõ potuit Deus perfectius demonstrare, quantum bonum sit obedientia (de cuius commendatione

legitur

legitur etiam 1. Samu. 15.) nisi cum prohibuisset ab ea re, quæ non erat mala. Ideo autem arbor illa appellata est scientię dinoscendi boni & mali, non quia inde talia quasi poma põdebant: sed quia homo qui nollet bonum à malo discernere per præceptum, discreturus erat per experimentum, vt tangendo vetitũ inueniret supplicium.

2 Secundò in prælectis verbis Moses demõstrat, quò homo peruenturus sit, & proh dolor tandem peruenerit transgrediendo præceptum Domini & conditoris sui, nempe in mortem. Sic enim iustus & verax Deus minatus est ac dixit: Quocunque enim die comederis ex eo, moriendo morieris, hoc est, certissimè morieris: innocentiam vitæ amittes, & sentẽtiam accipies, mortalem posthac te futurum. Per peccatum igitur Adam introduxit mortem in mundum, qui ex eo natus est, (vnde Sapiens illum πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου appellat, Sap. 10.) adeoque mortalis, qualis Adam statim factus est à peccato, propter quod & mox ad mortem currere cœpit. Quemadmodum enim in humanis iudicijs, quando quis sententia lata vt capite mulcetur, iterum in carcerem conijcitur, licet tibi multo tempore agat, nihilo melius tamen habet defunctis & mortuis, vtpote iam per sententiam mortuus: eodem modo & A.

damus ab eo die, à quo mortalitatis sententiam accepit & audiuit, Terra es, & in terram abibis, tametsi multos annos vixerit, nihilominus sententia mortuus erat, & rei natura: quippe qui seipsum supplicio facit obnoxiũ, sub supplicio est, si non re, tamen sententia.

3 Porrò sicut homini mors illata fuit per incredulitatem, ex qua inobedientia orta est: sic eidem vita restituitur per fidem & obedientiam erga verbum, quod caro factum est, quę caro pro nobis fuit affixa ligno crucis, quod immortalitatem introduxit. Ita enim Iohan. inquit: Qui credit filio, habet vitam æternã, & Christus ipse, Ioan. 8. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Sermonem Meum, inquit filius Dei, quod notandum est. Nam sicut cibus mortifer, hoc est, venenum, quod homini mortem attulit, mendax serpẽtis sermo fuit, qui sermo in homine inobedientiam genuit: sic cibus vitalis, sermo verax Christi est, gignens in homine fidei obedientiam. Si quis ederit ex hoc cibo, viuet in æternum, Iohannis sexto. Pater noster cœlestis det nobis hunc cibum vitæ, panemque verum de cœlo,

Amen.

CON-

CONCIO SECVNDA.

Genesis 3.

IN *sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

I

SÆpius recordari, vnde & quid simus: itē quid futuri simus, mirū in modum prodest homini, non solùm ad rectè instituendam suam vitam, sed etiam ad consolatione permulcendam in omni afflictione suam animá. Vnde Bernhar. inquit: Vide vnde veneris & erubesce: vbi es, & ingemisce: quo vadis, & contremisce. Qui enim credit se ex terra seu puluere formatum, atque adeo terram & puluerem esse, is seipsum non extollet, proximumq́ue suum non despiciet. Scriptum est enim in Siracida capite decimo, τί ὑπέρη φανεύεται γῆ καὶ σποδός, hoc est, Quid terra superbit & cinis? & iterum in Sapient. capite septimo, οὐδεὶς γὰρ βασιλεὺς ἑτέραν ἔσχεν γενέσεως ἀρχὴν. μία δὲ πάντων εἴσοδος εἰς τὸν βίον, ἔξοδός τε ἴση. id est, Nullus enim rex aliud habuit nascendi primordium, estq́ue vnus omnium in

vitam ingressus, & idem exitus. Cum ergo omnes simus ὁμοιοπαθεῖς & conterranei: cur in nos inuicem odium habemus? an non similitudo mater est amicitiæ? Cur carnem nostram despicimus? nónne insania est suam carnem deuorare? Quid enim aliud faciunt insani & dæmone pleni (dicit Chrysostom. libro primo de Comp.cor.) nisi membra sua morsibus laniant?

3 Qui autem credit sibi & omnibus hominibus reuertendum esse in terram, idque breui, facilius feret dolores & miserias vitæ huius (sunt enim habituræ finem.) mitius quoque deplorabit redeuntes in terram, quia Deus ita statuit, & fieri voluit. Vnde Iosua Sirachi filius capite quadragesimoprimo: O mors (inquit) quàm bonum est iudicium tuum homini indigenti, effœtis viribus decrepito, vndique districto, desperanti, patientia que destituto? Noli metuere iudicium mortis: memento & maiores & minores tuos: quod cum ita sit à Domino omnibus animátibus fatale, cur quod Supremo placet, recusas? Fiat autem ἐν πάσχει & illa voluntas Dei, de qua filius eius Iohan. sexto, Hæc est voluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die,

Amen.

CON-

CONCIO TERTIA.

Genesis 5.

VIXit autem Adam centum triginta annis: & genuit filiũ ad similitudinẽ & imaginem suam, vocauitq; nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitq; filios & filias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.

I

DE vita Adami primi nostri patris legimus hic, quàm longa ea fuerit, seu potius quàm breuis & caduca: quoniam mille anni ante oculos Domini, tanquã dies hesterna quæ præterijt, & sicut vigilia nocturna, Psalm. 90. 2. Pet. 3. Nullus autem mortalium vnquã mille annos vixit. Omne namque tempus (ait Moses) quod vixit Adam, anni nongenti triginta. Causas tam longæ ætatis alij alias referunt, quas partim ex vigore corporum ac temperie, partim ex victu, partim ex commodis terræ nondum diluuio corruptæ fructibus, partim ex moderata, eademque sera venere colligunt. Nec parum profuit

tum tam longa ætas mundo. Nam in tanta raritate hominum vtilis fuit ad augendam multiplicandamque sobolem, & ad inueniendas artes atque disciplinas, tum ad cultum ingeniorum, tum ad varium vitæ vsum vtiles. Potest & hæc vna fuisse causarum tam longæ vitæ, quòd olim malitia tanta nondũ fuit, quanta est hodie. Creuit enim malum ab initio satum. Hinc Genes. 6. Eruntq; dies hominis 120. annorum. & Psal. 55. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. item Prouerbior. 10. Anni impiorum breuiabuntur. & Sirac. 37. Propter insatiabilitatem multi obierunt. Sed & Dei iustitiæ, æquitatis ac bonitatis esse videtur, ijs longiorẽ tribuere vitam, qui diu resurrectionem à mortuis expectare coguntur, quàm illis, quibus non amplius ita diu illa quidem expectanda est.

2 De generatione Adami legimus, quòd anno ætatis suæ 130. genuerit filium nomine Seth (quia posuit ei Dominus illum pro Abel, quem occiderat Cain) idque ad similitudinem & imaginem suam. Qualis enim terrenus, tales & hi qui terreni sunt. quod enim natum est ex carne, caro est: vt contrà, qualis ille cœlestis (id est, secundus homo, ipse Dominus de cœlo) tales & ij qui cœlestes sunt. Quod enim natum est ex spiritu, spiritus est, 1. Corinth. 15. Ioan. 3. Videamus ergo cuius imaginem

maginem gestemus, quique affectus sit in nobis, Christi ne seu noui hominis, aut veteris hominis, siue Adami. Postquam autem genuit Adamus Sethum, vixit adhuc (& quidem sic vt plures genuerit filios et filias) 800. annis: annis, inquam, quos solis conuersio conficit. Hallucinantur enim qui alios annos, vt lunares, bimestres aut trimestres intelligunt.

3 De morte Adami breuiter dicitur, וימת Et mortuus est. Ne ergo timeamus mortis fatum, sed meminerimus priorum nostrorum & vltimorum, vt Sapiens monet Eccles. 41. Hoc enim iudicium omni carni à Domino. ἡ γὰρ διαθήκη ἀπ' αἰῶνος θανάτῳ ἀποθανῇ. Eccles. 14. Quandoquidē per vnum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors. Vide autem Dei veritatem & iustitiam. Moritur enim Adam, quia Dominus prædixit eum moriturum, in quocunque die comederet de ligno vetito. Cœpit igitur eo die, quo peccauit, mori spiritualiter, separando se & fugiendo à Deo (qui est vita hominis & longitudo dierum eius, Deutero. 30.) per peccatum, & corporaliter, id est currere ad mortem, quæ dissolutio naturæ, siue animæ & corporis est. Quid enim aliud est vita nostra à lapsu Adami, quàm cursus ad mortem? Hinc Gregorius in Registro eam nauiganti

similem esse dicit. Is nanq; qui nauigat, stet, sedeat, iaceat, vadatque, impulsu nauis ducitur. Ita ergo & nos sumus: quia siue vigilantes, siue dormientes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes, per momenta temporum, quotidie ad finem ducimur: &, vt Seneca dicit Epist. 24. quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Sed Deo gratia, qui dedit nobis Mortis quem infernus sequitur, victoriam, per dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

CONCIO QVARTA.

Genesis 23.

Vixit autem Sara centum viginti septem annis, et mortua est in ciuitate Arbea, quæ est Hebron in terra Chanaan. venitq; Abraham vt plangeret & fleret eam. Cumq; surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens, Aduena sum & peregrinus apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum, &c.

Ex-

1 Ex morte Saræ, cuius filiæ sunt fideles vxores (1. Petri 3.) discimus, quàm verum sit illud Hebre. 9. de conditione hominum: quoniam omnibus moriendum est semel. Si enim tam sanctæ ac iustæ mulieri (quæ ita mũda & innocens fuit viginti annorum existẽs, sicut cum fuerat 7. annorum tantùm: & ita pulchra, 100. annorum, sicut. 20. vt Hebrei numeros exponentes mysticè dicunt.) mors nõ pepercit, profecto nec alijs mulierib. parcet. Sed quemadmodum Saræ, mors nihil nocuit, quia credidit, Heb. 11. sic etiam non morietur in æternum, qnicunque Christo crediderit, Ioh 2. 11. Sara mortua est in Kiriath Arba, id est, in ciuitate quatuor: vbi quatuor patriarchæ Adam, Abraham, Isaac et Iacob cum vxoribus suis sepulti sunt, Ios. decimoquarto. Genes. 49. Ac per mortem Saræ designatur mors cuiuslibet bonæ personæ: quia boni moriuntur in quatuor virtutum moralũ perfectione, vt quidam scribit. Imò bonus ac fidelis in Domino moritur, qui perfectio legis est ad iustificationem omni credenti: quique factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaque & sanctificatio & redemptio. Rom. decimo .. Corin. 1. Beatus ergo mortuus, qui in Domino moritur amodo, Apocal. decimo quarto.

2 Ex luctu quem Abrahamus, qui pater est

omnium credentium (Roman. 4.) habuit ob vxorem mortuam, discimus naturalem affectionem Deo etiá placere in suis sanctis: modò regulam fidei non obliuiscantur, de qua Paulus primo Thess. 4. Cæterum nolo ignorare vos fratres de his qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes spem, Quam obseruasse Abrahamum indicant illa verba: Deinde omisso defuncto suo, Hethęos his verbis conuenit, &c.

3 Ex sepultura Sarę duo notanda. Vnum est, morruis honorem sepulturæ dandum esse. Hoc enim natura ipsa docet, & fides resurrectionis corporum. Alterum est, nos omnes in hac terra peregrinos & aduenas esse: id quod non omnes credunt: sed Abraham cũ cum suis liberis idipsum & credidit & confessus est, Hebr. vndecimo. Dixit enim: Ego sum peregrinus & aduena inter vos: tribuite mihi apud vos possessionem sepulturæ & cæt. Non igitur vel tantum spacij in terra habuit, quantum sufficeret sepulturæ mortui. Siquidem spe futurorum despiciebat præsentia, vt expectatione maiorum bonorum minus curabat ea quæ in præsenti vita sunt. Nos qui sub gratia, eum qui ante legem imitemur iuxta illud Esa. 51. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ pepe rit vos: vt quando moriendum nobis fuerit, depor-

deportemur quoque ab angelis in sinum Abrahæ,& cum eo accumbamus in regno cœlorum:quod vtinam nobis omnibus contingat in Christo Iesu,Amen.

CONCIO QVINTA.

Genesis 25.

ABRaham genuit Isaac, qui cũ 40.esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis. Deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eoq; esset sterilis. Qui exaudiuit eum,et dedit conceptum Rebeccæ:sed collidebantur in vtero eius paruuli. Quæ ait: Si sic mihi futurũ erat, quid necesse fuit concipere? perrexitq; Rebecca vt consuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo,& duo populi ex ventre tuo diuidẽtur,populusq; populum superabit,& maior seruiet minori. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui primus egressus est,rufus erat, & totus in morẽ pellis hispidus:

vocatumq́, est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli. Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eoq́ de venationibus illius vescebatur, & Rebecca diligebat Iacob. Coxit autem Iacob pulmentum, ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait, Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita, & sic accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt, paruipẽdensq́ primogenita vendidisset.

1 Etsi in hac enarratione multa sunt obseruatione digna: nos tamen tantùm tria illa in præsentia tractabimus, quæ pertinent ad considerationem miseriæ humanæ, quę subsecuta est lapsum primorum parentum, dè qua Genes. 3. primùm de dolore mulierum præ-

gnan-

gnantium & parientium. deinde de labore verorum in comparando victu: tum de morte.

Nam de vxore Isaaci legitur: Concepitq; Rebecca, & collidebant se filii intra ipsam: vnde & dixit, Si sic, vt quid ego? hoc est vt Gerundensis interpretatur: Si sic mihi futurum erat, vt quid viuo in mundo, & non potius morior: vel quid necesse fuit concipere, vt Vetus interpres habet. Si autem tempus illud, quo in vtero fœtus fertur, tam plenum molestia & cruciatu est, vt præ illo nonnunquam potior ducatur mors, quantum esse putamus ipsum parturiendi laborem? Sed hoc sæpe cũ periculo vitæ fieri, experientia docet. Quid ergo hîc agendum? Rebecca cõsuluit Dominum: Hunc igitur & nos omnes fide accedamus, vt consolationem & salutem consequamur. Saluę enim fiunt, inquit Apostolus 1. Timoth. 2. mulieres per generationem liberorũm, si manserint in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate.

2 De Esau legimus, quòd fuerit venator agricola, & lassus ex venádi studio. Laborem enim manuum suarum comedit homo in terra hac. Est enim natus ad laborem, teste etiã Iobo.

3 De eodem denique dicitur, quòd respon derit Iacobo fratri suo: En ego iam iamque emorior, quo mihi istam prærogatiuam? Ex

quibus verbis discimus, memoriam mortis efficere, vt omnia contemnamus. vtinam igitur omnes auari sæpe mortis recordarentur. Est tamẽ diligenter videndum & cauendum, ne dona Dei ab ipso nobis concessa & data negligamus, & propter cupiditatem cibi nos ipsos cum Esau honore nostro priuemus: & ne magna propter parua perdamus, neq; momentanea perpetuis præferamus: & ob id etiam audire tandem cogamur quod diues ille Luc. 16. Fili recordare, quòd receperis bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nũc autem hîc solatio fruitur, tu verò cruciaris. Auerruncet dominus Deus à nobis æternũ illum cruciatum per Christum Iesum Amen.

CONCIO SEXTA.

Genesis 27.

SENVIT autem Isaac & caligauerunt oculi eius, & videre nõ poterat, vocauitq; Esau filium suum maiorem & dixit ei: Fili mi. Qui respondit: Adsum. Cui pater, Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua pharetram & arcum, & egredere foras. Cumq; venatu aliquid apprehenderis fac

fac mihi inde pulmentum, sicut me velle nosti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar, &c.

1

MIseriam præsentis vitæ cernere licet in hisce verbis. Isaac enim senescit, viribus deficit, morti appropinquat, diem mortis suæ ignorat, id est, vitam ærumnosam, breuem & incertam ducit. Si ergo iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator? Prouerb. 11. Timeat igitur peccator, peccatumq; odio habeat, quia id etiam in fidelibus punitur, vt scilicet se peccato obnoxios esse intelligant, & ad Dei misericordiam confugiant. Ne metuat autem pius, si in terra patitur: neq; enim ideo â Deo derelictus est. Nam vt Isaaci Deus est Dominus omnipotens, ita omnium filiorum Abrahami: qui ne quaquam morientur in æternum, sed viuent.

2 Discant hîc patresfamiliâs prudentiam exemplo Isaaci, qui (sicut & pater eius, Gen. 25.) ne discordia inter posteros oriretur ab obitu suo, dum vixit res suas composuit. Hoc faciendum Ezechiæ Dominus quoque dixit, Esa. 38.

3 Discant etiam liberi morem gerere parentum voluntati ante mortem: imò omnes bene facere debemus nobis mutuo dum viui

mus, vt est in Siracida scriptum cap. 14. Nam vniuersi nos ignoramus tempus nostræ mortis, vt & Isaac de se fatetur, ac se quotidie mortem expectare dicit. Dominus Iesus adsit nobis in hora mortis Amen.

CONCIO SEPTIMA.

Genesis 35.

ET profecti sunt de Bethel, & erat adhuc ferè miliare ad terram quæ ducit Ephratam: in quâ cũ parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixit q. ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima ipsius, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui, Benoni, id est, filius doloris mei. Pater verò appellauit eum Beniamin, id est, filius dexteræ. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Erexit q. Iacob titulum super sepulchrum eius, Hic est titulus momenti Rachel, vsq. in præsentem diem.

1 Vetus esse iudicium Dei super homines, multa

multa pati, & tandem mori, præsertim supe-
mulieres, testatur hæc de Rachele etiam hi-
storia: nec non ista quæ habetur primo Reg.
4. de vxore Phineh es filij Eli; & caput Genes-
tertium. In tantam enim vxor illa beati pa-
triarchæ Iacobi peregrinantis in Chananæa
cum suis, difficultatem partus incidit, vt ami
serit vitam. Quare autem hoc fit, vt mulieres
in partu tantum ferre dolorem cogantur, vt
nonnunquâ moriantur? Propter peccatum
in primis. Est igitur hoc odio habendũ. Dein
de, vt cæteræ mulieres audientes eiusmodi ca
sus, se corrigant, & ad mortẽ, abnegatis mun-
danis concupiscentijs præparent, cogitan-
tes sibi idem posse accidere, Luc. 13. Quærant
igitur animæ suæ (quæ de corpore tanquam
domo lutea in morte egreditur) aliud domi-
cilium, hoc est regnũ Dei, quod est æternum.
2 Quid obstetrix Racheli periclitanti in par
tu dixit? & quid ipsa Rachel de suo filio? Illa
Noli timere inquit, quia & hunc habebis fi-
lium, id est, marem imaginem Dei, & generi
sacro nomen tribuentem. De gaudio hoc ob
natam videlicet prolem Christus quoque lo-
quitur, Ioan. 16. Sed morituris summa conso-
latio hæc esse debet, quod is filius, qui nunc
est ad dexteram patris, de quo Esa. 9. Luc. 2.
natus est nobis: propter cuius natiuitatem Si
meõ nõ amplius timuit, sed desiderauit mor-

tem. Hæc verò suum filium Benoni vocauit, quem pater postea Beniamin appellauit: vna parte contristatus ex morte charissimę coniugis: altera magis cõsolatus, filio generato. De posito typo, intelligitur, quæ sors sit ecclesiæ parturientis (Galat. 4.) & liberorum magno labore ex vtero in lucem editorum. Hi primò filij doloris appellantur, deinde filij dexteræ ad dexteram regis gloriæ peragrata via crucis collocandi.

3 De sepultura Rachelis scribit Moses, quòd in via, quæ ducit Ephratam, quæ est Bethlehem in tribu Iudæa, vbi natus est Christus, sepulta sit honorificè. Nec enim contemnenda sunt corpora defunctorum, inquit Augustin. lib. primo de Ciuitate Dei cap. 13. & maximè fidelium, quibus tanquam organis ad bona opera vsus est Spiritus sanctus: præsertim cùm sint resurrectura. Nec improbantur tituli sepulchrorũ, qui charitatis monumenta quidem sunt, sed viuorum: tantę scilicet posteritatis matrem noto loco sepultam volebat. Nec legitur aliquando honoratus sepulturæ locus, multo minus ossa defunctorum: nisi tempore Christi, quando cum cæteris superstitionib. etiam occisorum prophetarum sepulchra ornabantur. Porrò si exanimis hominum corporibus, multo magis viuentibus & sentientibus, misericordia ac eleemõsyna præ-

præstanda est: p̃sertim si audire velimus dulcissimam illam vocem in die iudicij, de qua Math. 25. Venite benedicti patris mei, &c. Quam vtinam nos omnes quoq; audiamus, Amen.

CONCIO OCTAVA.

Genesis 47.

INterrogatus Iacob à Pharaone, Quot sunt dies annorũ vitæ tuæ? respondit, Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt pauci et mali, & nõ peruenerunt vsq; ad dies annorum patrum meorum, quibus peregrinati sunt.

1

VIta nostra cuiusmodi sit, Iacobus patriarcha his verbis ostendit. Est enim incerta, quia peregrinatio & exilium, vt & Dauid fatetur, Psal. 39. & 119. in litera Gimel: & primo Paralip. vlt. Hinc & pater Iacobi Isaacus ad Esaum dicebat, Genes. 27. En ego iam senui, & nescio diem mortis meæ. Et ecclesia canit, Media vita in morte sumus. Vnde cuidam dicenti, Miror tam multos nauem ascendere, maria tentare, cùm tam multi quotidie in medijs pereant aquis: alter qui-

dem respõdit: Qui fit igitur ô bone, vt tu sub noctis horas lectum audeas ascendere, cum tam multos quotidie expirare hîc videas? Quod cum ita sit, vigilemus quæso fratres, & in nostri Deique cognitione quotidie crescamus.

2 Est etiam vita nostra præsens, breuis. Dicit enim Patriarcha, dies vitæ suæ fuisse paucos. Et ob hanc breuitatem (cuius quoque Psal. 90. meminit) Iacobus Apostolus cap. 4. sic scribit: ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν; ἀτμὶς γάρ ἐστιν, πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη. Idcirco patientes esse debemus in omni afflictione, & operari bonum dum tempus habemus. Cùm erga omnes, tum verò maximè erga domesticos fidei: & orare ne fuga nostra fiat hyeme aut sabbato.

3 Est denique hominis vita in terris misera multisque laboribus oppressa, seu repleta, vt Iobus ait cap. decimoquarto. Nam Patriarcha regi respondet se malos annos vixisse. Quamobrem si sapimus, quæramus futuram vitam, quæ beata est. Hanc autem inuenire non licet, nisi apud eum, qui dicit Math. vndecimo, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos. Hic enim est verus Deus & vita æterna, 1. Iohan. 5. cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CON-

CONCIO NONA.

Numeri 20.

VEneruntq; filij Israel, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuaq; est ibi Maria, & sepulta in eodem loco. Cumque indigeret aqua populus, conuenerũt aduersum Moysem & Aaron, & versi in seditionem, dixerunt, vtinam perijssemus inter fratres nostros coram domino, &c.

1

TEstatur hic scriptura Mariam, sororem Mosis & Aaronis, & mortuã & sepultã esse in Cades, id est, in deserto Zin. Est igitur vetus fœdus, nos morioportere, Ecc. 14. & antiquus mos, corpora hominum sepeliri, qui & primæ Dei sententiæ respondet, qua è terra sumptos in terram redituros pronunciauit & resurrectionis mysterium continet, dum corpora telluri, vt semina sulcis mandãtur, olim nimirum maiori cum honore resuscitanda. Non autem iniustè Dominus siuit Miriam in deserto mori, ne perueniret in terram promissam. Non enim minus peccauit, quàm fratres eius. Nam si nihil aliud peccas-

ſet, quàm quòd principi, id eſt Moſi maledixiſſet, ſatis iuſtam cauſam habuiſſet Dominus eam interficiendi. Quia diuina voce, ſi quis fratrum cuipiam maledicit, à ſacrarum Scripturarũ lectione excluditur. Vt quid enim accipis, ait Pſalmus 50. teſtamentum meum per os tuum? & cauſa poſita dicit: Sedens contra fratrem tuum, obloqueris. Ac ſi maledicentes patri vel matri, morte moriuntur iuxta legem: quali iudicio dignus eris (inquit Chryſoſtom.) qui maledicere audes ei, quipa rentibus illis magis neceſſarius eſt & melior.

2 Etſi autem mors amara ſit atque terribilis, multi tamen ſunt, qui illã ſibijpſis optant. Neq; eſt iniuſtum homini iuſto optare mortem, quando amariſsima eſt vita. Sed ſi Deus optatam non dederit, non erit iuſtum niſi tolerare eam amariſsimam vitam. Sicut à iuſto nec illud alienum eſt, vt optet vitam, quando amara mors imminet: ſed cùm videt eam impetrare non poſſe, dicit quòd nos in ſe trãſfigurans Dominus ait, Verùm non quod ego volo, ſed quod tu vis pater. Sic parati, imò cupidi ad moriendum fuêre Simeon, Luc. 2. Paul. Act. 21. 20. Rom. 7. Philip. 1. Elias 3. Reg. 19. Iobus, Iob. 6. In hoc deſiderio etiam Andreas erat, qui in cruce poſitus à Domino requirebat, tempus eſt vt commendes terrę corpus meum. Volebat. n. eum plebs de cruce de

ponere,

ponere. Ipse autem cœpit Dominum rogare, Ne me permittas Domine descēdere viuum, sed tempus est, vt commendes terræ corpus meum: tamdiu enim iam portaui, tamdiu super commēdatum vigilaui & laboraui, quod vellem iam ab ipsa obedientia liberari, & isto grauissimo indumento expoliari. &c. videris Augustin. Tom. 7. pag. 351. et Tom. 4. pa. 1043.

2 Si autem corporis mortem, veluti rem bonam nonnunquam pij desiderant: quanto desiderio expetenda est mors veteris hominis, ex qua nascitur vita cœlestis: quemadmodū scriptum est Rom. 8. Quod si spiritu facta corporis mortificetis, viuetis, & iterum Colos. 3. Siquidem emortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, &c.

3 Cæterùm nonnulli sunt, qui ex impatientia sibi mortem exoptant (væ autem his qui perdiderunt sustinentiam, inquit Siracida capite 2.) vt Israelitæ, hîc, & Exodi 16. Maluissent illi quidem coronari prius, quàm pugnare, non considerantes, oportere nos per multas tribulationes ingredi in regnum Dei, prę figuratum per terram Chanaan. Huc referri & exemplum Ionæ poterit, quem & reprehēdit Dominus, vt in fine huius vatis legitur: q vates aliàs typus fuit Christi Iesu, mortui pro peccatis nostris, & resuscitati, ppter iustificationē nostri, cui sit gloria in ęternū, Amē.

CONCIO X.

Numeri 20.

CVMq́ castra mouissent de Cades, venerũt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom: vbi locutus est Dominus ad Moysen, dicens. Pergat (vel apponatur) inquit, Aaron ad populos suos. Non enim intrabit terram, quam dedi filijs Israel, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Tolle Aaron & filiũ eius cum eo, & duces eos in montẽ Hor. Cumq́ nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius: & Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moyses vt præceperat Dominus, & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumq́ Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis supercilio descendit cũ Eleazaro. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

Descri-

DEscribitur hoc loco mors Aaronis: qui expirauit anno ætatis suæ 123. in monte Hor, vidente vniuerso cœtu Israelitico, qui & 30. diebus fleuit super eum: ante ingressum Israelis in terram promissam: quiingressus ei negatus est propter incredulitatem, vt & ipsi Mosi, sicut habetur Num. 27. Deut. 32. At per hanc ita negatus is est, vt aditus ad cernendam cœlestem hæreditatem sanctis illis viris præclusus non fuerit. Corpus igitur terra contexit, spiritus autem cœlo per Christum recludendo reseruatus fuit. Qui Christus Dominus noster solus per sacerdotium suum adeundi veram hæreditatem peragrata huius mundi solitudine sub dura Mosaicæ legis ferula, viam patefacit, & paradisũ angelorum custodia clausum aperit. De quo ipse ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso. Itaq; non temerè sineq; diuino consilio extra mysticam hæreditatem Moses & Aaron sepulti leguntur. Notum enim est illud: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Alia igitur incredulitas fuit, quæ excluſit Mosen & Aharonem à terrena hæreditate: alia quæ impios cœlesti priuat: alia qua in petram deserti incurritur, alia, qua in petram, quę de se dicit, Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam ab impijs delinquitur: sicut alia fuit incredulitas discipulorum ante resurre-

ctionem Christi, alia Pharisæorum.

2 Tria autem sunt, quæ consolari morientem Aaronem potuerũt: vnum, quòd diuino consilio, cui acquiescere salutare erat, moriturum se sciret. legitur enim hîc: Ibi morietur alterum, quod in sacro sacerdotij munere Eleazarum filium sibi succedere videret, confirmata ei dignitate tot machinis oppugnata. Posteaquã enim subintrauit mortalitas, consolatio est filiorum successio (inquit Chrysostom. hom. 18. in Genes.) quæ est quasi imago resurrectionis. Demum, quòd finis tot laboribus, quos in Ægypto, & quadraginta annis in deserto perpessus fuerat, impositus esset, sub spe quietis in cœlesti patria perpontificem Messiam comparandæ.

3 Notanda porrò hîc periphrasis mortis est. Colligi enim ad populos vel patres suos, idẽ est quod mori, & ad defunctorum aggregari gentem. Hebraismus ille alibi alijs verbis effertur: Ecce ego (dicit Dauid 3. Reg. 2.) ingredior viam vniuersæ terræ. Quidam referunt ad sepulturam, quòd familiæ tunc in eisdem sepeliebãtur sepulchris. Sed nihil vetat, quo minus illam collectionem referamus quoq; ad animas, quę in sinum Abrahami, ornatum gratia, luce, vita, transferuntur. Is autem sinus promissionis Christi sinus est, credentibus ad vitã apertus, non credentib. clausus.

Hinc

4. Hinc consolationem capiãt fideles. Nam etsi per mortem relinquere cogantur mundum, & charos homines in illo: tamen reperient plura & præstantiora illic: estq; illis mori non detrimentũ, sed lucrum: sicut pauperculę, quam ducit diues rex in vxorẽ, & transfert de humili casa in regium palatium. Cui obsecro graue esse poterit mori, si cogitauerit non tam à quibus & vnde migret, quàm quò & ad quos pergat atque veniat? Si Diuus Petrus esset Venetijs, quàm multi illuc proficisci vellent, vt ipsum videre possent? At fideles, quando ex hac vita discedunt, non solum ad Diuum Petrum & reliquos sanctos, quos præmisimus, non amisimus, verùm etiam ad ipsum Christum Dominum & seruatorem nostrum contendunt. Non enim frustra dicit Apostolus Paulus, Philip. 1, Coartor ex his duobus, desiderans dissolui, & esse cum Christo, multo longeq; melius est, &c.

Sed dicas: Libenter equidem migrarem ad patres, & amicos meos existentes iam in paradiso per Christum aperto: modò meos charissimos mihiq; notos ibi quoq; reperirẽ. Ad hãc obiectionem respondetur: nos in cœlo non amplius ita fore affectos, quemadmodum in terra sumus. Nostra. n. voluntas vna & eadẽ erit cũ Dei voluntate. Quem Dominus voluerit secum habere in cœlesti regno,

hunc & nos libenter habebimus nobiscum: quem verò noluerit habere Dominus, ab eodem & nos alienissimo erimus animo, quicunq; tandem ille fuerit. At rursum dicas: Si illic nos mutuò essemus agnituri, libenter sanè mortē oppeterem. Sed aiunt gaudium fore tale & tantū, vt alius alium non sit agnituros. Responsio ad istā obiectionem in promptu habetur. Nam certum est, nos in vita æterna agnituros esse eos, quib. cum in hac vita cōuersati fuimus, parētes, liberos, cognatos, amicos: nec non patriarchas & prophetas omnes, Adamum, Abrahamū, Mosem, Dauidē, Esaiam, Iohannem Baptistā, Zachariam, Elizabethā, Mariam matrē Domini, Petrū, Paulum, &c. sicut Apostoli in monte Thabor viderunt & agnouerunt Mosem & Eliam colloquentes cū Christo. Neq; enim futuri sumus in vita æterna stipites carētes omni mente & intellectu, sicut quidā affirmant nos post hāc vitam non agnituros nos mutuò. Nunquid non agnouit diues ille, de quo Luc. 16. & Lazarum, quē prius quoq; in vita sua nouerat? & Abrahamum, quem prius nunq̄ viderat? Præterea si dilectio erit in altera vita, vt certè erit perfectissima, vtiq; & cognitio. Adhęc in Scriptura sacra non semel status & locus beatorum, cœlestis Hierusalem & ciuitas Dei viuentis nūcupatur. Qualis verò ista ciuitas fo-

tet, in

ret, in qua ciues se inuicem non agnoscerent? Faxit Dominus, vt ipsum & hîc & in futuro seculo probè cognoscamus, inq; eodē omnia videre possimus per Christum Iesum, Amē.

CONCIO XI.

Numeri 23.

Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.

1 Optatur hîc à Balaamo mors iustorum: ergo mors eorum bona est & preciosa in cōspectu Domini, Psal. 119. sicuti contra peccatorū ac sceleratorum mors pessima, Psal. 33. Quare autem bona? Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8. quia iustorū animę in manu Dei, Sap. 3. quia viuent, etiamsi mortui fuerint, Ioh. 11. Iustus. n. ex fide victurus est, Abac. 2. Rom. 1. quia mors illis est lucrum, Phil. 1. quia sunt in requie, iuxta illud Apoc. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur amodo. Etiam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.

Hîc aūt notandum illud Augustī. Ser. 24. de verbis Domini, Viuite benè, inquit, ne malè moriamini, ne quomodo diues ille (Luc. 16.)

moriamini. Item illud: Quæ est ista animorum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum. Item illud Bernhardi Serm. 21. super cant. Optabat sibi (Bileam) extrema iustorum, sed non ita & principia. Mortem spiritualium optant sibi etiam carnales, quorum tamen vitam abhorrent, scientes precioſam mortem esse sanctorum. Non curant quærere, quæ tamen desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non & sequi. Item illud Apostoli Galat. sexto, Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Hinc illa Germanica prouerbia,

Schantlich gelebt/vnselig gestorben.
Vnd/der wol ligē will/ der bett jm wol.

Etenim plerunque solet contingere, vt bonā vitam bona mors sequatur, malam mala.

2 Sed quęritur hîc, cur Balaamus dicat, Moriatur anima mea, cùm credamus animas esse immortales, testante id Scriptura, Eccl. 12. Math. decimo. Responsio. Anima sæpe ponitur pro corpore animato, pro vita hominis, pro ipso homine: ita & hîc: & Math. 6. Actor. 3. Rom. 13. & alibi. Sed & Augustinus super illud Psalmi: Redimet Dominus animas seruorum suorum, inquit. Secundum animam enim intelligēda est mors peccatorū pessima aut optima: non secundum corpora, aut contumelias, aut honores quos homines vident.

Iterum

3 Iterum ſuſcitetur aliquis: cur hoc loco fiat mentio iuſtorum, cum Sapiens dicat Eccleſiaſt. 7. Non eſſe hominem iuſtum in terra? Ad quod reſpondetur primùm, propriè hic non legi, Iuſtorum, ſed rectorũ, ſeu proborum. Deinde etiamſi vel ita legeretur in Hebręo, tamen ſciendũ eſt, verum eſſe quidẽ, nullum filium hominis eſſe iuſtũ ex ſe & natura ſua: ſed fidem habentes iuſtificanti Chriſto, iuſtos fieri imputatione & gratia ſpiritus ſancti, ſeu, vt Paulus loquitur 1. Corinth. 6. iniuſtos iuſtificari per nomen Domini Ieſu & per ſpiritum Dei noſtri. Adde quòd ſenſus dicti Eccleſiaſt. iuxta Brentium eſt talis, ac ſi dicat, Nullus eſt hominum in toto orbe terrarum, qui tam iuſtè, tam fideliter, tam moderatè, tam diligenter, tam prudenter ſuam vitam agat, aut ſuum officium adminiſtret, vt omnibus hominib. placeat, & non videatur alicubi peccare, et a bofficio aberrare. Id quod etiam vulgare prouerbium, ab ipſa experientia ortũ, teſtatur: Nimis mane, inquiunt, ſurgat oportet, qui, omnib. vult rectè facere aut placere.

4 Rurſum quęras, ſi credẽtes per Chriſtum iuſtificantur, cur moriuntur? & cui remiſſo peccato, pœna exigitur? Reſpondemus: propter corruptionẽ in natura hominis manentẽ id eſt reliquias peccatorum, Sicenim Apo

stolus Rom. 8. Corpus quidem (inquit) mortuum est propter peccatum, dein propter exercitationem fidei, & agonem præsentis luctationis, in quo et martyres certauerũt, qui mortis metum vicerunt patientia per fidem. Poterat Dominus etiam hoc donare credentibus, vt nec istius experirẽtur corporis mortem: sed si hoc feciſſet, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo. Sic enim homines mortem istam timẽt, vt non ob aliud felices dicerent esse Christianos, nisi quòd mori omnino non possent (vt D. Augustin. scribit lib. 2. de peccator. mer. & remiss. cap. 31.) Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam comtemnendæ ipsius mortis ad Christi gratiam festinaret, sed propter remouendam mortis molestiam delicatius crederetur in Christum. Plus ergo gratiæ præstitit, plus fidelibus suis sine dubitatione donauit. Quid enim magnum erat videndo non mori eos qui crederent, credere se non moriturum? Quanto est maius, quanto fortius, quanto laudabilius, ita credere, vt se speret moriturus sine fine victurum? Deniq; hoc quibusdam in fine largietur, vt mortem istam repentina commutatione non sentiãt, sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper

cum

cũ Domino viuant: qui est vnà cum patre & spiritu sancto Deus laudãdus in secula, Amẽ.

CONCIO XII.

Deuteronomij 14.

FILII estote Domini Dei vestri. Non vos incidetis, nec facietis caluitium super mortuo: quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit vt sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ sunt super terram.

1

PRincipiò, Moses duo hîc colligit. Vnũ, Filij Dei estis, ergo Deum vt patrem vestrum colere debetis, non deos alienos: ergo ritum, quem in lugendis mortuis idolatræ habent, imitari non debetis. Vult enim Deus populum suum esse dissimilium morum ab alijs populis, vtpote sanctum & electum. Alterum, si is pater vester est, debetis cognoscere vos, & vestros etiam mortuos victuros, qui diuinę naturę patris vestri sitis cõsortes, quæ perennis vita est, mortuos etiá vificans. Vt dominus Christus resurrectionẽ mortuorũ probaturus, ex Mose testimoniũ adducit his verb. cõtra Saduc. Deus Abrah. Isaa

ci & Iacobi. Deus autem non est Deus mortuorum, sed viuentium.

2 Deinde prohibet suis incisionem & rasuram super mortuo, vt & Leuit. 19. hoc est morem istum funebrem, quo forte Ægyptij, aut Amorræi & aliæ gentes, faciem secuerunt, corpusque diuini spiritus domicilium, turpiter lacerarunt & supercilia deraserunt, in signum tristiciæ & luctus.

3 Dicas: ergo mortui nō lugendi sunt? imō sunt, nisi velimus ἀσυμπαθεῖς esse. Sed immoderatus luctus prohibetur, quo mortui, tanq̄ penitus intereant, lugentur, more gentium quæ in prosperis & aduersis rebus immoderatè se gerūt (quia carēt fide, charitate & spe, 1. Thes. 4.) sicut contra Dei cultores se moderatè habent in vtrisque, secundum primam legem, Deum tuum supra omnia amato. Atque huius rei multas ipsi causas habent, excepto hoc mandato: Nolitote in funere aut corpora vestra lacerare, aut synciput decaluare. Prima enim ratio, ob quā non nimium dolent, neq; dolere debent fideles, ob charissimorum mortem, est voluntas Dei, cui se conformare debet voluntas hominis. Nam absq; diuino nutu ac volūtate nihil fit, Math. 10. cur igitur homo recuset, quod Deo placet? Eccl. 41. & non potius dicat cum Christo, Math. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu, mi pater.

Altera

Altera ratio est bona æquitas, quæ requirit, vt depositum vel mutuum libenter reddatur, exemplo Iobi, cap. 1. Vitam gratis accepimus à domino, sed hac lege, vt omni momento reddamus reposcenti.

Tertia, mortis ineuitabilitas, quam iuuenes à tergo, senes ante oculos habent. Omnibus enim moriendum est, Heb. 9. Nihil ergo noui de tuo mortuo actum est. De ineuitabili aliquo non est dolendum, sed prouidendum de vtiliori.

Quarta, fraterna vtilitas. A quot enim & quantis malis liberatur, qui in domino moritur? Rom. 7. Phil. 1. Apoc. 14. Quantum prosit exire de seculo (inquit Cyprianus) Christus ipse salutis atque vtilitatis nostræ magister ostendit, qui cum discipuli eius contristarentur, quòd se iam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens, Ioan. 14. Si me dilexissetis, gauderetis, quoniam ad patrem vado: docēs & ostendens, cum chari quos diligimus de seculo exeunt, gaudendum potius quàm dolendum.

Quinta, diuina prouidentia & iustitia, quę omnia bene & sapienter ordinat, Roman. 8. 1. Pet. 5. Qui ergo ita lamentatur suorū mortem, quemadmodum gentes, quæ non nouerunt Deum, iniqui sunt diuinæ iustitiæ morte ipsam noxam plectenti. Non enim obitus

immoderatè plangendus est, sed æquè ferendus, & tanquam traiectus ad æternam vitam & lucem boni consulendus.

Sexta, fletus & tristitiæ inutilitas, de qua 2. Reg. 12. Eccles. 30. & 38.

Septima, propria vtilitas'. Quoties enim accidit, vt viui plus nobis obsint q̃ prosint?

Octaua, resurrectio generalis. Quoniam ipse Dominus cum hortatu & voce archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primum, deinde nos qui viuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus inoccursum Domini in aera, & sic semper cũ Domino erimus: cui sit gloria in secula seculorum Amen.

CONCIO XIII.

Deuteron. 32.

Vtinam saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent.

1 Multum ac sæpe debemus summi diei mortisúe nostræ recordari, ad eamque nos præparare. Si enim hoc faciendum non esset, cur sancti homines Dominum rogassent, vt se docere vellet numerum dierum suorum? psal. 39. & 90. Cur item Moses iam morituus optasset, tanquam bonum aliquod insigne

gne, vniuerso populo Dei hanc sapientiam & intelligentiam, vt prouidere possit futura sua, & intelligere nouissimum suum, siue exitum? vt nimirum vltima linea rerum eius sit optima, id est, vt beatè ac feliciter moriatur. Et cur sapiens Eccl. 7. monuisset, singulos homines meminisse nouissima sua. & cap. 2. vnumquenq; præparare animam suam ad tentationem. Omnium autem grauissima tentatio est mors.

2 Sunt autem quatuor potissimum causæ, ob quas id faciendum est. Primum, quia maximum omnium operum peragendorum nobis in terra & præcipuum, est mortem obire, cumque hac vitam commutare. Optimum autem bene mori in Domino. Deinde, quia hæc res communis est omnibus, viris & mulieribus, diuitibus & pauperibus, iunioribus & senioribus. Tertiò, quia hora mortis nunquam tardat, sed semper & singulis momentis appropinquat. Ex quo enim quisque in isto corpore morituro esse cœperit, nunquã in eo non agitur, vt mors veniat: quemadmodum Augustinus ait. Demum quia Christus & Apostoli eius tam seriò nos monent, vt omni tẽpore vigilemus, semper sobrijssimus & parati, & indesinenter oremus, eò quòd horam nesciamus.

3 Propter has causas deberem⁹ nobis meritò

memoriam mortis frequentem & familiarem reddere: id quod insuper ad hoc quoq; nobis conduceret, primò, vt timor mortis, qui aliàs naturaliter inest carni nostræ, minueretur in nobis: postea ne tanti faceremus ea quæ temporalia & terrena sunt, in quibus mundum occupatum esse nimis multum, proh dolor, videmus. Cur enim apponat cor suum homo rei, quam mox post se relinquere, nolens volens cogetur? Applicemus potius omnes corda nostra ei, de quo Dauid Psal. 72. Mihi autem adhærere Deo bonum est, posui in Deo Domino spem meam. Qui enim sperant atque confidunt in eo, beati sunt & vitam possidebunt in æternum, per Christũ Iesum dominum nostrum: cui sit benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum, Amen.

CONCIO XIIII.

1. Regum 4.

NVRVS autem Elis, vxor Phineh es prægnans erat, vicinaq; partui. Et audito nuncio quod capta esset arca Dei: & mortuus esset socer suus, & vir suus, incurua uit

uit se,& peperit. Irruerant enim in eã dolores subiti. In ipso autem momento mortis eius,dixerunt ei qui stabãt circa eam: Ne timeas,quia filium peperisti. Quæ non respondit eis,neque animaduertit. Et vocauit puerum Ichabod,dicens: Transmigrauit gloria de Israel ob captam arcã Dei,ob socerum eius atq; maritum eius: & rursum ait,transmigrauit gloria de Israel,quoniam capta est arca Dei.

I

1 Ex hac historia patet quod & quale sit stipendium peccati. Filij.n.Eli ob suam nequitiam:pater eorum ob suam negligentiam moriuntur:arca Domini ab Israelitis,propter impœnitentiam & falsam in arca fiduciam collocatam,rapitur.Nurus Eli,vxor Phineis nõ solùm cum dolore parit, sed etiam moritur. Audito enim nuncio, quòd capta esset arca Dei,& mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se & peperit. Nam commoti sunt in ea dolores eius: & inuersi sunt super eam cardines eius, vt Hebræi legunt. Habet enim venter mulieris grauidæ cardines suos, sicut ostium:quibus solutis,effunditur fructus. Discamus hinc,peccatum odisse ac detestari:ani

mum fortem & virilem capere aduersus omnes terrores, ne à malo nuncio timeamus (Psal. centesimoduodecimo) sed moderatè obitum nostrorũ feramus. A tristitia enim procedit mors: & tristitia cordis flectet vires, Eccles. 38. Pernicialem autem reddidit terrorẽ subitum oraculum diuinum, quo ipsi Eli exitium destinatum fuerat.

2 Exemplo mulierum, quæ stabant iuxta parturientem, eo tempore quo ipsa morieba tur, discamus quoque consolari pusillanimes iuxta præceptum Apostoli, 1. Thes. 5. Dicunt enim, Ne timeas, quoniam genuisti filium: vnde scilicet gaudiũ concipi solet, teste Christo Iohan. 16. Ad eum modum consolabatur etiam Rachelem obstetrix sua, Gen. 35. Quanto verò gaudio affici debet omnis mater Christi? vnde Paulus (iterum parturiens Galatas, donec formaretur Christus in eis) Gaudete, inquit, in domino semper.

3 Ex eo autem quod vxor Phineis nihil respondit in ipso momento mortis suæ, neque cor suum apposuit, colligimus magnam affinitatem & cognationem habere corpus cum anima, & hanc cum illo: qui simul afficiuntur. Tanto enim dolore sæpe afficitur corpus, vt animus planè nihil intelligere queat. In tempore igitur nos præparemus ad mortem, & ante languorem curemur, vt monet Io-

net Iosua filius Sirachi cap.18. Tantum enim negotij nobis aliquando facessit corporis morbus, vt mens parum seriarum rerum cogitare possit: vt contrà sæpe mens ita vel gaudio, vel tristitia afficitur, vt inde etiam corpus moueatur, imò moriatur: quemadmodum Valerius Maximus lib. nono, de nonnullis scribit: Det nobis dominus in omnibus tenere medium, & voluntatem cum facultate, incedendi per viam regiam, qua tandem veniamus in æternum Dei regnum, Amen.

CONCIO XV.

2. Regum 2.

IT nunciatum est Dauid quòd viri Iabes Galaad sepelissent Saul. Misit ergo Dauid nuncios ad viros Iabes Galaad, dixítque ad eos: Benedicti vos à Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem, sed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum istud. Conforteutur manus vestræ, & estote filij fortitudinis. Licet enim

mortuus sit dominus vester Saul, tamen me vnxit domus Iuda in regem sibi.

1

EIus doctrinæ, quæ habetur Eccles. 38. de officio præstando mortuis, extat hîc exemplũ in Galaaditis, qui de muro Beth seã tulerũt cadauer Saulis à Philisteis suspensum, & sepeliuerunt illud in nemore Iabes, 1. Reg. 31. & ieiunarunt septem diebus: qua in re declararunt se non solùm memores & gratos ob beneficium, quo à Saule affecti fuerunt, qui liberauit eos ab Ammonitis, 1. Reg. 11. sed etiam diligere se ipsum Saulem, eiusq; obitum dolere, & resurrectionem eius carnis à mortuis sperare.

2 Hanc gratitudinem Dauid laudauit, eisque se gratiam relaturũ promisit, dicens: Benedicti vos Domino, qui fecistis, &c. Quibus verbis ostendit primùm vir sanctus, eos probari Deo, qui benefacere studeant. Quòd opus proprium Dei sit bene mereri de alijs, alienum malè. Deinde, sepelire mortuos esse opus misericordiæ. Vt enim in maledictione habetur corpora insepulta volucribus in escam exponi: sic in benedictione diuina numeratur, corpora in sepulchris requiescere. Tertiò, misericordes misericordiam consequuturos à Deo, & hominibus, beneficum Deum, cui bonitas & fides merito tribuitur, imitan-

imitantibus. Dicit enim Dauid (qui typum gesſit regis Christi) Et ego reddam gratiam, eo quòd feciſtis rem iſtam, id eſt, & ego me talem erga vos præſtabo, qualem veſtro iſto tã præclaro facinore dignum eſt. Vide autem quàm ingenti amore præditus fuerit Dauid etiam erga ſuum capitalem hoſtem Saulem. Nuncium quidem illum, qui dicebat ſe interfeciſſe Saulem, occidi iuſsit. Hos verò, quos audiuit honoris ergo ſepelijſſe Saulem, beneficio afficere ſtatuit. Diſcamus igitur nos quoque diligere inimicos noſtros, ſecundũ mandatum & exemplum Domini & regis noſtri Ieſu Chriſti, Math. 5. Roman. 5. vt filij Dei ſimus atque adeo hæredes, cohæredes autem Chriſti.

3 Poſtremò conſolatur Dauid Galaaditas, inquiens: Confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortitudinis, quaſi dicat, Nolite ſupra modum dolere Saulis mortem. Licet enim is mortuus ſit, tamen me vnxit domus Iuda in regem ſibi. Confirmate igitur vos in parendo mihi iam deſignato regi: quemadmodum confirmatis animis Saulo, dum viueret, paruiſtis. Confirmet nos quoq; Dominus Deus, vt quemadmodum prius ſeruiuimus peccato ad mortem, ita nunc ſerui ſimus & maneamus, obedientiæ ad iuſtitiã, in Chriſto Ieſu, Amen.

CONCIO XVI.

2. Regum 6.

POSTquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerant eam. Iratusq; est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate. Qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei. Contristatus est autem Dauid, eo quod percussisset Dominus Ozam, et extimuit Dauid Dominum, &c.

HÆc historia habetur etiam in 1. paral. 13. Est enim valde notabilis Ozę mors filij Abinadab: docens, effectus & autoramenta peccati, vel leuissimi, nostro videre, iram Dei esse ac mortem: & horam, locum, modumq; mortis incertũ esse. Huius quoq; meminit D. Chrysost. his verbis: Sed & aliun de videre licet copiosè, quomodo subditum procul à sacerdotũ correptione abesse oportet. Nam cum aliquando arca reduceretur, & subditorum aliqui ad lapsum declinantem videntes erigerent, eo ipso in loco pœnam dederunt, & à Domino percussi, mortui manserunt: tametsi nihil agerent absurdum. Non.

sub-

ſubuertebant, ſed lapſuram erigebant. D. Auguſt. ait: In hoc facto temeritas cũ ipſo Oza, q̃ cum non eſſet de genere Aharon arcam tetigit, damnatur, & totus populus, quia cautè in diuinis reb. agere deberet, admonetur. Cæterũm quidã aliquod præcedens peccatum in Oza per hanc culpã punitum eſſe exiſtimãt: quoniam ſæpe euenit, vt minores culpæ præcedentium vindictam peccatorum incutiant.

2 Licet præterea in hiſtoria mortis Ozæ conſiderare ea, quę mortem ipſius anteceſſerunt. Quædam. n. fecit rex Dauid: nonnulla populus cum eo: aliqua fecêre filij Abinadab, Vza & Ahio. Inter cætera luſit Dauid corã Domino varijs inſtrumenris, ſed mox ſubſecuta eſt triſtitia. Oza. n. qui neglecto verbo Dei, præcipientis vt à ſacerdotib. portaretur arca, temerè eam caſum minitantẽ attigit, & ipſam non portauit in humeris, ſed bobus cõmiſit, occiditur à domino Deo.

3 Quæ aũt mortem Ozæ ſecuta ſunt? Dauid cõtriſtatus eſt (nemo. n. de morte alterius gaudere, vt Sirachi filius docet c. 8. ſed potius dolere debet, idq; tamen non citra modum, more gentilium,) timuit etiam Dominũ Dauid. Ita & Act. 5. legimus poſt deſcriptã mortẽ Ananię & Sapphirę. Et ortus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierãt hęc: nec immeritò. Dicit enim Chriſtus Ieſus Lucæ 13. cap. Pu-

tatis quôd hi Galilæi (quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificijs ipsorum) præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis, imò nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Atq; vt & nos resipiscere possimus, ne pereamus, oremus cum propheta Ierem. 31. & Thren. 5. Conuerte nos Domine, & conuertemur: quia tu Dominus Deus noster es, Amen.

CONCIO XVII.

3. Regum 2.

APPROpinquauerunt autem dies Dauid vt moreretur, præcepitq; Salomoni filio suo, dicens, Ecce ego ingredior viam vniuersæ terræ. Confortare, & esto vir fortis, & obserua vt custodias mandata domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, & custodias ceremonias eius, & præcepta eius, & iudicia & testimonia, sicut scriptum est in lege Mosis, vt intelligas omnia quæ facis, & quocunque te verteris, vt cõfirmet Dominus sermones suos quos locutus est de me dicens: Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint corã me

me in veritate in omni corde suo,et in omni anima sua,non auferetur tibiuir de solio Israel. Tu quoq; nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ,quæ fecerit duobusprincipibus exercitus Israel, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether,quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in baltheo suo,qui erat circa lumbos eius,et in calciamẽto suo,quod erat in pedibus eius. Facies ergo iuxta sapientiam tuam,et non deduces caniciem eius pacificè ad inferos. Sed & filijs Berzillai Galaaditæ reddes gratiam,eruntq; comedentes in mensa tua. Occurrerunt enim mihi,quando fugiebam à facie Absolon fratris tui. Habes quoq; apud te Semei,qui maledixit mihi maledictione pessima,quando ibam ad castra,sed quia descendit mihi in occursum cũ transirem Iordanem, & iuraui per Dominum, dicens,Non te interficiã gladio,tu noli eum pati esse innoxium, Vir autem sapiens es, vt scias quæ facies ei: deduces que canos eius cum sanguine ad inferos. Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid.

1

OBseruandum hîc primum, quo pacto loquatur Scriptura de morte Dauidis: secũdò de morte omnium hominum: tertio, quid homo antequam moriatur facere debeat. De morte regij prophetæ in principio textus ita scribitur. *Et appropinquauerunt dies Dauid ut moreretur.* Rectè igitur à D. Augustino, libr. 13. de Ciuit. Dei cap. 10. tempus vitæ huius nihil aliud esse dicitur, quàm cursus ad mortem, in quo nemo vel paululũ stare, vel aliquãto tardius ire permittitur: sed omnes vrgentur pari motu: nec diuerso impelluntur accessu. Nequaquam emanent dies mortis, sed appropinquant singulis horis & momentis. Haud tardat Dominus, quemadmodum nonnulli tarditatẽ existimant, 2. Petri 3. Nemo ergo dicat cum seruo malo in corde suo: Cunctatur dominus meus venire, Mathæi 24. Quia veniens veniet & non tardabit, Heb. 10. In fine verò textus de morte regis Dauidis dicitur: *Tum obdormiuit Dauid cũ maioribus suis, & in urbe Dauidis sepultus est.* Ergo mors somnus appellatur. Hinc Athenagoras de Resurrect. mortuorum. Τινὲς γὰρ ἀδελφὸν τοῦ θανάτου τὸν ὕπνον ὀνομάξουσι. & Chrysostomus super illud Pauli 1. Corinthiorum decimo quinto capite: Quidam vero dormiuerunt. Non, inquit, mortui sunt: etiam hinc obiter resurre-

resurrectionem confirmans.

2 De morte totius mundi, ait propheta, quòd sit via vniuersæ terræ: id quod bifariam exponi potest. primô, vt sit sententia: Mortem esse viam, per quam transeundum sit omni homini, qui terra dicitur, & hoc tripliciter, creatione videlicet, conuersatione, & morte. Vnde Chrysostom. Tom. 2. pag. 352. Patriam tibi & nutricem, & matrem, & mensam, & domum posuit terram Deus, sed & sepulchrum tibi hanc eandem dedit. Nam & corpora nostra ex ipsa sunt, & ex ipsa etiam corporum nutrimenta, & ex ipsa quoq; & in ipsa nostra habitatio est, & post mortem in ipsam rursum redimus. Deinde vt sit sensus, Veteris & terreni hominis viam esse legem illam moriendi omnibus ex terra ortis positam, de qua Genesis tertio: Cui contraria noui & cœlestis hominis lex est, quæ vitę & cœli via habetur, de qua Psalm. 16. Notas mihi fecisti vias vitæ. Hanc viam aperit fides in eum, qui de se dicit Iohannis decimo quarto: Ego sum via, veritas & vita. Viam autem terræ, quam dicit se ingredi Dauid, peccatum & vitiositas in vetere homine patefacit. Quæ vitiositas mortis viam terit, de qua illud Romanorum sexto: Mors stipendium peccati. Vt verò vnus est omnium introitus ad vitam (nullus enim rex habuit progenies, aliud initium) sic est

etiam eorundem æqualis exitus, Sapien.7. Hinc Dauid ait: Ego vado per viam vniuersæ terræ. & Iosua, vt est Ios. vigesimo tertio: Ecce ego ingredior, hodie viam vniuersæ terræ, id est, ego discedo, quò solent mortales omnes.

3 Quid porrò facit prudens & pius rex Dauid ante mortem suam? Hortatur Salomonem filium suum ad studium legis diuinæ: Er lost ihm ein gůte letze. Deinde vt de scelera tis Rempublicâ turbantibus pœnas expetat, vt de latrone Ioabo, & de Semei homine maledico. Postremò, vt bonos viros, veluti Berzellęi Galaaditę natos, præmijs ornet, in quo esuriem suam iustitiæ, id est, odium scelerum & amorem bonitatis declarat. Adhibet verò simul locos honesti & vtilitatis. Quatuor autem diuinæ legis genera commemorat: Statuta seu cæremonias quorum ratio ignoratur, vt est, Non seminabis diuersa semina in vnum agrum. Præcepta de pietate scilicet & moribus formandis, quæ decalogo continentur. Iudicia seu iura ciuilia, quæ inter hominem & proximum suum decernuntur. Testimonia, quæ aliquid testantur, siue alicuius rei memoriam faciunt. vt est sabbathum, pascha, &c. Vtinam dirigantur omnes viæ nostræ ad custodienda mandata Domini, vt non confundamur in die domini, quando reddet

reddet vnicuique secundum opera sua, Amen.

CONCIO XVIII.

4. Regum 20.

IN diebus illis ægrotauit Hezechias vsq; ad mortem, & venit ad eum Ēsaias filius Amos propheta, dixitq; ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ. Morieris enim tu, & non vives. Qui conuertit faciem suam ad parietē, & orauit Deum dicens: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Fleuit itaq; Hezechias fletu magno, & antequam egrederetur Esaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: Reuertere: & dic Hezechiæ duci populi mei. Hæc dicit Dominus, Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymā tuam, & ecce sanaui te. Die tertio ascendes templū Domini, & addā dieb. tuis 15. annos. Sed & de manu regis Assy-

riorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Dixitq; Esaias: Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent, et posuissent super vlcus eius, curatus est.

1

TRifariam considerari potest hæc historia. Primùm vt dicamus ea quæ ad personam Ezechiæ regis Iudæ pertinent. Is enim in diebus illis: id est, ante extinctum Assyrium ab angelo Dei, lethali morbo ægrotauit, hoc est, triduo ante stragem Sanherib, vt quidam Hebræi tradunt. Esaias iuxta mandatum domini dixit illi: (quum nondũ filius illi esset) præcipe domui tuæ, id est, componẽ testamentum ad cauendas hæredum lites & discordias. Morieris enim tu & non viues. Laborauit enim morbo mortali, si naturam spectes, & medicinam, quam medicorũ ars præstare alioquin potest. His auditis conuertit faciem suam ad parietem (quo oraret secretius, recollectius, & ob fletum minus erubesceret ab astantibus.) templum versus: orauit, fleuit (hoc enim recordatio mortis efficere potest, vt & in Niniuitis videmus, Ionæ 3.) Dominus exaudiuit illum, & vitam eius prolongauit. Delectatur enim vita hominum,

minum, & non perditione viuorum. Quanquam & vitæ & mortis, sanitatis & morborum dominus est. Nam tametsi pharmaca etiam adhiberi voluerit in curando Ezechia, voluit tamẽ sibi acceptum ferri beneficium: sine quo nulla pharmacorum virtus est. Nõ est autem mirum illo tempore regem φιλόζωον, hoc est, cupidum vitæ fuisse, quando mortem nostram mors Christi nondum absorpserat: & omnes in infernum descendebant. Nam & de hac causa, nempe metu mortis, Abraham in Ægypto & Geraris Saræ mandauit, vt se sororem illius diceret, tantũm non prostituens eam, tantus erat timor mortis: vt Oecolampadius scribit super cap. 38. Esaiæ, vbi eadem historia habetur, quę hoc in loco. His consentit etiam D. Chrysostomus Hom. 45. in Genes.

2 Secundò considerari debet illa ipsa, quõ ad nos. Hinc enim discimus, quomodo nos gerere debeamus ante mortem: & quid agere, vt addantur vitæ nostræ non solùm quindecim anni in hoc seculo, sed mille, hoc est, infiniti, & æterna felicitas: quod fiet si moriendum nobis esse audiuerimus & crediderimus: si per fidem pœnitentiam egerimus, & Deum inuocauerimus: in veritate coram domino ambulauerimus, & corde perfecto (est enim sua perfectio etiam in viatore Philip.

3.) & bonum in oculis non noſtris, ſed Dei ſe cerimus, &c. Præterea probos honeſtosque viros decet ciuilia domeſticaque negotia ſic perpetuò diſponere, vt etiamſi ſubitò morbo obruãtur, explicari nihilominus poſsint, vt nemini iniuria inferatur, aut damnum detur. Quidam enim adeo negligentes ſunt, vt omnia negotia procraſtinent, ſicque omnia commiſceant, vt poſt ipſorum obitum grauiſsimæ lites inde exoriantur, & cùm propinquis, tum etiam alienis damnum inde detur. Hæc autem vir probus per omnem vitam diligenti cura rei domeſticæ præcauere debet, & res ſuas quatenus poteſt expedire.

3 Tertiò conſideranda eſt, quò ad Chriſtum, cuius figuram Ezechias prætulit. Ille enim non prius de ſuo aduerſario triumphaſſe dicitur, quàm è mortuis ad vitam excitatus eſſet, vt Ezechia iam è mortali morbo liberato, ante Hieroſolymam Aſsyrius proſtratus eſt. Idem Chriſtus rex iuſtus pro nobis ægrotauit, & iudicium mortis in cruce ſuſcepit: ad orationem autem eius adiecti ſunt ei & per ipſum nobis, anni quindecim, id eſt, omnis longæuitas. Ipſe enim vt primogenitus mortuorum nunc viuit per ſeptenarium huius ſeculi, victurus et per octonarium futuri ſeculi. Dignus eſt igitur accipere virtutem, & diuitias & ſapientiam et fortitudinem & hono-

& honorem & gloriam & benedictionem Amen.

CONCIO XIX.

4. Regum 22.

REGI *autem Iuda qui misit vos, vt consuleretis dominum, sic dicetis. Hæc dicit Dominus Deus Israel. Pro eo quòd audiuisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram domino auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quòd videlicet fierent in stuporem, & in maledictum, et scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui te, ait Dominus: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ intro ducturus sum super locum istum.*

1

DEnunciatio iræ Dei & memoria mortis ad quid prosit exemplum Iosiæ regis Iudææ ostendit. Facit enim vt moliatur cor hominis instar cæræ, non indure-

tur instar luti ad ignem: siquidem audiatur verbum Dei & apprehendatur fide: item, vt humilietur homo coram Domino agnoscens improbitatem suam: &, vt scindat vestimenta sua, testificans scissum cor per pœnitentiam: & vt fleat coram facie Dei, sicut & Ezechias fleuit, Esa. 38.

2 Quid autem erit illi qui hoc fecerit? Dominus vicissim audiet talem, vt hîc de Iosia legitur. Dominus exaltabit eum, Luc. 18. & cor illius perterritum consolabitur: & induet eum vestimentis albis, & absterget omnem lachrymam ab oculis eius (Nam beati qui lugent, & nunc flent, dicit Christus.) deniq; liberabit eum ab omni miseria, colligendo eũ ad patres suos, & colligendo ad sepulchrum suum in pace, vt non videant oculi eius omnia mala iusto Dei iudicio ventura. Hic nota Dei beneficium esse nonnunquam citò mori, ne diu interra viuere, sed colligi ad patres. Vide pulcherrimam periphrasim mortis fidelium. Nam colliguntur & adduntur ad patres seu maiores suos, & ad populum suum, vt de patriarcha Iac. Gen. 49. & de Aarone, Num. 20. & de Mose, Num. 31. quoq; legitur. Nemo autem (inquit Origenes) apponitur ad eos, qui non sunt. Vnde constat esse aliquem populum, cui Moses & cęteri sancti post vitę huius exitum dicuntur applicandi. Non ergo sę

parantur

parantur prorsus à consortio hominum: imò ipsi veniunt ad caput Ecclesiæ omnium sanctorum, quod est Christus Iesus, Dei et hominis filius, Phili.1.

3 Ex his colligitur, quid euenturum sit contrarium facientibus, id est, indurantibus cor suum, superbientibus, induentibus se purpura cum diuite, Luc.16. ridentibus cum mundo. Istiusmodi nanq; de sepulchro suo proijcientur, & ab ouibus Christi separabuntur, Esa.14. Math.25. Ne idem nobis contingat, inuocemus nomen τὸ ἀφχαποιμένος, confitentes ac dicentes singuli cum Dauide in hunc modum orante sub finem Psal.119. Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum Domine, Amen.

CONCIO XX.

2. Paralipomen. 16.

EGRotauit etiam Asa, anno tricesimonono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit dominum, sed magis in artem medicorum confisus est. Dormiuitq; cum patribus suis. Et mortuus est anno quadragesimoprimo regni sui. Et sepeliuerunt eũ

in sepulchro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid, posuerunt q́, eum super lectũ, quem ipse repleuerat speciebus aromaticis & odoriferis, pigmentariorum opera confectis, cremauerunt q́, propter eũ (aromatum) maximam combustionem.

1

LEgimus hîc primò de morte Asa regis Iuda, quid ea fuerit, nempe somnus. Dicit enim textus: Dormiuitq́ue cum patribus suis. Ratio alibi exposita est & exponetur. Nam in multis inter se conferuntur duo illi fratres mors & somnus. Si autem is qui hodie rex est, cras moritur, Ecclesiast. 10. nullus gloriari debet in imperio suo, vel robore, vel diuitijs, vel sapientia. Hoc verò omnium officium est, vt ad mortem sese præparent, quia illa nemini parcit: Nam vt poeta inquit: Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumq́; turres.

2 Deinde legimus quid mortem Asæ præcesserit, nempe infirmitas, id est, dolor pedũ, qui vexauit eum ferè duos annos. Quæ infirmitas inter nuncios mortis, ab Hugone de animę claustro li. 2. recensetur: quorum tres sunt, videl. casus, infirmitas, & senectus: casus dubia, infirmitas grauia, senectus certa denũciat. Casus denunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem. Porrò si

rò si pius ille rex, cuius cor erat rectum et perfectum cunctis dieb. eius, vt Scriptura testatur, 2. Paral. 15. 3. Reg. 15. tam diu ægrotauit, nullus debet ex morbis, vel alijs reb. externis siue bonis, siue malis, alium iudicare. Aut si omnino iudicare volumus, debemus potius bene sperare de illis, qui morbis afficiuntur, quàm qui sani sunt, propter multiplicem effectum morborũ, & infirmitatum. Hæ. n. dantur homini ad citationem, vt præparet se ad exitum huius seculi: purgant à peccatis: hostẽ nostrum, i. carnem debilitant, ad bonũ faciendum instigãt: signum dilectionis diuinæ sunt, & via regni cœlorũ: in hoc enim intrandum est per multas tribulationes, quarũ non minima est corporis aduersa valetudo. Sed quæritur, cur Scriptura dicat Asæ cor perfectum fuisse, cum tamen Syrorum regis præsidio magis innixus fuerit, quã Dei: vatem Domini in carcerem coniecerit: medicos morbo correptus potius consuluerit, quàm Dominum? Respondetur, Quia maiorem vitæ partem probè se gerendo consumpsit: ideo legitur. illum rectum fuisse ante conspectum Domini: & additur: sicut Dauid pater eius. Non ergo Dauid, neq; Asa, neq; alius rex, verus ille Messias esse potuit, de quo Esa. 53. Scelus non fecit, &c. Præterea neq; medicina hîc vitu peratur, neq; me dici reprobãtur: sed fides in

medicos & medicinam, posthabita cura Dei damnatur. Medicorum namque opem nec aspernari nec adorare debemus. Summa spes fixa sit in Deo, qui vt solus inserit animã corpori, ita solus eximit cum vult. Interdum tamen accersendus medicus, ne videamur tentare Deum, præsertim in morbis præsentaneis, quos medici vocant acutos. Syncera enim fides media quidem non contemnit, sed medijs non innititur. Verùm hac de re videris Iesum Sirach cap. 38.

3. Tertiò habemus quæ mortem Asæ subsecutã sunt, nempe honesta & preciosa sepultura, in signum dilectionis erga illum, & spei resurrectionis. Nonnulli putant, cadauer ingenti rogo crematum. At cremandi corpora mos apud Hebræos non fuit, sed ea condiendi aromatis. Sic enim Iohannes capite 19. scribit: Acceperunt ergo corpus Iesu, & obuinxerũt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Huic domino Iesu, qui sepultus est, vt omnium sepulchra consecraret, ne homines in eis perirent, quique omnes credentes in ipsum sustulit secũ in sepulchrum suum, vt peccata eorum sepelirentur, & ipsi deinceps iustitiæ viuerent, sit honor & gloria in secula seculorum,

Amen.

CON-

CONCIO XXI.

Tobiæ 4.

DIGITVR cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum, dixitq; ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in cor de tuo quasi fundamentũ cõstitue. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes, quæ & quãta pericula passa sit propter te in vtero suo. Cum autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. Omnib. autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynã, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini, &c.

1

HÆc, vt cætera omnia, nobis in doctrinam præscripta sunt. Docentur enim primum ij, quibus breui moriendum

est,

est, vt sint pij, id est, non solùm inculpatam vitam degant, sed eam etiam agere suos liberos doceát: vt Tobæus filium suum Tobiam docuit, eique ante mortem præcepta dedit. Parabat enim cum illa daret ei, se exauditum esse à Deo, quem orauerat, vt suum spiritum in pace reciperet. In qua oratione, sicut etiam his verbis (cum acceperit Deus animá meá, corpus meum sepeli) suam fidem, atque spem confessus est. Credidit enim suam animam futuram in manu Dei (quemadmodum de iustorum animabus scriptum est, Sap. 3.) & corpus suum resurrecturum in nouissimo die, vt & Iob. cap. 19. sperauit.

2 Deinde instruuntur hîc illi, qui cognati vel amici fuêre mortui: quo pacto se gerere debeant erga demortuum. Sunt autem mortuorum corpora sepelienda, vt tum loci, tum exempla scripturæ docent, Ecc. 7. & 38. Gen. 23 47. & 50. Math. 26. & 27. Etsi enim pio nihil obest vilis aut nulla sepultura, vt impio nihil prodest preciosa: non tamen ideo contemnenda & abijcienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum ac fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus (vt Diuus Augustinus

ſtinus ad Paulinum lib. de Cura pro mortuis gerenda ſcribit,) nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinet, vnde & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa: ipſiq; cum viuerent, de ſepeliendis, vel etiam tranſferendis ſuis corporibus filijs mandauerunt. Et Tobias ſepeliendo mortuos, Deum promeruiſſe, teſte Angelo commendatur. Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus, religioſæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quòd vnguentum preciosum ſuper membra eius effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit, & laudabiliter commemorantur in euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter atque honorificè tegendum, ſepeliendumque curarunt. Verùm iſtæ authoritates non hoc admonent, quòd inſit vllus cadaueribus ſenſus: ſed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis aſtruendam. Vbi & illud ſalubriter diſcitur, quanta poſsit eſſe remune

rātiō pro eleemosynis, quas viuentibus & sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officij diligentiæq; persoluitur. Hinc legimus 2. Reg. 2. laudari & à rege Dauide benedici, qui Saulis & Ionathæ ossibus aridis sepulturæ misericordiam præstiterunt. Sed verè laudabuntur, qui in nomine Christi, proximo adhuc agenti vitam misericordiam exhibuere. Appellabuntur enim à Rege regum Christo Iesu, Benedicti patris sui, Matthei 25.

3 Porrò, vt cognati seu consanguinei sē erga inuicem gerere debeant, nēc non erga Deum & proximum, tertiò loco docemur. Filiorum enim est, parentes honorare: eorumque beneficia & pericula propter se suscepta haud quaquam tradere obliuioni: Deum (in quo sumus, viuimus & mouemur) præ oculis cordis semper habere: egentibus succurrere. Nam qui hoc fecerit, & in fide vsque ad finem perseuerauerit, non solùm in hoc seculo diu victurus est, verùm etiam post hanc consequuturus est vitam æternam & beatissimam, per Christum Iesum: qui eandem nobis quoq; concedat,

Amen.

CONCIO XXII.

Iob. 1.

CVM autem quadam die filij & filiæ eius comederent & biberent vinum, in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ad Iob, qui dicebat. Boues arabant, & asinæ Pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia, & pueros percußerunt gladio, & euasi ego solus, vt nunciarem tibi: Cúmque adhuc ille loqueretur, venit alter & dixit, Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues puerósque consumpsit, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi. Sed adhuc illo loquente, venit alius, & dixit, Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percußerunt gladio, & ego fugi solus, vt nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: Filijs tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, in domo fratris sui

primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus. Quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi. Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit: & dixit, Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum loquutus est.

1

Loquitur hîc textus primò de direptione facultatum Iobi, & obitu non solùm famulorum eius, sed & septem filiorum & trium filiarum. Vbi primùm notandum est, quàm latè pateat Satanæ (qui tamen absque nutu & permissione Dei nihil potest, ne in porcos quidem, Matthęi octauo,) imperium, qui in terra per impios, in aere per ventos & ignem, in mari per varias tempestates, in homine per multiplices morbos,

morbos, potentiam suam ostendit. Deinde quàm suspectæ nobis esse debeant res prosperæ, quæ ferè vt securos iudicij Dei reddunt, ita eas res aduersæ comitantur: de qua re his verbis sapienter admonet Salomon, Prouerbiorum decimoquarto, Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Huc pertinet illud Apostoli, primæ Thessalon. quinto, Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis imminet interitus. Verè igitur Scriptura diem Domini furi similem fore pronunciat: quia nescitur hora qua Dominus venturus est, 2. Petri tertio, Mathęi vigesimoquarto. Quocirca nostrum est, perpetuas seruare excubias, ne dormientes & incautos pessundet hostis, 1. Petri quinto. Si liberi sancti viri Iobi non erant securi ac tuti, cum in tam sancto conuiuio essent, in quo nullum luxum, nullam leuitatem fuisse verisimile est, sed lætitiam moderatam, & concordiam suauem, quæ fratres decet, Eccl. siast. vigesimoquinto: quomodo erunt securi impij & ebrioſi, & percutientes conseruos suos?

2 Secundò contextus de ipso Iobo loquitur, quid fecerit, postquam filiorum mortem percepit. Surrexit enim, nimirum à prandio: & scidit pallium (non rupit abiecta animi moderatione) & totondit (non vellicauit) co-

mam'capitis. Hæc enim luctus & mœroris signa fuerunt: quæ non prius edidit Iobus, quã liberi domus ruina & lapsu mortui fuissent. Is mœror noxa ac culpa in Iobo caruit, vt quẽ non impatientia illi, sed σορρὼ expresserit: quẽ si regitur à diuino patientiæ [spiritu], laudem habet: sin secus, vituperium, vide Sirac. 38. & 1. Thess. 4. & Chrysost. hom. 3. & 4. & 5. de patient. Iob, vbi ait: Audiuit liberorum exitum, & scidit vestimenta, quo naturæ compassionem ostenderet. Nisi enim passus fuisset, fortasse veluti virtutis amator non laudaretur, sed veluti insensibilis damnaretur. Sed passus quidem fuit, vt homo: sustinuit autem veluti amator Dei, &c." Si enim tribus aut quinque diebus quibusdam decedentibus, mulieres et proximi quique id maximè plorant, quod ci to repenteque ab illorum moriens captus est oculis, multo magis hic doluerit, cui non diebus duobus tribusue, aut vno, sed hora vna sic omnes surripiuntur. Porro hanc consuetud. nem lugendi mortuos, quam Iobus pro more regionis hîc seruauit, fuisse priscis etiam ex ipso Iobo capit. 2. patet, & ex Iacobi exemplo Genes. 37. & ex Ieremia cap. 7. ad quem dicit Dominus: Tonde comam tuam, & leua planctum in excelsis. Coma enim ornamentum capitis est. Hanc igitur tondere & abijcere pro luctus signo habebatur. Corruit præterea

rea Iobus in terram: id quod humiliantium se gestus erat, ex cogitatione originis è limo terræ excitatus, itemque adorauit. Deum enim in afflictione etiam venerari decet: nec solùm misericordiam, sed & iudicium ei cantare debet pius, cum Dauide, Psalmo centesimo primo.

3 Tertiò, quid dixerit Iobus. Dixit autem, Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc, id est, in sepulchrũ aut terram. Indicat se quoque paratum mori, tam non erat addictus creaturis vllis: testaturque exteraria illa omnia non esse propria hominis bona. Nemo enim ea secum efferre potest ex mundo, primæ epistolæ Timothe: sexto capite.

Multum autem conducit ad humiliationem, ad contemptum diuitiarum, & patientiam nostram exercendam, originis & finis nostri recogitatio. Deinde agnoscit Iobus Deum omnium bonorum largitorem esse: & in solius Dei potestate positum esse, auferre quæ dederit, non diaboli, non hominum, neque Sabæorum, neque Chaldæorum. Tandem laudat in media cruce Deum, vt æquum est celebrare illum omni tempore, Psalmo trigesimo quarto. Nostrum est imitari patientiam Iobi, iuxta illud Apostoli, Iacobi quinto capite. Exemplum accipite, fratres mei,

afflictionis & patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatos ducimus eos, qui sustinent. Tolerantiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quòd valde misericors sit Dominus ac commiserans. Huius etenim bonitate Iob pro singulis malitia Satanæ ereptis, recepit dupla: quemadmodum sub finem libri Iob scriptum extat: Dominus autem (inquit) nouissimis Iob benedixit, magis quàm principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim milia ouiũ (pro 7000) & sex milia camelorum (pro 3000.) & mille iuga boum (pro 500.) & mille asinæ (pro 500) Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ. Totidem & principio habuit, sicut initium libri indicat. Quomodo igitur, dicat aliquis, verũ est, Dominum addidisse omnia quæ fuerant Iob duplicia: cùm loco decem liberorũ mortuorum nõ viginti, sed duntaxat alios decem addiderit? Latet hisce in verbis egregium mysterium resurrectionis, quam Iobus firmissimè credidit, & verò etiam ore confessus est, cap. 19. Qui autem sub spe resurrectionis dormiunt, etsi nobis videantur esse mortui & extincti, tamen apud Deum viuunt, & ab eodẽ resuscitabuntur. Sciens ergo Iob per fidem se priores decem liberos non amisisse, sed (vt cum Cypriano loquar, in Serm. 4. de Mortalitate) præmisisse, illorũq; mortẽ non fouisse exitium

exitium, sed tantùm ex hoc mundo exitum: non interitum, sed transitum, & temporali itinere decurso ad æterna transgressum, vtiq; nõ perperam dicitur Dominus ei omnia quę habuerat, etiam filios & filias, conduplicasse: & ita Iobum habuisse iamviginti liberos, qui prius non nisi decem habebat. Septem enim filios in cœlo apud Dominum, & septem in terra secum habuit: tres item filias in altero, & totidem in præsenti seculo. Oremus misericordem & omnipotentem Deum, qui Christum Iesum suscitauit ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem & virtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solùm in seculo hoc, verùm etiam in futuro, vt & nos & nostros omnes simul cum eo resuscitet, & simul cum eo sedere faciat inter cœlestes, in Christo Iesu. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis, Amen.

CONCIO XXIII.

Iob 7.

MILITIA est vita hominis super terrã: et sicut dies mercenarij dies eius. Sicut cerruus desiderat vmbram, & sicut mercena

cenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos & noctes laboriosas enumeraui mihi: &c.

1

QVatuor sunt res considerãdæ in quolibet homine: quarum omnium subobscura hîc fit mentio. Prima est, vt cogitemus, vnde simus, nempe ex terra, quæ nostra mater est, Eccl. quadragesimo capite. Altera qui & quales simus, nempe miseri homunculi atque mortales. hîc enim legitur vocabulum אנוש quod nunc afflictum, nũc hominem significat. Tertia, vbi simus, & inter quos, videlicet in militia, inter hostes. Quarta, quò peruenturi, nimirum in requiem, si legitimè certauerimus: sicut & mercenarius ad vesperam quiescit, & operis remunerationem expectat. Vnde Symeon ille iustus, Lucæ secundo capite, lætus de morte iam proxima, & de vicina accersione securus, accepit in manibus puerum Iesum, & benedicens Deum exclamauit & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. quoniam viderunt oculi mei salutare tuum: probans scilicet & contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam

&

& tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa enim est nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas.

2 Qualis aũt est vita hominis tam diu, dum hîc versatur & peregrinatur? Plena ærumnarum, nec dissimilis ciuitati (quemadmodum Melanch. scribit) quæ cincta obsidione vndique acerrimè ab hostibus oppugnatur, & in quam nunc ab hac parte: nunc ab alia hostes irruunt, excitant incendia, euertunt aliqua ædificia, & vix repelluntur. Igitur verè hic Iobus ait, Militia est vita hominis super terram Sic enim habet vetus trarslatio. Quanquàm alij aliter legunt, idq; per interrogationem, ad hunc modum: An non certum tempus habet homo super terram? q. dicat Iob: Tu Eliphaze quidê dicis, afflictis esse statutum tempus afflictionis suæ super terram, sed in hac vita eos iterũ liberari: vbi autem mea quies? Sed paraphrasti chald. vt & nostro interpreti, Militia placet, & septuaginta interpretibus, πειρατήριον. Verè enim vita humana super terram palæstra, seu locus tentatorius est, & schola, seu ludus varię tentationis, 4. Esd. 7. vt varia in omni genere vitæ, quibus obiecti sunt milites, mala, documento sunt.

In cœlo autem summa pax, deiecto ex eo omnium discordiarum architecto dracone, versatur. Apocal 12. Vnde D. Cyprianus præclarè, Cæterùm, inquit, quid aliud in mundo, q̃ pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quàm aduersus iacula eius, & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitijs, cũ illecebris secularibus assidua, & iugis, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus absindit. Cogeris maledicere, quod lex diuina prohibet, compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter zabuli gladios diu stare, cum magis concupiscendũ sit & optandum ad Christum subueniente velocius morte properare, ipso instruente nos & dicente: Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis: seculum autem gaudebit: vos tristes eritis, sed tristitia vestra in læticiam veniet. Quis non ad læticiam venire

nire festinet? Quis non tristitia carere optet? Quando autem in lætitiam veniat nostra tristitia, Dominus denuò ipse declarat dicens: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudiũ vestrum nemo tollet à vobis. Cùm ergo videre Christum gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi cum viderimus Christum, quæ cæcitas animi, quæúe demen tia est, amare pressuras & pœnas & lacrymas mundi, & non festinare potius ad gaudium, quod nunquam positauferri. Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit futura esse, quæ promittit Deus qui verax est, cuius sermo credentibus æternus & firmus est. Si tibi vir grauis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes vtiq; pollicẽti fidem, nec te falli, ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas. Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatẽ pollicetur atque æternitatem, & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere.

3 orrò quoniam vita nostra pugna & certamen est: neq; possit esse victoria (vt idem Cyprianus ait) ac multò minus accipi corona,

nisi præcesserit pugna : videndum erit primùm, qui sint nostri hostes: deinde quib. vtendum armis, postremò quæ proposita prę mia vincentibus.

Hostes sunt, caro, Satan, Mundus. Sic enim scriptum est 1. Petri 2. Dilecti obsecro tanquam aduenas ac peregrinos, abstinete à carnalibus concupiscentijs, quæ militant aduersus animam, & 1. Petri 5. Sobrij estote, vigilate, quoniam aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Item Ioha. 15. Quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus.

Hos necare, non amare, his resistere, non consentire iubemur, Colos. tertio. 1. Iohannis secundo, Iacob. quarto. Matthęi decimo. Galat. primo. Dicit enim per Apostolos spiritus sanctus: Mortificate membra vestra terrestria: Ne amate mundum, neque mundana: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis: Cauete ab hominibus, nam si hactenus hominibus placuissem, inquit Paulus, Christi seruus haudquaquam essem.

Quibus autem armis pugnandum? non carnalibus, sed spiritualibus ac diuinipotentibus, de quibus 2. Corinth. decimo. Ephes. sexto, & in libro Ambrosij de Viduis: maximè verò fide, oratione & vigilijs. In bello enim vigilare solent milites: & si dormiunt, non

non nisi in armis & cum sollicitudine dormiunt. Et quia vigilans apertos habet oculos, vt videat: sic etiam nos videre debemus supra nos, id est, cognoscere Deum & venturum iudicem de cœlo: infra nos, infernum: retro, tempus quod inutiliter expendimus, & peccata quæ commisimus: ante, mortem nostram appropinquantem: à sinistris, dæmones, à dextris, angelos, qui vt scribit Chysost. Tom. 2. pagina ducentesimadecimaquinta, in die iudicij vbiq; discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos qui trudendi sunt in gehennam ignis, ac supplicijs tradendi.

Bona denique militibus christianis proposita, sunt corona iustitiæ ac vitæ. 2. Timotheũ quarto. Apocalypsis secundo, tranquillitas animi, amicitia Dei, resurrectio e mortuis ad splendorem & claritatem gloriæ cœlestis regni, vt ipse Iobus capite decimonono dicit, In carne mea videbo Deum. Is donare nobis velit suam gratiam ac spiritum, vt ab inimicis nostris victoriam reportemus, & ab ipso Domino exercituum ac Duce nostro consequamur prædicta præmia in Christo Iesu,

Amen.

CONCIO XXIIII.

Iob.8.

INterroga generationem priſtinam, & diligenter inueſtiga patrum memoriam. Heſterni quippe ſumus, & ignoramus quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſuper terram: Ipſi docebunt te: loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia.

1

TAm verum eſt nos χθιζοὺς, id eſt, heſternos eſſe, & dies noſtros ſuper terram ſicut vmbram, vt hoc & Baldad amicus Iobi, & noſtri maiores confiteantur. Sed pauci ſunt, qui iſtud conſiderent: alioquin longè aliter ſeſe gererent: & futuram atque manentem ciuitatem quærerent. Filij huius ſeculi quando cogitant ſe eſſe heſternos, ſeu vt vulgò loquuntur übermächtig, valde cautè omnia agunt, præſertim in ſoluendis debitis, in dandis & accipiendis pecunijs mutuis, in conducendis operis, & reliquis contractibus. Hîc enim literas easque obſignatas habere, hîc ſponſores, eosque nonniſi diuites ſint,

sint accipere volunt, &c. Vtinam in rebus ad salutem suam spectantibus filij lucis etiâ prudentes essent.

2 Prudentes autem minimè sunt, sed stultissimi, qui in tali statu viuũt, in quo mori nõ auderent. Quia nunquam habuerunt, neque habent certitudinem vnius horæ præsentis vitæ, nec sciunt tempus, nec locum, nec modum mortis suæ. Audacior est, inquit Augustinus, qui cum vno peccato mortali dormit, quàm qui cum septem hostibus de morte suâ inuicem obligatis confligit.

3 Stulti sunt etiam qui quærunt illud, quod inuenire non possunt, id est, diu viuere: & negligunt quærere, quod facile possunt inuenire, scilicet, bene viuere tam in præsenti, quàm in futuro. Quòd nullus vitam longam hîc acquirere possit, patet ex Iobo. Breuis enim est vita nostra, siue respicias antiquos patres, qui nongentos annos vixerunt, siue æternitatem, cuius comparatione tempus nostrum nihil est, aut hora breuissima. Sed bonam vitam quilibet acquirere potest: quia Deus semper paratus est indulgere, & dare gratiam, vt abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobriè, iustè & piè viuamus in præsenti seculo. Quia nullum spernit, qui venerat peccatores redi-

mere, & ideo expectat, vt misereatur nostri. Tales stulti erant diues ille de quo Lucas duodecimo, & seruus malus, de quo Matthæus 24.

4 Præterea stulti sunt & ignari, qui habent malam vitam, & volunt habere bonam mortem: quia tales non intelligunt, quôd vita mala & mors mala concordant & concomitantur simul. Non potest malè mori, dicit August. qui bene vixerit: & vix bene moritur, qui malè vixit. Cæterùm vt hîc bene rectèque, et illic beatè atque felicin æternum viuere possimus, precabimur Deum patrem, vt nobis largiatur suum spiritum per Christum Iesum, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

CONCIO XXV.

Iob. 9.

DIES mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naues portantes, sicut aquila volans ad escam.

CON-

CONditiones vitæ præsentis sæpe nobis proponuntur, vt in tempore paremus nos ad mortem, & conuersionem nostram non differamus: quod fatuæ virgines faciunt, non prudentes. Manifestè fatuus esset, qui in vitulo caudam quæreret equinam, cum talis cauda non sit de vitulo: Simili fatuitate videtur laborare, qui malam vitam vult ducere, & bonam mortem habere, sicut Balaam, Numeri vigesimo tertio: hoc est, seminare maledictionem, & velle metere benedictionem, quærere bonum finem in vita spinis peccatorum plena, velle colligere ficus de tribulis.

2 Quando aliquis aggressurus est iter, fatua solet esse dilatio: sic quum conuersio, quædam inchoatio sit viæ, quæ ducit ad vitam & in cœlum, fatuum est differre eam: & hoc multis de causis.

Primò, quia breue est tempus, vt scriptum est, primæ Corinthior. septimo. Iobi septimo. & alibi: id quod & præsens lectio ostendit, in qua hominis dies dicuntur velocius currere cursore, præterire ceu rapidæ naues, volare sicut aquila ad escam.

Secundò, quia longa est via. Vnde 3 Regum 19. dictum est Heliæ: Surge, comede: grãdis enim tibi restat via.

Tertiò, à magnis expectamur. Cœtus. n. co-

lestis nos expectat: vnde Cyprianus, Quis non, inquit peregrè constitutus properet in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros patriarchas habere iam cœpimus: quid non properamus & currimus: vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desyderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate solicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quãta & illis & nobis in commune lætitia est? qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quàm summa & perpetua felicitas? illic Apostolorum glorioſus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & passionis victoriam coronatus: triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis continentiæ robore subegerunt, remunerati misericordes qui alimentis & largitionibus pauperum iustitiæ opera fecerunt, qui dominica præcepta seruantes ad cœlestes thesauros terrena patrimo-

patrimonia transtulerunt. Ad hos fratres dilectissimi auida cupiditate properemus, vt cum his citò esse possimus, vt cito ad Christum venire contingat, optemus.

Quartò, stultum est differre conuersionem (sine qua nemo ingredietur in regnum cœlorum, teste Christo, Matthęi decimooctauo,) quia ad magna expectamur, id est, ad regnum, seu paradisum & patriam nostram, de qua modò ex Diuo Cypriano: & Christus ipse Matthęi vigesimoquinto: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi.

Quintò, propter impedimenta, quæ in via possunt accidere. Potest enim locus pœnitentiæ auferri, dum homo nimis diu differt conuersionem ac correctionem vitæ suę, quemadmodum accidit Esau: de quo ita scriptum reperimus Hebræorum duodecimo: Non enim reperit pœnitentiæ locum, tametsi cum lachrymis quæsiuisset eam.

Sextò, ne fortè ianua clausa inueniatur, sicut de fatuis virginibus Matthęus scribit, capite vigesimoquinto: Postea verò (inquiens) veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens ait, Amen dico vobis, non noui vos.

Septimò, quia quando aliquis tardè in-

choat negotium, tunc oportet eum amplius laborare, & in tempore minus idoneo labori. Sic necessarium esset illis, qui vsque ad senectutem differunt conuersionem, vt tunc amplius laborarent. Faciamus ergo (vt Seneca dicit) quod in itinere fieri solet: qui tardius exierunt, velocitate moram compensant: vt cum nouissimis, qui vnam horam fuerunt in opere, parem cum primis accipiamus mercedem, Matthæi vigesimo. Quin imò faciamus quod Apostolus præcipit Ephes. quinto, vbi ait: Βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλὰ ὡς σοφοὶ, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέρα. πονηραί εἰσι. διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες, τί τὸ θέλημα τοῦ κυρίου.

Sapiens igitur est, qui nouit & facit voluntatem Dei, quæ est, vt conuertatur impius & pœnitentiam agat, Ezechiel. decimooctauo. secundæ Petri tertio. Hinc Sirach capite decimooctauo: Ανθρωπος σοφὸς ἐν παντὶ εὐλαβηθήσεται, καὶ ἐν ἡμέραις ἁμαρτιῶν προσέξει ἀπὸ πλημμελείας: hoc est, vir sapiens semper metuit, & peccatorum (id est, huius vitæ in qua peccatur) tempore delicta cauet.

3 Si quis in locum immundum cecidisset, si voluntariè inde exire differret, nónne stul-

ne stultus esset? Cuius enim vestrum Asinus aut bos in puteum cadit, dicit Dominus, & non continuò extrahit illum? Quanta ergo stultitia, quòd homo de peccato, maxima immunditia, differt exire? quanta pusillanimitas, metuere finem vitæ huius miseræ, cuius dies, vt Iobus ait, non viderunt bonum? Stultè quoque ageret, qui magnum bonum, loco mali, sibi oblatum recipere differret: sic valde fatuus est ille, quem Deus vult inungere vnctione gratiæ suæ ad regnum cœleste, si ille differat vnctionem illam recipere, cum ipse sciat, quod Diabolus pro posse suo conabitur impedire eam. Pater noster cœlestis liberet nos ab illo, & det nobis Spiritum suum bonum, qui deducat nos in vitam rectam. Amen.

CONCIO XXVI.

Iob. 14.

HOMO natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in

in eodem ſtatu permanet. Et dignum duxiſ ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es? Breues dies hominis ſunt: numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterũt.

I

HOminis fragilitas deſcribitur ab ortu, progreſſu, & exitu, id eſt, à natiuitate, quæ miſerabilis, à vita, quæ periculis plena, à morte, quæ horrenda eſt, & terribilis, iuxta illud Ariſtotelis lib. 3. Ethic. capite ſexto: Φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος. Mirum igitur, ſi Deus ſuper iſtum, tam fragilem, dignatur aperire oculos. Quid diuinæ maieſtati cum tanta miſeria? Excelſiſſimo potius tam miſera creatura contemptui, quàm curæ eſſe deberet.

Naſcitur enim filius hominis (poſtquam in peccatis conceptus eſt, Pſal. 51.) cum doloribus matris, Gen. 3. Tob. 4. Eccl. 7. & propriis: ſtatim enim flet, Sap. 7. proditq; in terram nudus, Iob. 1. 1. Tim. 6. & immundus. Quis, n. mortaliũ à peccatis purus eſt? Omnes natura filij iræ ſunt, nec vnus excipitur, Eph. 2. Pſal. 14. Deinde paucis dieb. viuit, etiãſi 100 annos aſſequa-

assequatur, imo mille, qui sunt coram Domino tanquam vnus dies. Quid enim sunt tam pauci anni animo adeo vitæ auido, & sua natura immortali, tanq; amanti corporis? Pauci autem dies illi saturi sunt afflictione, vel ira, id est, infirmitatibus, perturbationibus ac ærumnis obnoxij. Animum enim vexant ira, timor, spes, gaudium, tristitia, inuidia, cupiditas, & cæteræ affectiones. Corpus autem obnoxium est morbis plus trecentis, præter incommoda indies accidentia, qualia sunt, fames, sitis, æstus, frigus, & aliæ calamitates, Eccles. 40. Quis enim non ægrotat in hac vita, vt Augustinus loquitur in Psal. 102. enarrat.) Quis non longum languorem trahit? Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est. Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiæ nostræ: quotidiana medicamẽta sunt refectiones omnium indigentiarum. Fames nónne te occideret, nisi medicamẽtum eius apponeres? Sitis nónne te perimeret, nisi eam tu bibẽdo nõ penitus extingueres, sed differres? Reditura, n. est sitis paululum temperata. Temperamus ergo istis fomentis ærumnã ægritudinis nostræ. Stando lassatus eras, sedendo reficeris. Ipsum sedere medicina est lassitudinis: in illa medicina rursus lassaris, diu sedere non poteris. Quicquid est vbi fatigationi succurritur, alia fatigatio in choatur, &c.

Ad hoc probandum pertinet etiamillud Sap. 11. Sitierũt & inuocarunt te, & data est illis de petra abrupta aqua, & sanitas sitis (ἰαμαδίψης) de lapide duro. Deniq; tametsi homo feliciter floreat, & sicut flos egrediatur, potens, diues, sanus, literatus, &c. tamen breui succiditur, idque dum nonsperat, & tempus eius vmbra fugacius auolat.

2 Quid igitur faciendum nobis, cum vita nostra sit tam breuis, misera, & incerta, quasi de pilo pendens? Quærere debemus aliam vitam, id est, æternam: præsentem & momentaneam istam non magnifacere: aut si diligimus hanc miseram vitam, cogitare, quàm vehementer sit amanda beata illa nunquam finienda: item in rebus aduersis non nimiopere tristari, in secundis nõ gaudere nimiũ: cogitare Deum esse veracẽ & iustum, odio habentem peccatum, quia illud puniuit, quemadmodum prędixit, non solùm in primis parentibus nostris, sed etiam in omnibus natis ex Eua, quæ mortalis mortales peperit. Item orare Dominum Iesum, vt nos suo sanguine mundet ab omni iniquitate, & verbo suo gubernet in tota vita nostra, & suo spiritu nos consoletur in hora mortis.

3 Ad quid amplius prodest scire vitam nobis esse aliquando amittendam? Ad humiliationem nostri. Vnde antiqui volentes se humiliare,

miliare, ponebant cineres super capita sua, in memoriam mortis, & quòd in cinerem redigerentur. Prodest etiam ad fugienda peccata, Eccl. 7. ad præstandam eleemosynam, Eccl. 14 Luc. 16. item ad prouocandum & inducendum peccatorem ad pœnitentiam. Nam cum audisset Ezechias rex quòd mori deberet fleuit amarè & orauit. Rex etiã Niniuæ audiens quòd ciuitas subuerti debebat, induit se sacco & egit pœnitentiam. Deniq; cum nos & vita nostra simus non solùm vt flos, sed etiam veluti vmbra (quæ lumine & corpore constat) agnoscamus diem, videamus lucẽ (Ioan. 12. Rom. 13,) in hac vmbra, ne postea seram & infructuosam pœnitentiam agamus, dicentes cum impijs Sap. 5. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarũ iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, &c. Modò dic (vt Augustin. monet in enarratione Psal. 101.) Transibunt omnia tanquam vmbra. & tu non transeas tanquam vmbra. Doceat nos Dominus Deus noster facere voluntatem suam, ne cum mundo & concupiscentia eius transeamus vt vmbra, & pereamus, sed in æternum cum Christo Iesu & omnibus cohæredibus eius maneamus, Amen.

CONCIO XXVII.

Iob. 17.

SI sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermibus. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meā quis considerat? In profundissimū infernum descendent omnia mea. Putas ne saltem ibi erit requies mihi?

1

Ostendit Iobus hisce verbis, rem sibi cū morte esse: q. dicat: Nihil aliud expecto post magnos illos dolores, nisi sepulchrum. Si ergo Iobus sibi memoriam mortis ita proposuit, quum naturam suam mœrore & valetudine debilitatā esse sentiret: quid nos omnes facere debemus? Ille enim 140. annos finita afflictione superuixit: nullus autē nostrum, ne centum quidem annos viuit.

2 Dicit autem sic: Cū expecto, sepulchrū est domus mea, et in tenebris stravi lectūm meum, id est, In hoc seculo nil expecto præter sepulchrum

chrum,& tenebras mortis. Ad perditionem clamaui,vel putredini dixi(ita foueam sepulchralem vocat, quòd in ea humana corpora corrumpantur & putrescant) pater meus es, (spectat terrenam originem, de qua Gen. 3. De terra es.) & ad vermes, mater mea atque soror mea,vos scilicet estis. Vide aũt an non faciens Lecti mentionem, ostendat se sperare resurrectionem.

3 Expendant hæc Iobi verba, gloriantes in mundo de opibus, potentia, pulchritudine, robore corporis, de generis claritate: quis quæso horum parens est,qui frater,& quæ soror? Parens putredo est, mater & soror vermis.Horum consideratio valet contra peccata capitalia, de quibus 1.Iohannis 2. hoc est, primum contra auaritiam,quæ radix est omnium malorum,1. Timoth.6. Facilè enim teste Hieronymo) contemnit omnia, qui se citò credit moriturum: nec multũ cogitat, aut solicitus est de congregandis diuitijs, quas alijs relinquere cogetur, ipso descendente in foueam,Psal.49. Deinde contra superbiam, quæ peccati caput ac initium est, vt Iesus filius Sirachi cap.10.ait. Quomodo enim audes te super proximum tuum extollere, cum super sepulchrum tuum, fortè cras canes calcabunt? Tertiò contra voluptatem carnis, quæ militat aduersus animam, eiusq; mors

est, 1. Pet. 2. Roman. 8. Quare enim sic delicatè nutris corpus tuum, quod breui erit cibus vermium? Nam post hominis mortem tria quærunt auidè sortem: vult vermis carnem, Satan animam, posteritas rem. Et illi tres sic diuidunt hæc tria inter se, quòd quilibet non daret suam partem pro duabus alijs. Hæc cum ita sint, tradamus animas nostras iam nunc, & in ipso articulo mortis nostræ in manus Domini qui redemit eas. Ipsi gloria in secula amen.

CONCIO XXVIII.

Iob. 19.

SCIO quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circũdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Explica-

EXPLICATIO.

I

IOBus fidem suam ac innocentiam manifestaturus, dicit, Ego scio (vita enim æterna est notitia & visio Dei, Ioann. 17.) quòd redemptor meus viuit, & postremò super puluerem surget. Vnusquisque nostrum quoque non putare aut opinari, sed credere ac certò scire debet, testimonium in corde suo sibi dante spiritu fidei, & hoc quidem quisq; pro se (Iustus enim ex fide sua viuet) Sed quid scire debet? Christum esse redemptorem etiam suum, & præter eum nullum alium. Non enim dicit, Scio redemptores meos, sed redemptorem meum viuere, seu esse viuum, id est viuificum ac vitæ fontem, qui primus idem ac postremus viuit, vixit, atque victurus est. Christum autem nostrum propriè deliniat, vt Deum verum, ac hominem verum. Dicit enim illum viuere, & vitam suis largiri, quod diuinitatis est. Hinc Iohannes, In ipso vita erat: vocat item eum redemptorem ac vindicem, quali munere propinqui & cognati fungebantur, vt ex Leuitico patet: in quo eum hominem esse agnoscit, humanæ naturæ consortio nobis propinquum & cognatum.

Præterea inquit: super puluerem seu terram stabit, id est resuscitabit, vel ipse in carne resurget, vt primogenitus mortuorum: quia & ipse resurrexit, & fiduciam nobis resurgendi fecit. Non autem de terra surrecturum dixisset Messiam Iobus, nisi eum moriturumquoque agnouisset. Porrò si Messias mortuus est, hominis filius fuit: si resurrexit, Dei filius. Math. 17. Rom. 1.

2 Sed quid præstat electis resurrectio Christi? Resurrectionem Christi sequitur hominum resurrectio, 1. Cor. 15. Vnde Iobus ait: Et rursus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Vel vt Hebræus habet, Postquam consumpserint pellem hanc, vermes scilicet, hoc est, licet computrescam nunc totus, tamen scio postea hoc ipsum corpus meũ circundatum iri mea cute, & me ex meo corpore visurum esse Deum, facie ad faciem, sicuti est, lumine gloriæ perfectè, 1. Corint. 13 1. Ioan. 3.

3 Quem ego videbo mihi, & oculi mei visuri sunt, & non alius: defecerunt renes mei in sinu meo; id est, hæc futura sunt, etiam si renes mei intra me defecerint: ego ipse visurus sum Deum in hoc corpore, quod nunc gesto & non alio, hisq; oculis, & non alijs, quáuis nunc conficiar. Vt enim Christus resurrexit in eodem corpore, quo sepultus est: ita & nos in eo-

stitiam operari, coguntur multas tribulationes & persequutiones pati: quo modo vaticinatur? Non enim inquit, perpetuò obliuioni dabitur pauper, id est, Christus Dominus recordabitur illius in regno suo, vt Latronis, Luc. 23. & spes, seu patiens expectatio afflictorum cõperietur tandem non fuisse inanis.

3 Quia verò, sicut mali punientur, ita boni præmio afficientur, & quia hoc est desiderabile iustis, ideo petit Dauid, Exurge Domine, vt non inualescat homo, iudicentur gẽtes coram te, id est, reprimantur & arguantur coram te, qui coram hominibus & corá mundo volunt videri, quasi iustè opprimant pauperes, qui nullum aliunde quàm à te habent auxilium.

4 Postremò orat: Constitue Domine legislatorem super eos: vel, incute illis timorem, vt sciant gentes, quoniam homines sunt, id est, miris modis miserabiles. O quám bonum esset, vt quisque nostrum quoque sentiret ac cognosceret se esse hominem, hoc est consideraret, vnde nam exiſtat, qualis & vbi sit, et quò tandem peruenturus. Vtinam vero omnes ad agnitionem veritatis & in vitam æternam veniamus per Christum Iesum Dominum nostrum ac seruatorem, Amen.

CONCIO XXXII.

Psalm. 13.

RESPICE & exaudi me Domine Deus meus: Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte. Ne dicat inimicus meus, prævalui. Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero.

1

TErribilis est mors corporis, sed multo terribilior mors animę, omnium autem terribilissima mors æterna, quæ & secũda vocatur, & somnus sempiternus, Apocal. 20. Ierem. 51.

Vt liberemur à corporali morte, non orandum est. Ea siquidem nos omnes manet, Hebr. 9. & sæpe dies mortis illius, melior est die natiuitatis, Eccles. 7.

Sed vt custodiat nos Deus à morte ista, qua anima separatur per peccatum à Deo fonte vitæ, & ea qua totus homo abijcitur à Deo & eius regno in mortem gehennæ, indesinenter orandum est cum Dauide, qui hîc ita precatur.

2 Respice & exaudi me Domine Deus meus,

meus, illumina oculos meos, ne obdormiam in morte, id est, ne moriar in infidelitate, quæ me tentat: ne oculi cordis mei per peccatum claudantur: ne moriar morte mortalis culpæ, & per consequens morte gehennæ, hoc est æterna, fractus impatientia & desperatione sub tanta tribulatione: Ne cum mihi obuiam eundum est domino vocanti me ex hac vita, dormiens reperiar, sed vigilans, vt beatitudinem consequar, Math. 24. Apoc. 16.

3 *Respice.*) inquit, oculo scilicet misericordiæ tuæ: quo etiam Petrum respexisse legimus, Luc. vigesimo secundo. Sic autem orando fatetur Dei faciem à se auersam fuisse: idque ob turpitudinem peccati, ac iusto Dei iudicio.

Et exaudi me.) liberando scilicet à tanta tribulatione.

Domine) per omnium gubernationem.

Deus) per creationem.

Meus) per verum cultum & fidem.

Illumina) lumine consolationis tuæ, vt cognoscam veritatem: in cuius cognitione vita æterna sita est, Iohannis decimo septimo, Hæc autem dicendo confitetur tenebras suas, vt Psal. 18. & centesimo decimo nono: vbi ait Deus meus illumina tenebras meas: item: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia in lege tua.

Ne morte obdormiam.) ne forte obrepat somnus mortis.

Ne dicat inimicus meus.) id est, diabolus, de quo 1. Petri 5. vel consuetudo carnalis, quæ militat aduersus animam.

Prævalui aduersus eum.) quod fit, quando mouetur homo, id est, deijcitur à morte culpæ in mortem gehennæ: de quo exultant dæmones: vt contrà angeli Dei exultant atque gaudent super peccatore resipiscente, Lucæ 15. Concedat nobis omnibus Deus opt. Maximus pœnitentiam ad vitam pro sua benignitate, vt non solùm coram angelis Dei super nobis gaudium sit in cœlis: verùm etiam cor nostrum gaudeat atque gestiat ob salutem nobis à Deo allatam per Christum Iesum, Amen.

CONCIO XXXIII.

Psalm. 18.

LAVDANS inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaue-

cupauerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo suo vocem meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.

1

QVid faciendum sit pijs in omni tentatione ac tribulatione, quidque illa superata, docet hoc loco Dauid, qui typus fuit Christi Iesu, adeoq; omnium membrorum eius. Vocat autem tribulationes varijs nominibus. Primò vocat eos inimicos scil. corporales & spirituales. Deinde dolores, vel lora mortis, id est, tentatiões mortis, quæ 2. Reg. 22. vocantur contritiones, quòd cor vitæ sedem frangant. tertiò torrentes Belijaal, id est, iniquitatis, vel congregationes improborum & Satanæ, vel persequutiones tyrannorum, quæ inundationi aquarum cõparantur, citò desiturarum. Quartò dolores inferni, vel lora orci, hoc est, iudicij Dei, & iræ eius ob noxam accensæ: postremò laqueos mortis, sumpta metaphora à laqueis quibus capiuntur aues, è quibus se explicare nequeunt.

2 Quid ergo agendum his nos circumdantibus ac conturbantibus? Orandum ad Do-

minum idque in spiritu & veritate, in fide & nomine Iesu Christi, & clamandum ad Deum nostrum, non ad creaturas. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt eum, dicit Apostolus Rom. 10. in quem non credide runt? Quomodo autem credent in eum, de quo non audiuerunt? Ergo in mortis quoque agone homo nihil melius facere potest, quá laudando inuocare Dominum, id est, gratias agendo de gratia data, & de superioribus liberationibus, orare Dominum, vt liberetur à præsenti tentatione. 2. Corinth. 1.

Cæterum in inuocatione duo cernuntur: Alterum Dei cognitio est: qua cognoscimus Deum & velle, & posse, ac nosse nos à malis asserere: alterum, nostrę infirmitatis atq; miseriæ notitia est, qua intelligimus à peccato, ac varijs calamitatibus, quas caro, mundus, & princeps mundi Satan imponit, miseros nos esse, atque ita diuina ope habere opus.

3 Porrò quis sit exitus inuocationis, & quid requiratur à nobis, his verbis ostenditur, Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero: item illis, Exaudiuit de templo suo, hoc est, cœlo diuinitatis, vocem meã: & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius: nimirum liberatio, et gratiarum actio ad amplificandum nomen Seruatoris

institu-

instituta. Ita Dauid inuocauit Dominum & liberatus est: ita Christus, item latro in cruce, & cæteri fideles. Omnium enim piorum in terra oppressorum clamor per nubes in cœlum vsque, ad solium diuinæ clementiæ penetrat & exauditur: estque horum oratio, vt Augustinus loquitur, quasi clauis cœli. Dominus & magister noster Iesus Christus doceat nos omnes quoq; orare. Amen.

CONCIO XXXIIII.

Psalm. 32.

BEATI quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

1

QVoniam nihil est aliud, quod nos à Deo separat, quá peccatum Ies. 59. Sapiēt. 1. meritò beati pronuncian-tur illi, quibus suum peccatum remissum est, quia solummodo illi participes beatitatis & gaudij dominici erunt. Ergo, si sapimus, co-nemur omnes remissionem peccatorum cō-

sequi. Hæc enim est beatificatio hominis. Romanorum 4.

2 Vt autem quis certus esse queat, vtrum sit de numero saluandorum, id est, eorum quibus remittuntur peccata, interrogare debet seipsum potissimè de sex rebus: primò, an omnia credat quę docentur in ecclesia ex verbo Dei, & proponuntur ad credendum omnibus Christianis, & præcipuè duodecim articulos fidei: & an gaudeat de hoc quod speret se moriturum in vera fide catholica. Nam qui non credit, condemnabitur, Marci vltimo.

Secundò, an recognoscat, quòd peccando sæpius creatorem suum offenderit cogitatione, locutione, opere, & omissione. Scio enim (inquit Bernhardus super Cant.) neminem saluari absque sui cognitione: de qua nimirum mater salutis, humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipse sicut initium sapientiæ, ita & salutis est.

Tertiò, an doleat de hoc quòd Deũ sæpius offendit peccando, non ex timore mortis, vel pœnæ inferni, vel extremi iudicij, sed doleat ex charitate qua tenetur Deum super omnia diligere. Pœnitentiam enim certam non facit, ait Augustinus, nisi odium peccati, & amor Dei.

Quartò, an proponat vitam suam emendare

in eodem(sed renouato, vt Paulus docet) resurgemus. Id circo quidam in symbolo signãter dicunt, Huius carnis resurrectionem. Potest & sic legi versus ille, vt intelligamus electos filios, id est, fideles, nõ alienos, quos Dominus non nouit, visuros Deum: iuxta illud Dan. 12. Et in tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro, & multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternã, alij in opprobrium. Aut Iobus ita voluit dicere: Non prius videbo Deum, quàm defecerint renes mei in me, id est, quã vetus homo mortuus fuerit cũ concupiscentia sua. Atque hoc est, quod apud Mosem legimus Exod. 33. Deum dicere: Non videbit me homo & viuet. Adsit nobis Spiritus Dei sanctus, cuius virtute carnem cum cõcupiscentijs suis mortificemus, & cor mundũ adipiscamur, vt possimus verè viuere, & videre Deũ lumine gloriosæ beatitatis in Christo Iesu, Amen.

CONCIO XXIX.

Iob 30.

TRACIO quia morti trades me vbi constituta, est domus omni viuenti. Veruntamen non ad consumptionem eorum e-

mittis manum tuam, etsi corruerint, ipse saluabis.

I

HÆc verba Iobi probant quoq; verum esse illud Augustini, morte nil certius, incertius nihil hora mortis. Dicit enim Scio quòd in mortem conuertes me, atq; in domum quæ debetur omni viuenti. Nihil autem de hoc dicit, quando vel quomodo, vel vbi Dominus eum sit traditurus morti. Certa autem fuit non solùm Iobi mors, sed & omnium filiorum Euæ, quæ mater est viuẽtium, Genes. tertio capite. Omnibus enim illis ex vita ista discedendum est, tanquam ex hospitio seu diuersorio, & eundem in domum æternitatis suæ, vt Ecclesiastes capite duodecimo loquitur. Vnde Iobus ait, Et in domum deputatam omni viuenti (scilicet conuertes me) hoc est, in sepulchrum, Iob. decimo septimo. Periphrasis enim sepulchri est, Domus testimonij (vt Hæbreus habet) seu domicilium paratum omni viuenti. Græcus legit: οἰκία γὰρ παντὶ θνητῷ γῆ.

Sequens versus eundem ferè sensum habet cum inquit: Certè in tumulũ non mittet manum, cum in inreritu eius tolletur clamor, id est, Deus neminem liberabit à morte omni viuen

viuenti deputata ac destinata, diuina hac sententia in peccatum semel lata, In puluerē reuerteris: nec poterunt preces aut diuitiæ hominem liberare, vt non fiat mancipium mortis. Quidam enim exponunt שׁוע pro clamore, alij pro opibus.

2 Sunt tamē qui sic interpretentur hos duos versus, Futurum scio, vt me mors, & cunctis destinata mortalibus domus recreet. Et certè non afferet ille manū tumulis, carebuntq; quos dederit exitio, querimonia. quasi dicat, Quamuis sciam, mortem, & paratum viuis omnib. sepulchrum me euitare non posse, vna tamen consolatio est, quòd post mortem in sepulchro affligere cessabis, & erit clamori illi maximo finis. Sperauit igitur Iobus post tenebras lucem.

3 Notandum autem, quod dicit sepulchrū esse domum paratam & destinatam à Deo omni viuenti, videlicet animali vita, in quam primus homo è terræ limo fictus est. Ergo nullæ diuitiæ, nulli honores, nulla ars, nullū robur à morte nos liberare potest. Nemo igitur his rebus nitatur: sed spem suam ponat in solo Deo τῷ ζῶο ποιοῦντι τὸις νεκρὸις, καὶ καλοῦντα τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα, Ieremiæ capite nono, Roman. 4.

4 Cæterùm si cunctis semel destinata mors

obeunda est, adeoque & iustis: quæritur ob quas causas moriendum eis, cum tamen ipsis remissum sit peccatum, per quod mors intrauit in mundum? Ad hanc quæstionem aliàs responsum est. Fit enim hoc propter reliquias peccatorum in carne, Rom. 8. propter corruptionem corporis, quæ non accipit hæreditatem incorruptibilitatis, 1. Corinth. 15. Ioan. 12. vt melius appareat gloria & potentia Dei, Ioan, 11. vt fides sanctorũ probetur & eorum felicitas terrena & tẽporalis esse non putetur, si viui in hoc seculo permanerent. Det nobis dominus Deus spiritũ suum sanctum, vt propter ipsum inhabitantẽ in nobis viuificentur mortalia corpora nostra, nec deinceps moriantur in æternum, Amen.

CONCIO XXX.

Psalm. 6.

REVERtere Domine, & eripe animam meam: Saluum me fac propter misericordiã tuam Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis gratias aget tibi?

Quid

I

QVid nobis in hac misera & incerta vita, priusquàm moriamur, agendum, & præsertim in angustia positis, vel ægrotantib. nobis, docet hic regius propheta Dauid. Est enim orandum, vt sæpissimè monet Scriptura, vt Psal. 50. Ecc. 38. Iac. 5. quemadmodũ & Christus docuit, cùm verbis, tum exemplo suo, Luc. 11. 21. 22. 23. Quis orandus? Dominus Iehouah. Pro quo? potissimũ pro animabus nostris. Quid petendũ? conuersio vel reconciliatio, liberatio & salus. Quomodo? fide. Quare? vt Deus celebretur. Sic enim Dauid. Cõuertere Domine, h. e. qui iam es auersus à me, & quem mihi aduersum mea fecit auersio, ita vt iam nihil videam nisi furorem, nihil sentiam nisi iram tuã, reuertere ad me, vel conuertere scilic. de rigore iustitiæ ad dulcorem misericordiæ: vel fac me ad te perfectè cõuerti: ego. n. experior ac sentio difficultatem in mutatione veteris vitæ meæ. Et eripe animam meã, à mortis scilicet & inferorũ angustia futura, nõ præsenti tantùm afflictione: animam meam, inquam, peccatis nimirũ ligatam, & in sua conuersione hostib. multis impeditam. Salua me, non propter meritum meum, aut iustitiam meam, cum iniquè egerim, & damnatio mihi debeatur, sed propter pietatem & misericordiam tuam.

2. Ratio, cur festinet hîc deprecari furorem, & precari remissionem peccatorum: Quoniá non est memoria tui, scilic. fructuosa, in morte, hoc est, post mortẽ: & in inferno quis confitebitur tibi, id est, gratias aget? q.d. nemo. Sic enim idem Vates inquit Psal. 30. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionẽ? Nunquid gratias aget tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam? & Psal. 88. Nunquid mortuis facies mirabilia? aut mortui resurgent, & confitebuntur tibi? Sela. Nũquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis? & 115 Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum: Sed nos (qui viuimus) benedicimus Domino: ex hoc nunc & vsq; in seculum, Haleluia. Sic etiam rex Ezechias inquit Esa. 38. Tu autem eruisti animam meam vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea, Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam. Viuens viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie. pater filijs notam faciet veritatẽ tuam. Idẽ ait Sapiens Ecc. 17. Ἀπὸ νεκροῦ ὡς μὴ ὢν τῷ ἀπόλλυσθαι ἐξομολόγησις· ζῶν καὶ ὑγιὴς αἰνέσει τὸν κύριον.

Ex his

Ex his verbis colligitur, nunc esse tempus conuersionis: quia cum ista vita transierit, nō restat nisi tempus retributionis, Luc. 16. item eorum esse qui seruari volunt antequam moriantur & sepeliantur, meminisse Dei, eumq; confiteri, iuxta illud Eccl. cap. vlt. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent, &c. Porrò D. Augustinus per mortē peccatum, & per infernum animi cæcitatem quoq; intelligi posse affirmat. In peccatis enim mortui non laudant Deum. Liberet nos à peccatis & omnibus malis ille qui iustificat impium, & iustificatis dat vitam æternam per Christum Iesum, Amen.

CONCIO XXXI.

Psalm. 9.

CO Nuertantur impij in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum. Quoniam non in perpetuum obliuio erit pauperis, spes pauperum non peribit in æternum. Exurge Domine, non confortetur homo, iudicentur gentes in cōspectu tuo.

Constitue Domine legislatorem super eos vt sciant gentes, quoniam homines sunt. Sela. 1

QVid futurum sit de impijs & de pijs hominibus, docent isti versus Psalmistæ. Nam impij retrolabentur in tartara, inquit. Qui vero impij sint, statim exponit, quum ait: Omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum, id est, qui neque Deum neq; verbum eius curant: quique Deum non nouerunt (vt Pauli verbis vtar 2. Thessalonic. 1.) & Euangelio Domini nostri Iesu Christi nō obediunt, qui pœnam luent interitum æternum. Possunt hæc verba prophetica de impijs dicta, etiam intelligi quasi sint precatio, ac si diceret Dauid: Mittantur peccatores in tribulationem maximam, vt resipiscant: vel viui absorbeantur à terra, quemadmodum Core, Dathan, & Abiron, de quibus Num. 16 Sic etenim idem vates imprecatur contra blasphemos ac impios, Psal. 55. Veniat mors super illos, & descendāt in infernum viuentes. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. Siquidem indigni sunt hac vita, qui vitæ autorem non agnoscunt.

2 De pijs aūt, quos pauperes, egenos & humiles vocat: nā ipsi se agnoscunt & humiliāt, & quia piè viuere volūt in Christo Iesu, et iustitiam

dare & amplius nunquam velle scienter peccare: sicut Dominus dicebat adulterę, Iohan. 7. Vade & posthac ne peccaueris.

Quintò vtrum omnibus inimicis suis, qui eum offenderunt verbis vel factis ex cor de indulserit (hoc enim omnino necesse est, vt videre licet Mat. quinto, sexto & decimo-octauo, & Ecclesiast. 28.) & num paratus sit ablata bona restituere proximo, & denigratam famam reuocare.

Sextò, an credat & gaudeat de hoc, quòd peruenturus sit ad vitam æternam, non propter sua merita, quæ nulla sunt respectu vitæ æternę: sed propter meritum passionis domini Iesu Christi: in quo merito consistit omnium hominum salus. Ipse enim agnus Dei est, tollens peccatum mundi, Ioan. 1.

Ista sex si quis in se inuenerit, securè mori poterit & salutem consequi: quam vtinam & nos cõsequamur per Christum Iesum, Am ẽ

CONCIO XXXV.

Psalm. 39.

NOTVM fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis sit, vt sciam quod ego esse desinam.

1

QVod orat ac dicit Psalmographus, Ostende mihi Iehouah meum exitum, & quis ætatis meæ sit modus, vt sciam quàm sim longeuus, non fauet fictis illis reuelationibus, & mendacibus antichristianisq; miraculis. Homo enim nescit finem suum, teste Ecclesiaste, cap. 9. sed cum natura semper speret longam vitam, cum reuera sit breuis, petit sibi hanc breuitatem ostendi: quam licet etiam caro fateatur experientia aliorum docta, tamen in sese ignorat, vt ille diues, Luc. duodecimo. Hinc immergit sese bonis huius temporis, ac ita securè viuit quasi nulla alia sit vita post hanc vitam. Rectè igitur ille sic precatur: Herr lehre mich / das ein end mit mir haben můss / vnnd mein leben ein zeel hat / vnnd ich dauon můss. Vel, vt alij vertunt: vt sciam quid desit mihi: & vt Eobanus Hessus reddidit:

Colligere vt possim quid in hoc mihi desit agenti
Corpore, quando illo deficiente cadam.

Nam, quemadmodum Augustinus scribit, Qui nescit quid sibi desit, nescit etiam quid sibi adsit. Neque igitur tam sis securus, ait idem, ex eis quæ transisti, quàm solicitus pro eis, ad quæ nondum peruenisti. Quæ retrò, inquit Apostolus Philip. tertio, oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundum intentionem se-

nem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Ipse est enim finis.

2 Ad quid igitur prodest cogitare hanc vitam esse breuem, nobisque aduenis in terra moriendum esse, cum pro hac re, tanquam pro magno & diuino dono, sic oret Dominum vates: & secundum Platonem attestante Hieronymo, omnium sapientum vita meditatio sit mortis?

Primùm prodest ad fugandum exercitum vitiorum, vel saltem terrendum, Ionæ 3. vt enim latrones timent iudicis aduentum, sic vitia mortem, Ecclesiast. septimo, & sicut iumentum cauda se defendit à muscis, sic homo à vitijs consideratione mortis.

Deinde ad contemptum mundi. Facile enim contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum, ait Hieronymus: probatur hoc exemplo Esau, Genes. 25. qui dicebat fratri suo Iacobo, En morior, quid mihi proderunt primogenita? In morte arguitur vanitatis (vt Ecclesiastes testatur capite vndecimo.) omne quod est in mundo, de quo primę Iohannis secundo, Concupiscentia oculorum in hoc, quod homo nudus reuertitur in terram, Iobi primo, Concupiscentia carnis in hoc, quod corpus in delitijs nutritum efficitur cibus vermium. Postquam enim priuatum fuerit anima, fit cadauer, id est, caro

datur vermibus, Ecclesiast. 10. Superbia vitę in eo quòd ille qui volebat esse super homines, ponitur sub infimo elemento.

Tertiò, ad sui contemptum. Facit enim quòd homo cognoscat se quasi per resolutionem. Et hoc est quod Dauid orat, Psalmo 9. Vt sciant gentes quoniam homines sunt, id est, de humo, adeoq; miserrimi.

Quartò, valet memoria mortis ad hoc, vt homo prudenter ac rectè se regat in via præsentis vitæ, Psalmo nonagesimo: sicut aues cauda se regunt volando, & pisces natando: sed & is qui vult nauem regere ac gubernare, ponit se in fine nauis.

Quintò, ad temperandam præsentem lętitiam, sicut & alia mala pœnæ. Est enim mors amara. At malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ, vt in Siracide legimus cap. 41. & 11.

Sextò conducit adhoc, vt homo rectè iudicet de præsenti vita & futura. Vtranque enim videt, quia meditatione mortis inter vtranq; se quasi medium ponit.

Vltimò, ad ferendum patienter afflictiones. Vnde Apostolus, primæ Corinthiorum septimo, Tempus, inquit, contractum est, super est, vt qui plorant, sint, tanquam non plorent. Quare? Præterit enim habitus huius mun-

ius mundi. Faxit Dominus vt ita quisque noſtrûm meditetur mortem ſuam, vt non lædatur à morte ſecunda, ſed hac deuitata ab illa tranſeat in vitam æternam per Ieſum Chriſtum, qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, Amen.

CONCIO XXXVI.

Pſalm. 39.

ECCE *ſicut menſuram palmi poſuiſti dies meos, & tempora mea ſicut nihilum coram te. Quam nihil niſi vanitas omnis homo viuens? Sela. Eheu quàm ſicut vmbra pertranſit homo, & quàm vanè ſolliciti ſunt? Colligit & ignorat quis ſit ea congregaturus? Et nunc qua eſt expectatio mea Domine? In te ſperabo. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, in opprobrium inſipienti ne ponas me. Obmuteſcam, & non aperiam os meum, quoniam tu facies.*

1

MVltum loquitur Scriptura de breuitate huius vitæ: quam vt sæpe considerare possimus, orandus est Deus, exemplo Dauidis & Mosis, Psalmo trigesimonono & nonagesimo. De hac autem ita hoc loco inquit Dauid: Ecce posuisti veluti palmi spacium (id est, fecisti breuissimos.) dies meos. Palmus enim mensura breuis est. Et æuum meum quasi, vel, ferè nihil est respectu tui, siue apud te. Nam quod modicum est, quasi nihil reputatur. Et vtique vniuersa vanitas est omnis homo (cum adhuc) existit: vel, omnis homo securus vel viuens: seu omnis hominis natura. Sela. id est: ita res habet. Siquidem in imagine, hoc est, in vmbra mortis, vel in tenebris, perambulat homo, id est: imaginariam vitam ducit homo, & pertransit sicut vmbra. Et vtique in vanum tumultibus sese ingerunt, hoc est vane & sine fructu solliciti sunt. Coaceruat, & tamen nescit quis ea congregaturus sit ad se atq; percepturus, Luc. 12.

2 Cum ergo defectus humanæ fragilitatis tantus sit, quid faciendum est? De solo Deo confidendum. Ideo inquit, Et nunc quæ est expectatio mea Domine: In te sperabo. Si enim omnis homo nihil nisi vanitas: nemo nec

mo nec in seipso, nec in alio homine spera-
re debet, Ierem. decimoseptimo. Psalm. cente
simoquadragesimosexto. Porrò si ipse homo
uanus est, ergo & illius cogitationes, opera,
studia, Psalmo nonagesimoquarto, & vita,
quia momentanea, siue ipse sit pauper, siue
diues.

3 Ac quoniam in omnibus vanitatibus ni-
hil vanius est peccato, quia vanum reddit
hominem, & vacuum à gratia Dei & bene-
dictione, idcirco ante omnia orat Dauid: Ab
omnibus iniquitatibus meis erue me: in op-
probrium insipienti ne ponas me. Vel, vt
vetus interpres legit: Opprobrium insipi-
enti dedisti me, id est, Semei mihi maledi-
centi. Obmutui (patienter sustinendo) & nō
aperui os meum: quoniam tu fecisti, hoc est,
præcepisti vt malediceret mihi, 2. Regum de-
cimosexto, & ad exercendam patientiam
hæc immisisti mihi. Deus patientiæ & con-
solationis det nobis spiritum suum bonum,
qui nos quoque patientes efficiat, ne per
impatientiam pereamus, sed in patientia
animas nostras possideamus per
Iesum Christum,
Amen.

CONCIO XXXVII.

Psalm. 39.

AMOue à me plagas tuas: à castigatione enim manus tuæ ego defeci. Dum castigas hominem propter iniquitatem, facis tabescere, sicut tineam pulchritudinem eius, Eheu quàm vanitas omnis homo? Sela. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe, & ad lachrymas meas ne sileas, quoniam aduena ego sum apud te, & incola sicut omnes patres mei. Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.

I

POtest psalmus iste exponi de quolibet fideli existente in afflictione temporali pro peccatis suis, & qui sustinet eam patienter, atque confidens de diuina misericordia, ipsam implorat deuotè & instanter. Postquam autem orauit Dauid pro sanitate animæ suæ, inquiens, Ex omnibus meis

meis delictis libera me: orat iam etiam pro salute corporis, aiens, Aufer à me plagam tuam vel vulnus tuum, id est, pœnas istas à te mihi inflictas, quarum grauitas allegatur, cum subditur: ab ingraueſcẽte manu tua deficio: quasi non potens, vel saltem cum difficultate sustinere. Dum castigas hominem increpationibus, facis tabescere tineæ more (quæ peredit lignum) pulchritudinem eius. Succus enim carnis & robur corporis per infirmitatem consumuntur haud secus, quàm vestis à tinea. Fatetur hìc punitionem, licet dura sit, tamen esse iustam. Ergo vanitas est omnis homo, Sela: adeò friuola res est, quisquis fuerit homo, & est, & erit: id quod singulis perpendendum, ne superbiamus.

2 Hæc cum ita sint, inuocandus est Deus cum Dauide dicente, Exaudi orationẽ meam Domine, & clamorem meum auribus percipe, & ad lacrymam meam ne taceas, hoc est, ne dissimules audire te (de fletu autem Dauidis in persecutione legimus, 2. Reg. 15.) Quoniam aduena ego sum apud te, & incola, sicut omnes patres mei: Hoc dicit, quia erat fugitiuus de sua ciuitate regia. Sumus autem & nos omnes peregrini & inquilini, dum versamur in his terris, quia in exilio, & non in patria sumus: quod vtinam consideraremus, vt supernacuraremus, non terrena. Cæterùm fideles

peregrini quidē sunt, quia nondum ad illam patriam domumq; venerunt, sed tamen non cum diabolo sunt, vt multi peregrini, verùm apud Deum sunt (cui & semper placere contendunt, 2. Corin. 5.) id quod illis summo est solatio. Nam ita Dominus Iesus illis dicit: Luc æ 10. Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.

3 Vt verò hinc migrare possimus cum gaudio, oremus insuper, vt iterum Dauid orat, dicens, Remitte mihi, sc. culpam & pœnam: vel desine à me, qualis iam videris mihi, relaxa me, vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero. i. antequam ex hac mortali vita decedam, h. e. vt consolatione spiritus accepta, agnoscam te beneficum patrem, quem iam sentio terribilem iudicem: & certa in te fiducia ponam spiritum meum. D. August. ita hunc locum exponit, q. d. propheta: Quid ergo restat vt petam, quia hinc sine dubio migraturus sum, quia peregrinus, sicut patres mei, qui & ipsi migrauerunt. Immunem fac me à peccatis priusquam eam, ne cum peccatis eam. Remitte mihi, vt requiescam in conscientia mea, vt exonerata sit æstu solicitudinis: qua solicitudine curam geram pro peccato meo. Dominus Iesus, qui est sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech perfundat nos oleo lætitiæ, ne lampades nostræ extinguan

tinguantur, sed ita luceãt & ardeãt, quò & credere & cognoscere possimus, quòd ipse sit Christus filius Dei viui, ne moriamur in peccatis nostris, sed in æternum peripsum & apud ipsum viuamus, Amen.

CONCIO XXXVIII.

Psal. 82.

EGO dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.

1

Duo sunt, quæ Deus in his duobus versib. dicit de iudicibus & magistratibus: quæ certè obseruanda sunt diligenter: id quod vel ex eo cernere licet, quòd bis idem inculcat, etsi diuersis verbis. Quid enim discriminis est inter deos & filios altissimi? item inter mori, & cadere, scilicet in foueam, seu πῶμα, id est, cadauer fieri?

Primum est, quod magistratus & iudices (etiam reprehensi à Deo) vocantur Dij, i. diuinum officium sustinẽtes, defensionẽ iustitiæ & pacis, quæ sunt bona diuina, propter quæ titulũ suum Deus impertit magistratib. quia vult eos hæc bona secũ impertire populis: nõ

quòd diuinitas in illorum personis, sed primùm in Deo, cuius vices gerunt, deinde in ipsa iudicandi & imperandi maiestate, tertiò in vtilitate quoque & necessitate potestatis ac muneris huius, consideranda veniat. Vide Exodi caput septimum & vigesimum secundum, Ioannis decimum, nec non Genes. caput. 1. Vbi Adam propter dominiũ terræ ad imaginem Dei conditus scribitur. Si autẽ principes ac iudices verbo ac iussu Dei in sublimitate constituti sunt, non debent illi quidem Dei verbum contemnere: nos autem neque illos reprobare, sed potius eis obedire debemus.

2 Alterum est, quòd ait: Vos autem moriemini & cadetis. Quomodo? vt Adam (vel sicut homines) & vnus de principibus. Iterum idem bis dicit: fortè etiam propterea, quód sicut duo sunt genera filiorum Dei, verum & falsum, Ioh. octauo, sic etiam duplex mors & casus: alter preciosus, alter pessimus. Quibusdam enim cadentibus Dominus supponit manum suam, ne collidantur, psal. 37. alijs nõ item, velut impijs, qui corruunt in malum, Prouerb. 24.

Cæterùm si iudices & magistratus morientur, sicut Adam, vtique mortales sunt, & vita eorum ab vtero matris non est nisi cursus ad mortem. Quàm primum enim Adam peccauit,

uit, statim cœpit mori, nec vnum diem vixit: quia non vixit mille annos qui coram Domino sunt, testantibus Dauide & Petro, vt vnus dies. Et, si morientur more hominum: ergo partim feliciter, partim infeliciter. Vt enim vita hominum diuersa est: sic eorundem post hanc vitam diuersus status erit, Lucæ decimo sexto. Et quoniam homines alij naturali, alij violenta morte moriuntur, 1. Reg. 26. alij rursus subitanea, alij lenta, omnes tamen illis incerta, quò ad horam, locum, tempus, &c. ergo & magistratus.

3 Hæc cum ita sint, illorum est meminisse, se propter suam potestatem non immunes esse à morte, vt Alexander putabat, sed mortales, vt Philippus se quotidie moneri à quodã curabat. Item non superbire, sed à peccatis desistere, Sirach, 10. 7. Ion. 3. Nostrum autem in illis non confidere, Psalm. 146. nec illos ob suam potestatẽ beatos esse existimare, vt Damocles Dionysium putabat: sicut Cicero meminit Tusc. quæst. 5. Vera enim beatitas est credere euangelio: per hoc etenim gignimur filij Dei, & reddimur hæredes Dei, 1. Cor. 4. Ioan. 1. Rom. 8. Hoc enim docet fidem, per quam filij excelsi: & dilectionem, per quam dij sumus. Dominus Iesus nobis fidem adaugeat, & diuini fraterniq; amoris ignem in no

bis accendat, propter suam bonitatem & misericordiam, Amen.

CONCIO XXXIX.

Psal. 90.

DOMINE refugium tu factus es nobis, à generatione in generationem. Priusquã montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à seculo & vsq; in seculum tu es Deus. Qui redigis hominem ad nihilum, & dixisti, reuertimini filij hominum. Quoniã mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit, & sicut vigilia nocturna.

1 OMnium est, vt seipsos, & Deum probè cognoscant: & hoc non exphilosophis & ethnicis, sed ex scriptura diuinitus inspirata, qualis & hæc oratio Mosis est, viri Dei: Qui in primo versu de Deo dicit, quod factus sit nobis sempiternum refugium, atq; adeò turris fortissima', ad quam cõfugiamus in omni necessitate.

2 In secundo loquitur de æternitate Dei. Nõ enim ipse non erat, antequã esset nobis habitacu-

taculum refugij & instar asyli, Prius. n. quàm montes producti essent (per quos Augustin. celsitudines angelorũ intelligit) et facta terra (cuius nomine humilitas hominũ significatur) & in plagas habitatas distincta Deus erat.

3 In tertio versu, quàm transitorius sit homo, ostenditur. Inquit enim, Qui redigis hominem ad nihilum, seu puluerem. Vel, facis redire, siue deduces hominem vsque ad contritionem, id est, sententia tua lata est, non cessabis ab homine, donec eum conteras miseria huius vitæ, terrore conscientiæ, & tandem morte: nam verbum tuũ verax est. Lutherus vertit, der du die menschen lassest sterben, & dicis, reuertimini filij hominum, scil. corpore in puluerẽ, spiritu ad me. Vel, Dixisti, conuertimini filij Adam, sc. per pœnitentiam, resurgendo de culpa ad gratiam. Vel, Dixisti, reuertimini filij hominũ, i. homines prole perpetuas. Vel, tu qui eos mortificas, iterum viuificabis eos.

4. In quarto indicat, quã nihilum sit omne tempus quod viuimus, comparatum æternitati, ad quã de hac tẽporis mutabilitate fugere debemus. Nemo ergo differat à peccatis cõuerti, sperando longam vitã. Nemo etiã putet tardare Dominum qui promisit vitam æternam: quoniam milleanni in oculis Dei sunt, veluti dies quæ transijt, & veluti custo-

dia in nocte, id est, veluti quarta pars noctis. Nox enim in quatuor vigilias diuiditur. Illuminet Dominus Iesus oculos nostros, vt quandocunq; venerit, inueniat nos vigilantes, Amen.

CONCIO XL.

Psal. 90.

LACIS diffluere eos sicuti nimbum, somnium sunt, sicut gramẽ, quod subitò exarescit. Quod mane floret & mutatur, vesperi excciditur, et arescit. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta nostra in lumine vultus tui.

1

COntinent quatuor illi versus primum narrarionem calamitatũ humanarum, amplificatam illustribus similitudinibus, ab impetu aquarum, à somno & herba sumptis: deinde causam mortis & calamitatum, quę est iusta ira Dei propter peccata nostra

noſtra: fidelibus autem per Chriſtum nunc remiſſa.

2 In primo verſu inquit: Facis impetum irruere in eos, eruntque vt ſomnus: mane quaſi herba (erunt) quæ mutatur, id eſt, Tu deturbas nos ex hac vita, ſicut cum deijcis nimbos & facis nos ſimiles ſomno tranſeunti, atque herbæ virenti, ſed quæ paulò poſt reſecatur. Vel, Rapuiſti eos vt impetus aquarum, ſomnus ſunt, hoc eſt, vbi aufers ſubitò homines, non reuertuntur, non magis quàm impetus aquarum tranſeuntium & nō reuertentium. Somnus & ſomnium ſunt: aut in dormitionem poſt vitam reſpexit: aut quod contextus videtur requirere grauiſſima ταπείνωσις eſt, quemadmodum & Poeta dixit, Somnus & vmbra ſumus. Eadem ſimilitudo habetur etiam Pſal. 73. Alij legunt, Spargis eos: alij, Fluctuaſti eos, ſomnus erunt: quia in diluuio erant fluctibus aquarum ſubmerſi, exceptis octo perſonis: & poſtea vita hominis fuit adbreuiata in tantum quòd non videbatur, niſi ſomnus breuis, id eſt, quaſi nullius reputationis, ſicut ſomnium.

In altero verſu ait: Mane floret (gramen) & creſcit: veſperi exciditur & areſcit. Per mane intelligitur principium vitæ, per veſpere finis. Homo enim decidit in mortem & areſcit in puluere: Hæc de herba metaphora habe-

tur etiam Psal. 37. & Esa: 40. Hanc autem pœnam de peccato venisse non tacens, continuo subiecit in tertio versu (aliàs septimo) Quoniam defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Defecimus in infirmitate: conturbati sumus mortis timore. Deniq; omnia nostra propter iram tuam vergunt in mortem: & præterea in furore iudicij tui propter peccata nostra turbantur conscientię nostrę. Ratio sequitur in vltimo versu (quem nunc explicandum suscepimus) vbi ait: Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, scilicet, ad puniendũ, sicut iudex ponit cõtra se reum, quem vult punire: Occulta nostra in lumen vultus tui, id est, peccata, quæ nos pro occultis habuimus, & in adolescentia cõmisimus, ipsa luce manifestiora sunt in conspectu tuo: Vel, peccatum Adami, per quod mors in mũdum venit, & mundus tamen hoc ignorat: Deus autẽ recordatur & punit. Rogamus autem illum vt & misericordiæ suæ recordetur in ira sua, & propter Christum Iesum peccata nostra in profundum maris proijciat,

Amen.

CON

CONCIO XLI.

Psalm. 90



VONIAM omnes dies nostri declinant præ ira tua: consumimus annos nostros sicut fabulam.

1 Quare nos & omnia nostra vergamus in mortem, ostendit hoc loco Sanctus Spiritus, nempe propter iram Dei, quæ iusta est propter peccatum nostrum. Dicit enim, Te irato, vniuersi dies nostri collabuntur, & deficiunt sicut fumus, vmbra, nebula, Psal: 102. Satis in his verbis ostenditur, dicit Augustinus, pœnalis esse ista mortalitas. Defecisse dies ait, siue quod ad paucitatem redacti sunt homines, siue quòd in eis deficiunt homines amando quæ transeunt.

2 Cum aũt dicit, cõsumimus annos nostros, sicut fabulã, seu locutionẽ, vel sermonẽ, indicat vitę nostræ vanitatẽ. Perinde siquidẽ est ac si dicat: Dies nostri trãsierũt, & nõ reuertũtur, quemadmodũ verbũ prolatũ transit & reuocari non potest, 2. Reg: 12. Postq̃ platus est ex ore sermo, nihil amplius apparet: sic est & vita nostra. Et sicut sermo, leuis res est: Dann es wachsen einẽ die wort auff der zungẽ: sic etiam leuis & vana res est vita corporalis. Et vt leue murmur ad momentũ aurẽ percel-

lit: ita etiam vita hæc breuis & momentanea est. Vnde eam veteres στιγμὴν χρόνου appellarunt. id est, punctum temporis. Et Chrysostomus concion. 1. de Lazaro scribit. Quod est somnium vnum ad annos centum, hoc est præsens vita ad vitam futuram, imò potius multo minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt anni mille ad futuram illam fruitionem. Et Serm. 22. de van. & breu. præsentis vitę: Nonne (inquit) persæpe terrena hæc incusamus, & nihil esse hominũ hanc vitam ducimus? quid ergo tam enixè in hoc nihilum incumbis? quid rebus inanib. laboriosè adeò intẽdis animum? spectabis fortè magnifica ædificia, & illorum aspectu seduceris, at si cœlum statim suspexeris, & à lapidibus his & columnis ad illius decorem deflexeris oculos, spectabis hæc esse formicarum opera, &c. Sicut deniq; varij sermones habentur ab hominib. alius loquitur de diuitijs, alius de paupertate: sic diuersam vitam agunt homines, quorum tamen omnium vita transit, veluti sermo in aere sonum amittit. Qui enim hodie rex est, cras moritur, Ecclesiastici 10. ac dicto citius abit.

3 Quocirca præparemus nos omnes ad mortem, vt per hanc intremus in veram & perpetuam vitam, vigilemus, oremus, futuram ciuitatem quæramus.

Græci

Græci hîc legunt: πλάτη ἡμῶν ὡσεὶ ἀράχνη ἐμελέτων. Anni nostri, i. homines in annis nostris viuêtes, meditabátur, nimirũ inutilia & opera corruptibilia, sicut aranea multum intendit pro tela facienda. Referunt enim hæc verba ad inutilitatem laboris, quæ frequenter contingit in vita hominis: quia sicut aranea multum occupatur ad texendum telam, quæ uno dico vento dissipatur: sic homines multũ studeñt & meditantur ad consequendum honores vel diuitias, quæ velociter amittũtur. Largiatur Deus nobis gratiam in Christo Iesu, vt abundemus in opere Domini semper, ne inanis sit labor noster, Amen.

CONCIO XLII.

Psal. 90.

DIES annorum nostrorum septuaginta anni, aut ad summum 80. anni, è quibus quod optimum est, est molestia & labor, transitus.n. celer est, & auolamus.

I

VAriè redduntur ab interpretibus hæc verba. Videntur autem nihil aliud exprimere

quàm breuitatem & miseriam vitæ huius? quia longęui appellantur hoc tempore etiam qui 70. duntaxat annos vixerunt, vt Augustin. annotat. Idē in numeris illis 70. & 80. spiritale aliquid contineri affirmat. Septenarius enim (inquit) insinuat propter sabbati obseruationem testamentum vetus, in quo temporalia promitti vidētur: Octonarius verò propter Domini resurrectionem testamentū nouum, in quo res æternæ.

2 Breuitas his verbis exprimitur: Anni nostri qui in ipsis diebus sunt, id est, ætatis aut vitæ nostræ spacium, 70. terminatur annis, intellige iuxta communem cursum naturæ: & si in viribus (maioribus) octoginta sunt anni: h. e. vix rectè vt valeas lustra bis octo feres. Eadem breuitas notatur & istis verbis: Tam celeri sectione auolamus: So ſchnell werden wir abgemeyet/als flügen wir darnon: ceu penna præpete vita fugit,

3 Miseria verò illis: & superbia eorum labor & molestia, id est, qui paucis annis ferociunt, horum vita tandem desinit in ærumnam, vel, quorum annorum potissima pars labores sunt & incommoda. Atque huius rei (vt cum Chrysostomo loquar) non alios testes citare volumus, quàm vos ipsos, qui quotidie curis pressi, acerbam hanc vitam vobis putatis: qui ęque in periculis nonnunquam vestris, ne in cala-

calamitates & ærumnas incidatis, mortem optatis. Etenim (vt idem os aureum loquitur homil. 67. ad pop. Antioc) maior vitæ nostræ pars in insensibilitate. Nam & ætas prima multæ plena est dementiæ: quæ verò rursus ad senectutem tendit, omnem in nobis sensum contabescit, & parum est medium, quod cum sensu delitijs vti valeat. Quin imo nec illud has pure potest gustare, cum multæ solicitudines & labores illi noceant. Nolo nunc dicere de eo, quod quidam alius scribit, hominem videlicet dimidiam ferè partem vitæ suæ consumere dormiendo.

4 Hæc cum ita sint, redimamus quæso tempus, vigilemus, finem vitæ nostræ non timeamus; cum sit tam plena miserijs: peccatum odio habeamus, cum propter hoc miserijs & morti obnoxij simus: immortalia bona & vitam nulli senio deinceps obnoxiam quæramus: carnem, quę flos est, brachium nostrum non ponamus: sed in Christo Iesu, qui est vita æterna, spem fixam habeamus: cui sit honor & gloria κ) νυῦ καὶ εἰς ἡμέραν αἰῶνος, Amen.

CONCIO XLIII.

Psal. 90.

QVIS nouit potentiam iræ tuæ, & quis metuit iram tuam? Doce nos vt sciamus numerũ dierum nostrorum, vt ambulemus corde sapienti. Conuertere Domine, vsque quò? & deprecabilis esto super seruos tuos, &c.

I

OStendit Moses in hoc Psalmo genus humanum morti & irę Dei subiectum esse, idque propter peccatum originis, quo infectum est, Rom. 5. Gen. 3. Sed quotus quisque est, qui sciat ex ira Dei esse, & ob peccatũ (quod hanc meretur) quòd tam calamitosa & breuis est vita nostra. Quis enim cognoscit vim iræ tuæ (inquit) quis credit Deũ ita irasci? Valde enim paucorum est, vt dicit Augustinus, nosse iræ Dei potestatem: quia plerisq; ita magis cum parcit irascitur. Potestas etiá humanæ iræ cum corpus occiderit, amplius nõ habet quid faciat, sed Deus, Mat. 10. Cuius indignatio (vt hìc nõnulli legunt) est, sicut timor eius, i. vt timetur à turbatis conscicentijs supra modũ iratus: ita etiá est iratus, neq; est vanus timor. Ac sicuti animalia condita in

vsum

vsum hominis, corpora cœlestia, sol, luna, stellę, oues, boues, volucres cœli, pisces maris, pecora campi, bonitatem Dei testantur, cui discimus confidere, adeo vt seruandi simus etiam abeuntibus creaturis, quoniam ad vsum nostrum omnia hæc videmus condita esse: sic rursum (vt Iohan. Agricola in 16. cap. Luc. scribit) venenatis indidit Deus malum quoddam quod refugiamus. Atq; inde est, quòd natura vrsos & leones, immanes syluarum bestias, serpentes, viperas, lacertos, draconesq; quasi infensos hostes persequamur & vitemus. Non quòd malæ sint creaturę (vidit enim Deus omnia quę fecerat, & erant valde bona) sed vt palam fiat nobis conditoris maiestas & potentia: quam nos vult reuereri. Si quidem tantopere refugimus iræ suę adumbratam in creaturis suis imaginẽ, quomodo eius iram vindicantem peccata nostra sustinuerimus?

2 Quid ergo faciendum? Orandum cum hoc seruo Dei, qui inquit, Doce nos (non me solùm: omnes enim indocti & rudes sumus) vt sciamus numerum dierum nostrorum, vt ambulemus corde sapienti, hoc est, doce nos agnoscere hanc immensam iram tuam (quã impij non curant, sed contemnunt) vitæ breuitatem & fragilitatẽ (& verò etiam incertitudinem: qui enim petit sibi notum fieri finẽ

ſuum, & numerum dierum ſuorum quis ſit, vt ſciat quòd eſſe deſinat, Pſalmo 39. is vtiq; illum neſcit) & miſerias noſtras, vt te timeamus (hoc enim eſt ſapientem eſſe, Iobi vigeſimooctauo) vel, vt Lutherus interpretatur: **Lehre vns bedencken / daß wir ſterben müſſen / auff das wir klůg werden** / id eſt, prudentes Virgines, Matthæi 25. Donum ergo Dei eſt, ſi quis ſe ſemper cogitat moriturum, & breui moriturum. Hinc enim pietatis naſcitur ſtudium: & inprimis ardens cum Deo colloquium.

3 Vt dicamus vltra cum Moſe: Conuertere domine, vſque quo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos, id eſt, reconciliare, & placare tuis, quos & condidiſti & redemiſti: Conuertere ad nos, qui per irá auerſus es à nobis Quouſq; abes? quid differs? Redi ad nos propter nomen tuum. Copioſè & citò ſummo mane benignitatis tuæ participes effice nos: vt ſaltem gaudere liceat & lætari paucis, qui reliqui ſunt, vitæ noſtræ diebus. Affice nos gaudio pro magnitudine malorum, quæ diebus & annis ſuperioribus, peſsima experti ſumus. Appareat ſeruis tuis ſalutiferum illud redemptionis opus, & reconciliatio diuinæ maieſtatis tuę nota fiat ſeruorum tuorum poſteris. Sic fiat gratioſus & pulchrè fauens nobis Dominus Deus noſter, vt quicquid facere

cere tentauerimus, efficax fiat: efficax in quã, fiat domini beneficio, quicquid manibus nõ ſtris attrectauerimus, per Chriſtum Ieſum mediatorem & ſeruatorem noſtrum, Amen.

CONCIO XLIIII.

Pſalm. 94.

NISI Dominus adiuuiſſet me, parum abfuiſſet, quin in ſilentio iacuiſſet anima mea.

1

Ex his verbis colligitur primũm, eſſe infernum. Dicit nanq; Dauid, Niſi Dominus auxiliator meus eſſet, iam pridem habitaret apud inferos anima mea: Mein Seel wär lan, geſt in die ſtille hinab gefaren / das iſt / in die Hölle / da es ſtill iſt / vnd alles auſs.

Quanq̃ alij per ſilentium, vel taciturnitatem intelligunt mortem, vel foſſam, ſiue ſepulchrũ, quia per mortẽ aufertur loquela. D. Auguſt. ita exponit: Propè rueram in illam foſſam, quæ paratur peccatoribus, i. paulò minus inhabitauerat in inferno anima mea.

Inter nouiſsima, quæ nos recordari debemus, eſt etiã Infernus. Quid verò ille ſit, & q̃ eius dolores, ex ſcripturis, et varijs appellationib. manifeſtũ eſt, quib. nominatur paſsim.

Bernard. ait, quòd scintilla vna gehennę ignis plus lædat peccatores, quàm si mulier in partu prolis mille annos perduraret. Et Ambrosius: Quod si omnes, inquit, homines nati ab Adam vsq; in hodiernum diem, & omnes boni prędicatores essent, & omnes de minutissima pœna inferni prędicarent, illi omnes illam minutissimam pœnam propalare non possent. Sunt etiam qui dicant, ignem gehennæ tanto acerbiorem esse materiali igne: quanto ignis iste sensibilis superat ignẽ pictum. Vnde Amandus Seus inquit: O quáto discrimine passiones huius mundi ab infernalibus distant, atq; superantur cruciatibus? Varia enim in inferno sunt (testante sacra scriptura) pœnarum atq; cruciatuum genera. Est ibi æternus & inextinguibilis ignis, qui diabolo & angelis eius æternaliter exurendis paratus est, Marc. 9. Math. 25. 2. Thes. 1. Est ineffabile frigus ac inibi fletus & stridor dentium, Math. 22. 24. Est intollerabilis sulphurei fœtoris odor, Psal. vndecimo, Æterna caligo atq; tenebrę, Psal. 49. Math. 8. Vermis conscientię nunquam moriturus, qui damnatos æternaliter arrodit, Marc. 9. Esa. vltim. Omnium rerum cõfusio, perturbatio & horror sempiternus, Iob. decimo, Crudelis & horrendus diaboli, spirituumq; cunctorum infernalium aspectus atq; deformitates truculentissi-

culentissimæ, Apoc. 18. Sap. 17. Æternæ flagellationes, verbera, supplicia, Proue. 18. Matthei 25. Luc. duodecimo, Mors sine morte, Apo. 9. Æterna permansio & captiuitas in flāmis infernalib. in stagno ignis & sulphuris, sine vlla redemptionis spe, Dan. 12. Apo. 14. 20. Audiamus igitur ô fratres Mos. & prophetas, Christum & Apost. testificātes nobis, ne veniamus in hunc locum cruciatus, Luc. 16.

2 Secundò colligitur, animas nostras dignas esse inferno, & verè etiam propter onus peccatorum casuras in infernum, nisi aliquis impediat, nobisque auxilio sit atq; subueniat. Id quod etiam inde constat, quòd Christus ait, Obnoxium esse gehennę incendio, quicunque dicit fratri suo, fatue. item ex eō, quòd confitemur nos per Christum liberatos esse ex inferno. Nisi enim factus esset mediator et reconciliator inter nos & Deum, omnes ruissemus in infernum.

3 Postremō dominum esse, qui nos adiuuat, quo minus habitaculum nostrum sit apud inferos. Dicit enim: Nisi Iehouah mihi succurreret, periculum esset, ne apud inferos habitarem. Rectè igitur Hoseas capite decimotertio, Perditio tua, Israel: tantùm modo in me auxilium tuum. Vt autem dominus succurrat nobis, necesse est, vt inuocemus nomen eius. Vt verò illum inuocare

possimus, credendum est in illum. Vt autem in illum credere valeamus, oportet nos audire verbum eius, idque à prædicantibus, Rom. 10. Porrò hæc omnia sunt in tempore facienda. Dicit enim dominus, In die salutis succurri tibi. Esa. 55.49.2. Corin. 6. Effundat dominus super nos spiritum gratię & precũ, vt sic orare queamus, vt etiã exoremus. Amẽ.

CONCIO XLV.

Psalm. 102.

DOMINE exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non abscondas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam, In quacunq; die inuocauero te, uelociter exaudi me. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut torris aduſta sunt. Percussum est cor meum, & vt fœnum exaruit, vt oblitus sim comedere panem meum. Propter vocem gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ, &c.

1 Hic Psalmus oratio est afflicti pauperis, interius & exterius, id est, & per peccatum coram Deo, & per vitam crucis coram mundo.

Potest

Potest illo vti omnis qui est in periculo, nec non in agone mortis. Qui non sentiunt onus sui peccati, & iudicij Dei, frustra talia in os accipiunt, nisi forte ad discendū, vt scias quo remedio opus sit, vbi tale quid tibi acciderit.

Principiò autem ponitur petitio populi afflicti, & vniuscuiusq; pij. Dicit enim, Domine audi precationē meam, procedentem scil. ex corde. Vbi ostēditur, orandum esse, & sperandam exauditionē, i. opem. Et clamor meus (procedens videl. ex ore) admittatur vsq; ad te. In geminatione affectus petētis est. Ne celes me vultum tuum: repellendo orationē meam, sicut homo auertit faciem ab eo, quem non vult exaudire. Prębe mihi aurem tuam: Loquitur de Deo ad modū hominis, qui inclinat aurem ad audiendā petitionem, quam vult exaudire. Festina vt mihi opem feras: Ex auditionis velocitatem petit, propter magnitudinem tribulationis præsentis.

2 Deiñ allegatur ratio petitionis: Quia, inqt, euanescunt sicut fumus dies mei, h. e. omne tēpus vitę meę trāsactum est in vanitate, vel vita mea instabilis est & breuis. Tales dies dignus fuit accipere Adam propter elationem superbiæ. Hinc dicit, sicut fumus. Et in eodem Psal. Dies mei sicut vmbra declinauerunt. Apostolus Iacobus, vaporem vocat vitā nostram, cap. 4. Et ossa mea consumuntur

sicut torris ab igne, vel, sicut Cremium, i. vires animæ meę infirmatæ sunt. Resectum & arefactum est cor meum tanquam fœnum, &c. Hîc desperat de vita, arescente quoq; corde, sicut herba abscissa arescit, vt nihil gratiæ superfit, sed omnia sint iudicij & desperationis plena. Hæc vbi verè fuerint, quis dubitat etiam redundare in corpus, vt dies sint in mœrore, ossa contabescant, cor mœrore pereat, & dum gemis tantum, non autem comedis, adhæreant ossa tua carni tuę arescenti. Quia, inquit, oblitus sum comedere panem meum, vt pereunte succo corporis arida caro langueſcat. Panis corporis negligitur, quia suauis mœrenti non est, sicut inquit, Quia cinerem tanquam panem manducabam. Et panis animæ neglectus, id est, verbum Dei non meditatum hunc deficientis animi fecit languorem.

3 Sed adhuc felix est, qui huius comestionis se queritur oblitum, quod non faciunt, vel securè peccantes, vel saturi sanctuli, dicentes, Diuites sumus, nullius egemus, Apocal. 3. Ita verò territus iudicio Dei videt se lignum & fœnum exiccatum, quod tantùm igni seruatur æterno: á quo tueatur nos ille, qui deducit ad inferos & reducit, per

Christum Iesum,

Amen.

CON-

CONCIO XLVI.

Psalm. 103.

QVOMODO miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, Recordatus est, quoniam puluis sumus. Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo & non subsistet, & nō cognoscet amplius locum suum. Misericordia autem Domini ab æterno & vsque in æternum super timentes eum, Et iustitia illius in filios filiorū: His qui seruant testamentum eius, et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

1

ENumeratis multis beneficijs Dauid, causam nūc istorum ponit duplicē, nempe dei bonitatem, et nostram miseriam. Eadem ratio redditur & Psal. 78. & Sap. 12. & Eccles. 18. cur nimirum Deus peccata remittat & benefaciat.

Diuinam bonitatem ostendit, quum di-

cit: vt miſeretur filiorum pater: ita Iehouah ſui reuerentium. Vide parabolas de patris illius miſericordia Luc. 11. & 15.

2 Humanam fragilitatem demonſtrat his verbis: Ipſe enim nouit facturam, ſeu figmentum noſtrum, id eſt, fomitem inclinantem nos ad peccatum. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua, Gen. 8. nouit ſtulta deſideria noſtra: nouit infirmitatem noſtram: nouit quid fecerit, quomodo lapſum ſit, quomodo reficiendum, adoptandum, & ditandum. Memor eſt, quòd è puluere ſumus: & hoc quantum ad corpus, quod in puluerem reſoluitur, Geneſ. 3. Homo ſicut fœnum, vel herba (virens ad tempus modicum, Eſa. 40. Iacob. 4.) dies, id eſt, vita eius tanquam flos agri (qui cum hodie ſit, cras in clibanum mittitur, Math. 6.) ſic efflorebit. Quia ſicut flos terreſtris ad calorem ſolis deſiccatur: ſic vita hominis ad calorem febris, vel alterius infirmitatis ſtatim exterminatur. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, neq; amplius in loco ſuo inuenietur. Per ſpiritum vel ventus auſterior intelligitur, ſi floris ſimilitudinem reſpicias, vel ſpiritus vitalis, qui egreditur à corde: vel ſpiritus rationalis, id eſt, anima hominis, qua egrediẽte corpus expirat & marceſcit: ita vt nullũ veſtigiũ, vel memoria relinquatur

Hæc

3. Hæc cum ita ſint, homines neque timeamus, neque in illis ſperemus: nec ſuperbiamus, nec vlla quæ noſtra ſunt magnificiamus: nec longam vitam ſperemus: in tempore ſarcinam colligamus, priuſquam ſoluat nauis: memoria finis noſtri vitam gubernemus vt nauta nauim: ac imprimis dominũ timeamus: quia timenti dominum bene erit in nouiſsimis, Ecc. 1. Hinc eſt quod Dauid adiũgit: Sed bonitas domini ab æterno in ęternũ durabit erga eos, qui timent ac reuerenter colunt illum: & iuſtitia, i. retributio illius in filios filiorum, his qui cuſtodiunt fœdus eius, h. e. pœnitentiam agunt, audito Chriſto, in quem credunt & quem per fidem diligunt: quæ ſumma mandatorum Dei eſt: cui ſit benedictio & honor in omne æuum, Amen.

CONCIO XLVII.

Pſalm. 116.

PRAECIOSA in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. O Domine, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ, dirupiſti vincula meæ.

1

HIc locus ostendit principiò non omnes feliciter & bene mori, vt vulgò sine discrimine dicitur de omnibus qui mori untur (aiunt enim, Quàm benè cum illo actum est: optimè nunc illi est prospectum.) Quandoquidem sanctorũ mors preciosa est: peccatorum vero mors pessima. θανατος δὲ ἁμαρτωλου χαλεπὰ τὰ τέλη, vt scriptum est Sapient. 3: Nam etsi peccatores in hac vita non puniuntur: tamen necesse est eos post à puniri, iuxta illud 4. Esd. 9 & 14. Qui enim non cognouerunt me viuentes, beneficia consecuti, & qui fastidierunt legem meam, cum adhuc erant habentes libertatem, & cum adhuc esset eis apertus pœnitentiæ locus, non intellexerunt, sed spreuerunt: hos oportet post mortẽ in cruciamento cognoscere. Iudicium enim post mortẽ veniet, quando iterum reuiuiscemus, & tunc iustorum nomina parebunt, & impiorum facta ostendentur. Vndè D. Basil. Mag. Exitus (inquit) & hinc decessus precio sus est & illustris: non omnium hominũ, sed eorũ qui sanctè & iustè vitã hãc transegerũt.

2 Deinde docet piorum mortem coram Deo preciosam esse, qui tanti eos facit, vt ipsos perire non sinat: cum interim eorum mors à mundo turpissima iudicetur. Præterea docet & animos immortales esse, & eos ad

os ad felicem statum transferri, atque corpora ad excitationem è puluere terræ ad perennem diuinitatis in Messia vitam reseruari.

2 Ponderantur autem mortis piorum precia, primùm ex memoria post eorum obitum relicta, qua caret impiorum mors: quemadmodum scriptum est Psal. 112. & 34. In memoria æterna erit iustus: Vultus autem Domini superfacientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.

Deinde ex luce, vita, beatoque statu, qui mortem iustorum sequitur: de morte enim in vitam transibunt, Iohannis 5. Matth. 25. Cum interim iniusti conijciantur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium, Math. 13. 22. S. Bernhardus inquit, preciosa mors sanctorum. Preciosa planè, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conseruatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressio. Contrà scribit Chrysost. Hom. 66. in Gen. de peccatorum morte: Etiamsi domi suæ moriantur, & muliere & filijs præsentibus & familiaribus & notis adstantibus, virtute autem careant, mala horum mors est. Sic etsi in aliena terra, etsi super pauimentum quis iacens: & quid dico si in aliena? etiamsi in latrones incidat, etiamsi à bestijs deuoretur, virtute autem præditus sit, preciosa eius mors erit.

Tertiò, ponderantur ex gloriæ diuinæ prædicatione. Sanctorum enim memoria amplificatur Deus, vt turpitudine anteactæ vitæ impiorum dehonestatur.

Deniq; preciosa est mors sanctorum Dei, quia redemit eam sanguine suo precioso Dominus.

Qui sunt autem illi sancti? Membra vtique ecclesiæ catholicæ, quæ sancta est: idque propter sermonem Domini, qui mundat & sanctificat, Iohannis decimoquinto, & decimoseptimo, propter Christum, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaque & sanctificatio & redemptio, primę Corinthiorum primo, Propter spiritum sanctum, qui habitat per fidem in cordibus piorum, quæ & abluit & iustificat & sanctificat, Galat. tertio, primæ Corinthior. sexto. sancti denique sunt, qui se suaque omnia Deo tradiderunt & commendarunt: neque sibi, sed ei viuunt, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit, 2. Corinthiorum quinto, Sed & ex sequenti versu videre licet, qui sancti sint, quando dicit, En domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Item videre licet, quomodo preciosa sit in oculis Iehouæ mors sanctorum, siue piorum cultorum eius, ex eo quod ait, Dirupuisti vincula mea, quasi dicat, In tanto precio sunt pij homines a-

nes apud Deum, vt non facile permittat in eos grassari tyrannos, sed liberat eos à periculis mortis, id quod in me non semel sum expertus. Vt idem cum Dauide experiamur & ab æterna morte seruemur, faxit dominus Iesus propter nomen suum salutiferum, Amen.

CONCIO XLVIII.

Psalm. 119.

RETRIbue seruo tuo, vt viuam & custodiam sermones tuos. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia in lege tua. Peregrinus ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua.

1

TRes illi primi versus octonarij huius probè sunt obseruandi seruis Dei, peregrinantibus in hac terra. Precatur autē in primo regius vates Dauid, vt dominus sibi retribuat, vt viuat & custodiat verba eius, id est, vt vitæ beneficio afficiat eum, quo seruet eius præcepta: vel, ne tollat illum in dimidio dierū suorum, tanquā virum sanguinum & dolosum, Psal. 102. 55. sed vt illi retribuat,

ſcilicet bona pro malis, vitam pro morte. Gratia enim Dei eſt vita æterna. Viuunt autem fideles, Rom. 1. Viuentes porrò cuſtodiunt verba dei. Non poſſunt enim (dicit Auguſtinus) cuſtodiri verba dei, niſi per fidem, quæ per dilectionem operatur: hanc ſibi poſcit, qui dicit, Retribue, id eſt, benefac, &c.

2 Sciens autem Dauid verba Dei non poſſe cuſtodiri, niſi videantur per intelligentiá, hoc quoq; orationi addit, & in ſecundo verſu dicit: Aperi oculos meos, q alioquin, quod ex me eſt, ſum in tenebris, ignorans dei, Chriſti, & diuinæ voluntatis: & à te illuminatus cõſiderabo, & intelligam mirabilia, quę ſunt in lege tua, vel ex lege tua, id eſt, ex verbo voluntatis tuæ.

Mirabilia, ſunt omnes Dei voluntates rationi humanæ incomprehenſæ: inter hęc mirabilia eſt etiam admirabilis ille conſiliarius, de quo Eſaias cap. 9. Nihil eſt autem mirabilius in mandatis Dei, quàm, diligite inimicos veſtros. Hoc mirabile præceptum ſeruauit Steph. videns Ieſum oculis ſuis cum Simeone, Actor. 7. Luc. 2.

3 In tertio verſu confitetur quid ſit, et vbi ſit: nempe peregrinus in terra. Et quod ſuperius dixit, Reuela oculos meos, hoc nũc ita pfert: Ne abſcõdas à me. & quod ibi dixerat, mirabilia de lege tua, hoc iá repetẽs, ait, Mandata tua.

Dicitur

Dicitur autem quis peregrinus vel aduena propter animam: quæ absit vt putetur ex terra: vel secundum totum hominem: quia para disi aliquando ciuis fuit, vbi vtique non erat, qui ista dicebat: siue propter patriam promissam æternam in cœlis, à qua sicut & à domino peregrinantur fideles, quàm diu sunt in corpore, 2. Corinth. 5.

Quid hinc discimus? Terrena non curare, sed cœlestia: ac quærere superna, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens: cui sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

CONCIO XLIX.

Psal. 124.

NISI Dominus ipse fuisset nobiscum, dicat nunc Israel. Nisi Dominus ipse fuisset nobiscum, cum insurgerent contra nos homines: tunc viuos deglutissent nos, cum accēsuesset furor eorum in nos. Tunc aquæ absorbuissent nos, torrens transisset super animā nostrā. Tunc pertransissent super animam nostram aquæ nimis mul

tæ. Benedictus Dominus qui nõ dat nos in prædam dentib. eorum. Anima nostra sicut auis erepta est de laqueo aucupis, laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

1

PVtant nonnulli ex interpretibus, hunc Psalmum compositũ de reliquijs Israel quæ in captiuitate Babylonica mortis discrimen euaserunt, debachante hoste in vrbẽ Ierusalem, in templũ atq; in populum. Quanquã Nicol. de Lyra dicat, sibi videri quòd Dauid fecerit hunc psalmũ, gratias agens de sua liberatione et populi sui à Philisteis ascendentib. contra eum, quando audierunt ipsum regem factum, 2. Reg. 5. Potest autẽ psalmum illum vsurpare omnis Christianus, h.e. Israelita secundum spiritum, qui ex graui tentatione & periculo mortis liberatus est: aut liberabitur in agone mortis à tentationib. dæmonum: aut spe iam liberatus est per Christum ab inferis & omni malo: aut qui à peste hactenus custoditus est: aut qui ex ea conualuit.

2 Docet autem nos hic Psalmus, quam verũ sit illud quod Christus ait, Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere: & illud Pauli, Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? itẽ hoc ad

Philip:

Philip. 4. Omnia possum per Christū (verum Immanuelem) qui me corroborat. & illud Euangelistæ 1. Ioan. 4. Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eos: quoniam maior est qui in vobis est, quàm qui in mūdo. & istud Dauidis, Psal. 94. Nisi Dominus adiuuisset me, parū abfuisset, qn in sil entio iacuisset anima mea. In summa, docemur hìc q̄ imbecilles sint homines: & q̄ potētes ac furiosi inimici nostri, in primis draco ille de quo Apoc. 12. h.e. diabolus q̄ habet iram magnam. Deniq; quomodo multò potentior sit Dominus Deus noster, non solùm in se, sed etiam in suis, quib. adest. Huius enim nomen, turris est fortissima, teste Salomone.

3 Vt verò Dominus nobiscum sit, quo liberemur à laqueo venatoris, oportet vt simus populus eius, qui olim Israel vocabatur, nūc Christiana ecclesia dicitur: id est, vt vincamus Deum armis suis, fide & oratione, quemadmodum fecêre Iacob, Genesis trigesimo secundo: mulier Chananæa, Matthæi decimo quinto, duo discipuli euntes Emmauntem, Lucæ vigesimo quarto. Nam per fidem habitat in cordibus nostris Dominus, Ephes. 3. qui quidem nobiscum est, quando nos sumus cum eo, 2. Paralipom. decimo quinto, hoc est, quando inuocamus eum, & diligimus proximum. Nam vt est scriptum in Psalmo 145.

Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, seu fidenter: & 1. epist. Ioann. 4. capite: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

CONCIO L.

Psal. 144.

DOMINE quid est homo, quod agnoscis, aut filius hominis, quod reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra euanescens.

I.

DVArum rerum cognitio nobis hîc proponitur, altera homo est, altera Deus. Dicit enim, Quid est homo, aut filius hominis? Homo vanitati similis factus est, peccando scilicet. Nam quando est primùm conditus, veritati similis factus est: sed quia peccauit, recepit digna, ipsi vanitati quàm similimus factus est, id est, quasi nihil est, seu nihilo similis. Dies eius (vel ætas) sicut

vmbra

vmbra euanescens, siue præteriens. Hanc sententiam probat vita humana, quam Apostolus Iacobus vapori confert: & mors, quæ quasi in nihilum redigit hominem.

Hæc verba referuntur non solùm ad quemlibet hominem, sed etiam ad Christum Iesum, filium Dei & hominis, Psal. 8. Heb. 2. Phil. 2. Vnde Pilatus de illo Iudæis dicebat, Ioan. 19 Ecce homo: quasi dicat in quo neque species, neque decor, Es. 53. imò potius vermis, quàm homo, Psal. 22.

Etsi autem homo miser sit & humilis conditionis, tamen Deus illum agnoscit & curat, & reputat, magnifacit, pendit, æstimat, rationem eius habet, illi innotescit, & sui cognitionem in verbo suo illi dat. Si rex aut princeps quispiam dignaretur familiariter conferre cum mendico, quàm præclarum, quantaq; laude dignum putaretur: quòd autem omnipotens Deus mortales curat, & eos qui nihil sunt, nihil habent, nihil possunt, filios Dei & hæredes facit, quantum quæso est, quamque vehementer commendandum? ποταπὴν ἀγάπην 1. Ioan. 3.

3 Qui hæc per fidem agnoscit & miratur, quid faciet putas? Procul dubio humiliter bonitati & clementiæ diuinæ benedicet ac gratias aget, vt Dauid ante hæc verba fecit, & insuper illam inuocabit, vt in sequentibus habe

tur: Et quoniã Deus tanti æstimauit hominem, vt pro eo vnici sanguinem fuderit, nullum hominem quamlibet miserum & egenum contemnet. Attendat etiam sibi homo, dicit Augustinus, in diebus vmbræ suæ, vt faciat aliquid dignum desiderata luce: & si in noctis vmbra est, quærat diem, id est, Deum, qui lux est & dies. Ipsi gloria & nunc & in diẽ æternitatis, Amen.

CONCIO LI.

Psal. 146

LAVDA anima mea Dominum. Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quandiu fuero. Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt cogitationes eius. Beatus cuius Deus Iacob, adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius. Qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Qui custodit veritatem in seculum, &c.

Ducit

1

DVcit nos hic Psalmus in cognitionem & nostri, & ipsius Dei. De nobis enim hominibus ita loquitur. Exibit spiritus eius (hominis) id est, anima cuiuslibet hominis emigrabit de corpore: & reuertetur (scilicet homo, vel corpus, siue caro, exeunte spiritu) in terram suam (vnde habuit originem, Gen. 3.) Peribunt cogitationes, hoc est, studia & consilia eius. Homo enim in summa necessitate seipsum iuuare nō potest, nedum alios: quia vana salus hominis, Psal. 60. 116. quia nō potest exequi quod facere proposuit. Et nota, quòd simpliciter dicit, Exibit. q.d. nolit velit: quando enim non vult, exibit: & quando nescit, reuertetur in terram suam.

2 De Deo testatur, quod fecerit cœlum & terram, &c. hoc est, commendat eum à potestate, veritate, æquitate, pietate, charitate, iustitia, dominatione & æternitate eius. Hortaturque statim à principio, & postea in fine animam suam & omnia quæ intra se sunt, ad laudandum Dominum (parum enim est ore tantùm, vel organis laudare eum) polliceturque se hoc facturum in vita sua, & quâm diu fuerit. i. in præsenti, & in futuro seculo.

3 Quæ cum ita sint, quid faciendum est? cōfidentia in hominibus fugienda, & confidentia in Deo amplectenda. Ait enim, Nolite con

fidere in principib. qui sunt potentiores inter alios. Si autem in istis non est ponenda fiducia: multo minus in alijs, vel defunctis, vel viuentibus: adeoq; nec in seipso quis confidere debet, neq; illis rebus, quæ minores sunt nobis ipsis, siue illæ sint extra nos, siue intra nos, Ierem: 9. caq. Nam qui hoc fecerit, Dem wirt es Sūd / ia ein Schād vnd Schād sein / Ierem: 17. Esa: 31. Mich: 7. Sed è contrario, beatus est, cuius Deus Iacob (vt Vates inquit) adiutor eius (cui Iacob Dominus dixit, Gen: 46. Noli timere descendere in Aegyptum, ego descendam tecum illuc, & ego adducam te inde reuertentem.) Spes eius in Domino Deo ipsius, tanquam in suo protectore & seruatore. Quis enim vnquam fiduciam habuit Domino, & confusus est? Eccl: 2. In te Domine speraui, inquit Psalm: 31. non confundar in æternum. Vtinam Dominus & nos constituat in spe, ne vnquam confundamur, sed in pace simul cubemus & dormiamus.

Amen.

CON-

CONCIO LII.

Prouerb. 4.

AVDI fili mi, & ſuſcipe verba mea, vt multiplicẽtur tibi anni vitæ. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis: quas cum ingreſſus fueris: non artabuntur greſſus tui, & currẽs non habebis offendiculum. Tene diſciplinam ne dimittas eam: cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua.

I

DOcent nos hæc verba, quinam illi ſint quorum anni vitæ prolongabuntur: nempe illi qui audiunt verba ſapientiæ, i. Chriſti Domini præfigurati per Salomonem, & ſuſcipiunt ea, h. e. credunt, & obediunt, & per fidem fiunt filij Dei.

Ex contrario intelligitur qui ſint, quorum vita decurtabitur, nempe qui contemnunt & reijciunt ſermonem vitæ ac ſalutis, & manẽt filij Adam. Præſertim verò vult Deus prolongare vitam eis, qui honorant ſuos parentes, Exod. 20. vt è conuerſo vult abbreuiare vitã ijs, qui dehoneſtant parentes.

2 Sed dicas, sine discrimine bonos & malos iuuenes mori: imo Deum quandoq; permittere malos diu viuere: quæ nam horũ est ratio? Deus bonus, iustus, omnipotens, & solus sapiens nihil facit sine causa. Sinit igitur probos iuuenes mori, primũ, ne malitia mundi eos coinquinet, Sap. 4. deinde quia mundus ingratus non est dignus tales bonos habere, Heb. 11. Præterea vt Deus, ablatis tanq; fundamentis & columnis terræ, puniat mundum, vt Sodomam puniuit egressso Lotho, Gen. 19. Postremò quia parentes nonnunquá nimium diligunt illos, & suam fiduciá in eis collocant, quæ in solo Deo ponenda est. Vnde D. Chrysost. lib. 1. de prouid. Dei loquens de ijs, qui primam ætatem omnem nutriti in calamitatibus, priusquá bona vel mala per ætatem discernere possint, è vita migrant. Et quid mali quæso isti patiuntur (inquit) qui nec dum quid patiantur, sentiunt: neque dolere aut gaudere didicerunt? Ego non hoc solùm pro huiusmodi soluenda quæstione diuerim, verũ parentes ipsos etiam & fratres & propinquos huiusmodi liberorum cladib. emendatos noui. Id verò non minimi lucri est ita quempiam affligi, vt ex his quæ nescient patitur, alius maxima emolumenta consequatur. Fieri aũt potest, vt sit alia causa & ratio secretior, quàm solus scit rerum opifex Deus.

Malos

Malos aũt citò mori permittit, primò ne peiores fiant, & ex hoc eorum pœna augmẽtetur. Nam tanto quisq; ibi, dicit Augustꝰ. tolerabiliorẽ habebit damnationem, quanto minorẽ hic habuerit iniquitatem: secundo, ne de temporalib. bonis nimium consumant, sed vt illa alijs bonis ad vsum perueniant, qui inde Deũ laudent, & illa benè dispensent, Luc. 16. Tertiò, quia hoc singulariter commerentur inhonoratione parentũ, vt filij Eli, Absolon, &c. Quartò, vt alij iuuenes & peruersi ex hoc terreantur, & inde vitã suam emendent, Luc. 13. Quòd aũt Dominus malos aliquando diu viuere permittit, fit vt illi conuertantur à suis peccatis, Rom. 2. 2. Pet. 3. Vnde Isaias cap. 30. Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri. Deinde fit, vt ipsi puniant atq; affligãt bonos. Quomodo. n. Stephanus tantam gloriam iam haberet, si nullos tortores in præsenti habuisset?

3 Hæc verò consolatio est piorũ, qui citò moriuntur, quòd post hanc vitam alia supereſt, quæ nullum habebit finem. Hinc in Hebræo legitur vocabulum vitæ חיים non in singulari, sed in plurali numero, propter duplicẽ vitam præsentem & futuram: quarum illa breuis & ærumnosa, hæc verò æterna & beata existit, quam & Christus Iesus promittit seruantib. verbũ suum, Ioan. 8. Vt hoc nos quo-

que seruare possimus, auxiliũ præstet nobis ille idem, sine quo nihil facere possumus, per ipsum, aũt nos corroborantem omnia, Amen

CONCIO LIII.

Prouerb. 8.

Omnes qui me oderunt, diligunt mortẽ.

1 Hæc verba loquitur sapientia, i. Christus Iesus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi, Col. 2. quiq; factus est, vt Apostol ait, 1. Cor. 1. nobis sapientia à Deo. Non. n. huic ad mensuram dedit Deus spiritũ Ioan. 3. qui omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, 1. Cor. 2. Deum nemo vidit vnquá, vnigenitus filius (.i. Christus Iesus) qui est in sinu patris, ipse enarrauit, Ioan. 1. Ipse scit omnia, Ioan. 16. ipse nouit patrem, Mat. 11. Ipse nouit omnes homines, Ioan. 2. Omnia per ipsũ facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est, Ioan. 1. In sapientia aũt omnia facta sunt, Psal. 104. Sap. 9.

2 Hanc sapientiam diligere oportet omnes qui mori nolũt. Non. n. mentiri potest sermo Dei, qui veritas est & sic dicit: Omnes (siue Iudæi sint, siue Græci) qui me oderunt (.i. non sunt boni philosophi) diligunt mortem, i. ea via ambulant, quæ ad mortem, qua non solũ cor-

corpus ab anima, sed & ipsa anima à Deo separatur, ducit: Sie wöllen des todts eigen sein. Et quomodo viuere possit ille, qui per fidem & dilectionẽ non adhæret ei, qui ipsa vita est? Si quis, inquit Diuus Paulus 1. Corint. 16. nõ diligit Dominũ Iesum (qui est via, veritas, & vita) sit anathema, maranatha, i. peribit exitio mortifero. Et Ioannes 1. Ioh. 5. Qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium Dei, vitam non habet. Sed dicas, quis adeo insanit vt scienter ac prudenter diligat mortẽ, quam omnis caro naturæ instinctu exhorrescit? Verùm quoniam hic est effectus contemptæ sapientiæ Dei, vt mortẽ cõciliet, sic locutus est Spiritus S. Quemadmodũ Prouer. 29: dicitur odisse animã suam, qui cũ fure participat, et 13 odisse filium, qui parcit virgæ. Et hac loquendi consuetudine vtimur & nos Germani, cũ de eo, q vitæ suæ corruptione seipse perdit, dicimus, Der mensch ist ihm selbs feind. Nemo seipsum scienter, & sicut Apost. dicit Eph. 5. carnẽ suã odit. Et tamẽ id prædicatur de illis qui seipsi perdunt: licet nemo mortalium sit, qui se ipsum ardentius diligat, quàm illi ipsi, qui voluptatibus suis obnixè indulgent.

3 Sapientiam aũt non amant, sed odio habẽt qui verbum Dei (ex quo & nostri & Dei cognitio discitur) contẽnunt: timorẽ domini, qui sapientiæ initiũ est, non habent: correptionẽ

& disciplinam non libenter recipiunt, fratribus Christi non benefaciunt, oleũ in suis vasis nullum habent, in sermone Christi per fidem non perseuerant. Odium. n. sapientiæ, i. Christi Domini censeri debet, nõ solũ si quis scienter & prudenter odij affectu contra illũ præditus est, vt Turcæ & Iudæi affecti sunt, sed & si quis ea Domino suo faciat, quæ illi habentur execranda, etiamsi faciat animo non irritandi, sed gratificãdi, quemadmodũ odisse Deum dicuntur Exod. 20. quotquot simulachris aduoluuntur, & Deũ qui spiritus est, in simulachris contra præceptum ipsius colunt & adorant. Ille qui vult ac iubet se supra omnia diligi, det nobis quod iubet, vt vita possimus frui sempiterna, Amen.

CONCIO LIIII.

Prouerb. 10.

Timor Domini apponit dies, & anni impiorum breuiabuntur.

1. De longa, & breui vita loquitur Salomon, & simul indicat, qui diu sunt victuri, quique minus. Diu viuũt, qui sanctè viuunt, æterna eos vita manet, qui in deum credunt. verè viuit qui deo viuit, in quo deus operatur sancta qui factis fidem testatur, qui sic timet dominum, ne offendat. Impij aũt, inquieti, pertina-

ces,

ces, & violenti immatura morte rapiuntur, mala conscientia viuentes mortui sunt. Criminosi lege plectuntur, periodum vitæ non assequuntur: tolluntur. n. ne malè agere pergát semper, vt Pellicanus annotauit. Quis aũt non libentius vitam possidere velit, quã amittere? cũ vita sit nobilis, & tam præclara ac beata res, vt & Christus dominus vitæ nomine seipsum appellauerit, Ioann. 11. 14. Ac tametsi loquentes de vitæ nobilitate ac bonitate intelligamus potissimum vitam ęternam: tamẽ multis de causis præsentem quoq; vitam verè commendare possumus. Melior. n. est, inquit Eccles. cap. 9. canis viuus leone mortuo. Ad hæc præsentis vitæ tempus est tanti momenti: ac tam pretiosum, vt quicquid homo seminauerit in eo, hoc & messurus sit in futuro seculo, Gal. 6. Omnes. n. nos manifestari oportet corá tribunali Christi, vt reportet vnusquisque ea quæ fiunt per corpus (bey leibs leben) iuxta id quod fecit, siue bonũ siue malũ. Hinc Chrysost. Tom. 2. p. 68. In hoc seculo aut quęritur vita, aut amittitur, & Tõ. 3. p. 231. Præsens hæc vita tam rectè, quá contrariam tibi viuendi potestatem dat: postq̃ verò diem tuũ obieris: iudiciũ & pœna consequitur. Itẽ in priori parænesi ad Theod. lapsum: Quádiu hîc sumus, etiamsi peccamus decies millies, semper erit spei locus, omnia dabitur abluc-

re scelera dignam exhibentibus pœnitentiã. Cæterùm si quando hinc abierimus, nondũ consecuti vehementissimam pœnitentiam, manebit nos quiddam acerbius; nam tum vel dentibus frendemus, vel plangemus, vel rogabimus infinita, sed ne summo quidem digito paululum quiddam refrigerij quispiã destillabit ardentibus nobis: quin eadem audiemus, quæ quondam diues ille, nempe magnum esse hiatum inter nos & vos. Redeamus itaq; ad frugem meliorem moneo, dum hîc degimus, & agnoscamus dominum sicut agnoscere fas est, Etenim non est cur alibi speremus pœnitentiam, in inferno constituti, quo in loco pharmacum hoc infirmum est: hoc autem seculo, etiam in extrema senecta impositum, miram vim præ se fert. Vnde diabolus omnem, quod aiunt, lapidem mouet, quo in nobis altè radicem agat cogitatio desperationis. Quandoquidem nouit quamlibet exiguum pœnituerimus, nullo id pacto facturos indonatos à Deo, &c.

2 Quoniam igitur timor domini conciliat ætatem & adijcit dies, timeamus quæso dominum, & eum iugiter ante oculos nostros propositum habeamus: quod fiet, si credide rimus verbo domini. Ex fide nanque proficiscitur timor Dei: qui si sit purus & filialis (vt esse debet) coniunctam sibi habebit dilectionem,

nem, quæ operatur, quod Deus vult, id est, bonum, declinato malo, quod Deus abominatur. Quemadmodum enim signum odij est, auertere oculos: sic amoris indicium est, figere ac conuertere oculos in aliquam rem. De hoc timore Dei, quid sit atque agat, quidque Deus ei promittat, videris patrem Salomonis, Psal. 34. & 33. Dicit enim, Venite filij, audite me, timorem domini docebo vos. Quis est qui desyderat vitam? Diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Item: Oculi domini super metuentes eum, & super eos qui sperant in misericordia eius: vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. De Ezechia legitur 4. Regum 20. quòd additi sint diebus eius quindecim anni.

3 Cum autem impietas tam ingens malum sit, vt ob hanc decurtentur anni hominum, abnegemus eam, ô fratres, & non simus impij, quales existunt, qui verbo Dei nullam fidem adhibent: neque rationem Dei & eius Christi gerunt, eumque nec metuunt, nec amant, non secus viuentes, ac si nullus Deus vspiam foret, qui cuncta & videat nunc, & olim iudicaturus sit. Sed parum esset in hoc seculo duntaxat abbreuiari annos impiorum,

virorumq; sanguinum & dolosorum, vt Dauid ait Psal. 55. nisi etiam priuarentur vita beata & sempiterna: quam vitam donare velit nobis pater luminum per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

CONCIO LV.

Prouerb. 11.

Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iustitia autem liberabit à morte.

1 Vtile & necessarium est credere & intelligere vanitatem diuitiarum, & præstantiam iustitiæ. Quod si non ita foret, profecto Scriptura sacra eius rei non faceret toties mentionem. Quoniam autem sæpe numero eius meminit, nostrum est, vt eandem etiam non obliuiscamur, quò contemptis diuitijs ac terrenis thesauris sectemur iustitiam.

2 Ita enim loquitur spiritus sapientiæ per Salomonem, Nihil prosunt opes in die indignationis, seu tempore supplicij: οὐκ ὠφελήσει ὑπαρχοντα ἐν ἡμέρᾳ θυμοῦ. Idem legimus Ezech. septimo: Sophon. 1. Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die

die furoris domini. & Psalmo 49. Qui confidunt in diuitijs, & in multitudiue diuitiarum suarum gloriantur, non redimet alius alium.

Ne igitur reponamus nobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea corrumpit, & vbi fures perfodiunt, ac furantur, Matthæi sexto. Videamus & caueamus ab auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet, Luc. 12.

Omnium autem dilgentissimè caueamus ne per iniustitiam & fraudes velimus atque tentemus ditescere, primæ Timothe: sexto, Ecclesiast. quinto. Scriptum est enim Prouerbiorum decimo, Nil proderunt thesauri impietatis, id est, congregati per fraudem & prædam, vel parta improbè. &, vigesimo primo: Parare thesauros lingua dolosa, vanum & futile est: accelerant enim mortem. & Matthæi decimosexto: Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ verò suæ iacturam fecerit? item, primæ Thessalonic. quarto: Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum, propterea quòd vltor est Dominus de omnibus his.

3 Cæterùm de iustitia quid dicit hîc Sapiens? At iustitia defendit à morte, & alibi: Δικαιοσύνη γὰρ ἀθανάτός ἐστι: Sap. 1. Qui ergo dili-

git vitam, & horret mortem, exerceat iustitiã id est, tribuat deo gloriam & credat in illum, vt Abraham, Romanor. quarto, det indigenti eleemosynam & diligat illum: concedat corpori suo non nisi quæ sunt necessaria ad victum & cultum eius. Iusti enim ibunt vitam æternam, nec morientur in sempiternum, Matth: 25. dormient illi quidem, sed in domino, cum quo vita eorũ abscondita est in Deo: qui factus est eis à Deo iustitia: qui defendit nos à morte æterna: qui est laudandus in secula. Amen.

CONCIO LVI

Prouerb. 11.

MORTVO homine impio nulla erit vltra spes, & expectatio iniustorum peribit. Iustus de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo.

I

DIsserit hîc Salomon de spe impij & extitu illius: necnon de spe iusti atque ipsius finali euentu. De spe impiorum in hunc modum ait: In morte hominis impij perit spes: sic & expectatio (confidentium in sua)

sua) bona, peribit: vel, Et expectatio iniustorum, id est, eorum qui iniuriam & vim fecerunt proximo, peribit. Vel, & spes virium, id est, filiorum, qui sunt spes parentum, interibit. Vel, vt Græci legunt· τὸ δὲ καύχημα τῶν ἀσεβῶν ὅλως). Porrò impiorum spes etiam describitur per similia, Sap. 5. Est enim tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei præteuntis.

Cæterùm si moriente homine impio, perit spes, vt exemplum diuitis, Luc. 16. ostendit (in inferno enim nulla est redemptio) vtique adhuc viuente impio, spes est. scilicet vt pœnitentiam agat & se conuertat ab impietate ad Deum, qui non vult mortem peccatoris. Et sicut illud terribile est auditu: sic istud consolatione plenum. Nam, vt Cyprianus ait, etiam sera pœnitentia, est pœnitentia. Quare obsecro (inquit Chrysostomus Hom. 75. in Math.) quousque nobis tempus conceditur, rectè viuamus. Nam neque gubernator, postquam nauis submersa est: neque medicus, postquam ægrotus obijt, quicquam prodesse potest: sed omnes antequam res in exitum veniat, studere ac vigilare oportet, ne in mortem, ac naufragium deueniant: nam

postea nihil amplius prouidere possunt. Similiter igitur etiam nos, quoniam in ægritudine vitam trahimus, & medicos congregemus, & omni studio incumbamus, vt ab ægritudine iniquitatis liberati, sani ex hac vita recedamus: & quantum erga seruos nostros cũ ægrotant studium adhibemus tantam diligentiam ergo animas nostras habeamus.

Finis impij ostenditur his verbis. Et tradetur impius pro eo, scilicet iusto in angustia constituto. Siquidem (teste Apostolo, 2. Thess. 1.) iustum est apud Deum reddere ijs qui affligunt pios afflictionem, & iustis qui affliguntur relaxationem, quum reuelabitur dominus Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ qui infligit vltionem ijs, qui non nouerunt Deum (id est, impijs & Dei contemptoribus) & qui non obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luent interitum æternum, &c.

2 Quid autem de spe piorum & iustorum dicemus? Mortuo viro iusto non perit spes. Sic enim Græci legunt: τελευτήσαντος ἀνδρὸς δικαίου οὐκ ὄλλυται ἐλπίς.

Siquidem pius ita dicit cum sancto Iobo, cap. 13. Etiamsi occiderit me (dominus) tamen in ipso sperabo. Hæc spes qualis sit, & quem finem habeat, demonstratur. Sapien. 3. Rom. 5. & 8. Psal. 25. vbi sic scriptum extat: Et si co-

si coram hominibus tormẽta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Porrò spes non pudefacit. Si quidem spe seruati sumus. Deus meus in te confido, non erubescam.

Exitus piorum est liberatio ab angustijs. Deniq; iustitia perducit ad vitam: sicut qui sectatur malum accelerat mortem suam, vt idem Salomon dicit cap. 11.

3 Hæc cum ita sint, quis impietatem non odisset, quis iustitiam non esuiret? Est autem impietas contemnere verbũ Dei: carere metu, fiducia, amore Dei. Iustitia autem deo placens est iustitia fidei, per quam impetramus remissionem peccatorum propter Christum mediatorem, & per quam imputatur nobis iustitia Christi domini, & donatur nobis spiritus sanctus, qui nos Deo quod Dei est, & proximo, quod proximo debemus, reddere docet. Vt verò abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè possimus viuere in præsenti seculo, & expectare beatam illam spem & illustrationem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, adsit nobis gratia dei salutifera quæ id nos doceat,

Amen.

CON-

CONCIO LVII.

Prouerb. 14.

Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.

1

Hoc dictum ostendit timorem domini rem vtilem ac bonam esse. Est autem timere Iehouam, præ oculis habere eum, qui vbiq; est, & omnia in omnib. est, & à quo omnia suam essentiam habent. Si autem quis salutariter vult timere Deum, & eum metuere non solùm propter pœnas, sed etiam propter seipsum: hunc oportet etiam sperare in deum, Psal. 147. & diligere illum. Quis verò non diligeret illum, siquidem verè per fidem illum videat & oculis cordis aspiciat, cum sit non modò amabilis, & viuens, & bonus, sed etiam ipse amor, ipsa vita, ipsumque bonum.

2 Quæ igitur vtilitas est, & qui fructus, qui ex timore Dei oritur? Timor domini, inquit Sapiens, est fons vitæ: vel iuxta Hebræos, vitarum, vt ita loquamur: id est, qui timent Deum, non solùm hîc, sed etiam illic viuent, & & non modò rectè, sed etiam beatè, nec tantùm i-

tùm in corpore, sed etiam in anima & spiritu, demùm in præsenti seculo & futuro. Nam vt impijs mortem, etiam corporalem, infertdominus opinione citius, vt Ananiæ & Saphiræ, Actorum quinto, iuxta illud Prouerbiorum decimo. Impiorum anni decurtabuntur: sic etiam pijs dat vitam longiorem in terra aliquando, vt promisit, Deuteronom. quinto. Quando verò illos adhuc iuuenes existentes ex hoc seculo rapit, tunc id in illorum commodum atque salutem facit, Sapient. quarto, Scimus etenim, quod his qui diligunt Deum, omnia (& ergo non tam vita, quàm mors) simul adiumento sunt in bonum, Rom. 8.

3 Aliam vtilitatem, quæ ex timore Dei nascitur, exprimit his verbis: ad declinandos laqueos mortis. Quanquam enim ad prius referri potest explicandi causa: tamen etiam in hoc bonum est timere dominum, vt declinentur peccata q̃ progignunt mortem, & aculeus & laquei sunt mortis, imò scorpiones & serpentes, animas hominum capientes & interficientes, Roman. 6. Iacob. 1. 1. Corinthior. 15. Ecclesiast. 21. Vt ergo dominus Deus iuxta promissum suum in Ieremia capite 32. timorem sui det in corde nostro, ne recedamus ab eo, qui ipsa tum iustitia, tum vita est, oremus singuli cum Dauide Psal. 86. dicen-

tes, vni (seu applica Domine) **cor meum**, vtti meat nomen tuum, Amen.

CONCIO LVIII.

Eccleſiaſt. 2.

NON erit memoria ſapientis ſimiliter vt ſtulti in perpetuum & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: Moritur doctus ſimiliter vt indoctus: & idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem & afflictionem ſpiritus.

1

DOcet Salomon his verbis memoriam nullius hominis, nec ſapiẽtis, nec ſtulti diuturnam eſſe. Quomodo enim id quod olim fuit, obliuioni nunc traditum eſt: ſic & id quod nunc eſt, ſubſequentibus annis obliuioni tradetur, & ęquè morietur ſapiens atq; ſtultus: idq; ex ſententia illa ſemel lata in Adamum & eius poſteros, Ex terra es, & in terram reuerteris. Quæ ſententia à Dauide via vniuerſæ terrę appellatur, 3. Reg. 2. Si

Si Ecclesiastes hîc de humana sapientia loquitur intelligendum est, secus habere sapientiam timoris sacri, qua qui præditi sunt, in æterna memoria erunt. Sin verò loquitur de vera & diuina sapientia, sciendum in hac quidem vita omnia, adeoque & mortem stultis & sapientibus esse communia. Sed in futura vita vnumquemque opera sua sequutura. Nemo ergo nimia vel tristitia, vel lætitia afficiatur ob præsentia, quę pariter omnibus eueniunt, tum bona, tum mala.

2 Quid Concionator ex hac consideratione colligit, quòd omnes eundem exitum habent? Idcirco tæduit me, inquit, vitę meæ, videntem mala vniuersa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus. Hebręus habet, Odi vitam, quæ scilicet in hoc seculo laboriosè degitur. Hinc Paulus Romanorum septimo, Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Pro odiendi verbo perdendi vsurpat Dominus Christus, vbi de perditione loquitur, qua vitam perdere debeamus in hoc seculo, vt in futuro eam inueniamus.

3 Notandum porrò tędium huius vitę prouenire ex diuersis causis. Quàdoq; prouenit ex Dei amore, & desiderio cœlestis patrię,

Philip. 1. Ei enim qui ad supernam conuersationem festinat, omni pœna, omniq; carcere grauior est hæc cum corpore vita, inquit Basil. Magnus: concion. de Gratiar. act. Interim tamen nemo sibi ipse mortem conscisce re debet: scriptum est enim, Non occides. Quandoq; venit ex consideratione malorum, quibus mundus plenus est, Romanorum septimo, Ecclesiast. secundo, & quarto. Quandoq; ex vehementia tribulationis, Iob. 10. 2. Cor. 1. Quandoque etiam ex accidia, & longa tristitia in diuino seruitio, vel impatientia, 3. Reg. 19. Ionę. 4. Quemadmodum autem illi qui mortem reformidant: sic etiam isti quos vitæ suę tædet, orare debent: Pater noster, Fiat voluntas tua, non nostra, sicut in cœlo & in terra, Amen.

CONCIO LIX.

Ecclesiast. 3.

OMNIA tempus habent, & suis spacijs transeunt vniuersa sub cælo. Tempus nascendi, & tempus moriendi, &c.

1

Credere ac scire cuncta suum habere tempus &

pus & occasionem, seu opportunitatem, adeoque & tempus nascendi, & tempus moriendi esse, tùm consolationi nostræ, tùm institutioni seruit. Cum enim diuinitus hæ nascendi & moriendi vices distribuantur, neque temerè regãtur (Dominus enim est, qui mutat tempora & ætates, Daniel. secundo.) æquè ferenda fuerit hæc vitæ & mortis reciprocatio, vt quàm Deus in tabulis suorum decretorum consignarit ab æterno, quæ rescindere non liceat, etiamsi possis, neque possis, si maximè velis, constitutis nimirum nascendi & moriendi terminis, quos transire nequeas. De quibus alibi idem Salomon sic meminit, Non possumus quicquam néue addere, nêue auferre: & Iobi decimoquarto, Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Hoc meditantes piorum animi prælucente fidei metusque diuini lumine, pacatè, tranquilleque se habent, pariter ad vitam & mortem diuinæ prouidentiæ permissi. At verò hîc non subsistimus, sed ad consolationem firmam capiendam, egressi extra illas vices considerauimus, conuersas esse renascendi leges. Porrò in opere subsolari suum quidem tempus est nascendi & moriendi, non item in supersolari, in quo ad mortem à renascen-

tia nulla transitio fit. Renascimur enim ex spiritu illo Messiæ supracœlesti ad æternam vitam. O quàm salutaris hæc commutatio est. Mutatur terra cœlo, caligo luce, tempus æternitate. Etsi enim sit tempus, vt post prælecta verba sequitur, etiam demoliendi, seu destruendi, videlicet tabernaculum huius mortalis corporis: tamen & tempus est ædificandi, quo nimirum id ipsum instaurabitur ad firmitatem nunquam violandam. Sapienter autem Ecclesiastes principiò de natiuitate & morte loquutus est, vitæ huius temporariæ & eius finis nos admonens.

2 Cæterùm si tempus est moriendi, nostrum fuerit, tempori huic seruire, atque ipsum redimere, Romanor. 12. Ephes. 5. sicut & tempus visitationis nostræ cognoscere, Lucæ decimonono. Item cauere, vigilare & orare, quia nescimus quando tempus sit, Marc. 13. Adhæc illud quoq; cogitare (monẽte Chrysost. lib. 2. de prouid. Dei.) præmiorum & coronarum tempus esse futurum seculum, colluctationum verò ac laborum præsens. Quod nobis apertius insinuare volens beatus Paulus, dicebat, 1. Corinth. 9. Sic curro non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus ef-

ficiar. At verò cum ad finem certaminis veniſſet, tũc demũm beatisſimam illã emiſit vocem, 2. Tim. 4. Bonum certamen certaui, cursum conſummaui, fidem ſeruaui, iam repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Oſtendens vitam omnem in certaminibus & laboribus nobis eſſe agendam, ſi cupimus æterna requie bonisque illis perfrui. Sin autem aliquis ita delicatus ac negligens ſit, vt putet ſe & huius vitæ voluptatibus, & prẹmijs ac gaudijs cœleſtibus iuſtis præparatis frui poſſe, hic ſeipſum prorſus fallit ac decipit, &c.

Cuncta quidem, inquit Olympiodorus, quæ fecit Deus, opportuno proueniunt tempore, vt æſtas, autumnus, &cẹt. Quæ verò homines facimus laudabilia quidem ſunt, ſi fiant tempore opportuno, vt ſi quis nunc eat emptum oleum cum virginibus prudentibus, Matthæi vigeſimoquinto. Sin vero ante tempus fiant, aut præter tempus, iure damnantur, vt ſi quis in morte demum conuerti velit ad Dominum, aut pœnitentiam differre in aliam vitam.

3 Verum quidem eſt, quod impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua, Ezechielis trigeſimotertio. Sed tamen fatua eſt dilatio in præparatione eorum, quæ ſcit homo ſibi fore neceſſaria, & neſcit qua hora: & prẹcipuè

quando illa non possunt breui præparari, vt si quis transfretare debeat, & incertus est, qua hora nauis à littore debeat discedere, fatuus est, si ea quæ sibi necessaria sunt: differat præparare. Sic cùm sine charitate, quæ vestis est nuptialis, nemo possit in paradisum intrare, & incertum sit qua hora debeat homo de vita ista discedere, fatuus est, qui differt eam sibi præparare. Fatua est etiam dilatio in rebus illis, quarũ tẽpus & opportunitas transit vt in transplantatione arborum, directione virgarũ, edomatione animalium, institutione puerorum, curatione infirmitatum, resistentia hostium, lottone vestiũ, sallitione carnium, formatione vestium. In his & similibus nouerunt homines tempus opportunum eligere. De tempore vero opportuno suæ correctioni non curant, cum tamen Dominus dicat, In tempore accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi, Esa. 49. Ac quoniam καιρῷ ἰδίῳ, vt Paulus loquitur, Gal. 6. id est, tempore suo metemus non defatigati, stabiliat nos Dominus Iesus in omni sermone & opere bono, ne vnquam bonum faciendo defatigemur, sed dum tempus habemus, operemur bonum, cùm erga omnes, tum verò maximè erga domesticos fidei, Amen.

CON-

CONCIO LX.

Eccleſiaſt. 4

VERTI me ad alia, & vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas innocentium: & neminem conſolatorem, nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio deſtitutos. Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes: & foliciorem vtroq; iudicaui qui nec dum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt.

1

VT hæc verba melius atque rectius intelligere poſsimus, & aliquid conſolationis & doctrinæ ex illis capere, videndum erit, quis ſcopus & quæ ſumma totius libri Eccleſiaſtis ſit.

Hic liber eſt de finibus bonorum, ſiue de vitæ vanitate ſcriptus: in quo docetur, hanc vitam eſſe totam vanam ac miſeram, nec vllá eius partem beatam. Atque hoc in totius libri propoſitione & idem in concluſione ponitur. Quòd ſi quis interroget, quid in hac vi

ta sit bonum? respondet Solomo, nihil: sed omnia esse vana ac misera. Sed tamen si in hac ipsa miseria quæras, quid sit bonum, hoc est, minimè malum? respondet, esse voluptatem. Cætera omnia molesta & mala esse, in voluptate saltē aliquod esse quasi vitæ condimentum diuinitus concessum hominibus. Dicet aliquis: Ergo ne indulgebo voluptati? Profectō (inquit Solomo) siquidem huius vitæ frui uolo bono frui velis. Sed videndum est, ne inani bono sectando, verum bonum amittas. Nam quamuis in hac vita omnia temerè agi videantur, scio tamen & religiosis benè, & impijs non bene fore, omniumque opera quamlibet occulta iudicatum iri. Quod cum in hac vita non fiat, qnippe in qua & bonis malè & malis bene sit, vt apparet expectanda altera vita est, in qua & bonis benè, & malis erit malè. Quamobrem si alterius vitæ nullam rationem habes, epulare, pota, dum vita est, post mortem nulla voluptas. Sin alterius vitæ felicitatem sectaris, ita te gere, vt illo bono sis dignus: hoc est, Deum metue, qui suis cuiq; digna factis præmia rependet. Hoc est huius libri argumētum: quod ideo attingere placuit, ne quis hic fallatur. Sunt enim, vtinam pauci, qui non librorum finem & scopum spectant, sed vnum aliquem locum nacti, qui cū ipsorum libidine facere videatur, eum arripiunt,

piunt,& eo suæ patrocinantur licentiæ: perinde,ac si talem habituri sint iudicem Deum, quales sunt ipsi de se iudices.

2 Vnde aũthoc in loco Ecclesiastes hanc vitam esse miserã probat,adeò vt vel ipsa mors sit melior æstimanda? quemadmodum & Plinius testatur,multos extitisse, qui non nasci optimum censerent, aut quàm locyssimè aboleri. Ex eo, quòd in ea multæ iniuriæ fiunt ac feruntur. Dicit enim: Rursum videns ego tot iniurias,quæ sub sole fiunt, & eorum qui opprimuntur lacrymas, quos nemo consolatur,qui vi opprimuntur nemine consolante, præfero equidem mortuos,qui iam obierunt viuentibus,qui adhuc vitam agunt, & vtrisq; præpono eos,qui nondum sunt,qui quidem malas res non videant, quæ sub sole fiunt. Adducit ergo vanitatis humanæ vitę argumẽtum à tyrannide potentiorum, qua homines miserè opprimuntur, id est principum & regum terræ: quorum regnis meritò in prophetis,præsertim in Daniele, sæuæ bestiæ,vt leones,pardi,vrsi: item æs,ferrum,durissima metalla affiguntur. Vt contrà mitis rex Messias pro insigni Agni titulum gerit.

Neque verò mirandum est,mortuos viuis beatiores iudicari, & vtrisq; feliciorem eum qui nec dum natus est, sua ratione. Si enim sunt iusti,mors illis est tanquam lucrum, Phi

lip. 1. & vice liberationis è carcere, Roman. 7. Phil. 1. Psal. 42. & finis laborum atque miseriæ, Apoc. 14. Ecclesiastici 30. 41. Sin impij, morte impediuntur quo minus pœnarum & iræ sibi colligant contemptu diuinæ bonitatis ac lenitatis, Rom. 2. Quanquam si fieri posset, illis impijs peccatoribus satius foret, nunquam natos esse: quemadmodum Christus de Iuda dicebat, Matth. 26.

Porrò mystico sensu verba Solomonis ita intelliguntur: Qui peccato mortui sunt, viuentes in Christo, longè meliores atq; feliciores illis qui viuunt in peccato.

3 Hæc cum ita sint, vitam præsentem contemnere debemus, & omnia quæ in illa sunt: nec ita multum curare eam, vt solicitudine de illa impediti, minus curemus æternam vitam: item, mortem non solum nō timere, sed etiam cum gaudio suscipere: scientes post hanc vitam, quæ vix vmbra vitæ est, paratam esse nobis à Deo veram, beatam, & sempiternam vitam in Christo Iesu Domino nostro, cui sit honos & gloria in omne æuum, Amen.

CON-

CONCIO LXI.

Eccles. 7.

Dies mortis præferendus est diei natiuitatis.

1

Posset alicui mirum videri, quod Salomon pronunciet fatalem diem cuiusque meliorem esse, quàm natalem, quemadmodum & Thraces putarunt: qui nascentes luctu lamentisq; excipere: exeuntes aũtè vita gaudio gratulationibusque prosequi solebant. Vt enim vita nihil suauius & amabilius est, sic imagine & specie mortis nihil terribilius & tetrius. Vnde Germani vitam aiunt esse nobilẽ, & Græci omnium terribilium maximè esse terribilem, mortem. Præterea testantur sacræ literæ Deum vitæ, & diabolum autorẽ esse mortis: item, canem viuum præstare leoni mortuo, Eccles. 9. & mortem esse amaram, Ecclesiastici. 41.

3 Verùm duplici de causa præstantior esse dicitur dies mortis, quàm natiuitatis. Primùm quòd eum qui nascitur, multa adhuc pati oportet. Nam ad labores & ærumnas, vt est apud Iobum, nascimur: quos subitus ex v-

tero editos fletus excipit. Pauci partus legun tur risisse, quod in ostentis habitum est. Prætermitto mentionem de vitiositate corruptæ naturæ, in qua caro spiritui perpetuò rebellat, ea lucta non antea finienda, quam obeas. Omitto etiam illa quæ Iobus cap. 3. & Hieremias capite vigesimo de die natiuitatis suæ confessi sunt. Cæterũ qui moritur, liber redtur à miserijs mundi, migrat ad Dominum, à quo peregrinabatur, adhuc in corpore existens, Philip. 1. 2. Corinth. 5. Item, in morte relinquit peccatum, labores, afflictiones, limum ac lutum terræ, materiam perpetuæ pugnæ aduersus spiritum Dei: & corpus ex terræ luto fictum, quod relinquit per mortem, meliore cõditione recuperaturus est in die Iolo magno instaurationis huius vniuersitatis, corpus inquam recuperaturus est conformandum ad possessionem gloriæ cælestis regni, glorioso corpori Domini nostri Iesu Christi. Huc spectans Salomon mortem suo cuiusq; natali præfert. Quod cum animaduerteret pater eius Dauid, his verbis, Psal. centesimo decimosexto. mortem commẽdauit: Præciosa est mors sanctorum coram Domino. Hinc Chrysostom. hom. 39, in Mathæum: Quid leuius atque facilius, in luctamine concertare, aut corona donari? currere in stadium, vel brauium iam obtinuisse? fluctibus agitari, aut in portu

in portu deuehi? quare mori etiam melius quàm viuere censeo. A procellis enim atque periculis per mortem liberamur: vita verò & laborum cumulos exaggerat, & plurimorum peccatorum reos facit, & insidijs quotidie implicat, quibus efficitur vt mori melius quàm viuere mihi videatur. Quod si mihi non credis ab his audias, qui vultus martyrum in tempore certaminis conspexerunt. Quando flagellis cæsi, vncis ferreis laniati, in sartagine immissi lætabantur, gaudebant, & ceu in rosario constituti gestiebant.

Contrà compositi sunt, qui hęc minime cum animis suis cogitâtes, natales suos more Pharaonum & Herodum celebrant, Gen. 40. Matthæi 14. Hi sane potiorem diem mortis natali esse non ducunt. Inter quos reperias, qui fateantur se libenter alterius seculi cœlesti vita carituros si liceret hanc animalem vitam incolumem perpetuò cum opibus quas possident degere.

Hi sic sentientes & loquentes satis clarè prę se ferunt, se nihili Christi mortem & resurrectionem facere, quem pij credunt mortuum, & à mortuis resurrexisse, vt sua morte & resurrectione nobis cœlestem vitam, deleta hac fragili vita, compararet.

Deinde etiam dies mortis præstantior est quá natiuitatis: quia mors spiritualis, qua

quis peccato moritur, & ab eo iustificatur, multis nominibus præstat vitæ naturali: eo quòd regeneratio melior est generatione. Hinc Siracides 22. Stulti, inquit, vita morte deterior est. Ita vice versa dicere possumus: Sancti mors vita melior est.

3 Quæ cum sic se habeant, nolimus obsecro ethnicorum more dolere, quando vel nobis moriendum est, vel nostri moriuntur: siquidem sancti sumus. Nam sicuti mors peccatorum pessima, sic sanctorum preciosa est. Preciosa quidem, non si in se consideretur: sed si in Messia eam in vitam nunquam abolendam conuertente consideretur. qui sanè efficit, vt mors verè dicatur ostium vitæ & portus quieris. Ipsi itaq; debetur benedictio, honor, & potestas in secula, Amen.

CONCIO LXII.

Eccles. 7.

MELIVS est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, quem viuens ponat super cor suum.

Vt læ-

7

VT læto ac hilari animo queamus mori, & contrà quàm impijsolent dicere: nimirum in hunc modum: **Ich ſtirb/ vnd weiß wol wenn/nemlich wenn Gott mein lieber vatter will: Ich fahr/vnd weiß wol wohin/nemlich da mein herr Chriſtus iſt: vñmich nimpt wunder daß ich ſo traurig bin / dieweil ſterben nit iſt mein verlurſt/ ſonder mein groſſer gewün:** bonum ac neceſſarium fuerit, vt ea faciamus, quæ poſſunt nobis mortẽ facilem & iucundam, aut ſaltem non ita terribilem reddere qualis impijs eſt.

Dann es iſt kein ding/es iſt ein forteyl drauff vt videre eſt in leuandis & portandis oneribus, &c.

Duorum autem hìc fit in Solomone mentio, quæ efficiunt vt facilius & libentius vitam cum morte commutemus. Vnum eſt, ſæpe ac multum viſitare ægrotos & morientes, hoc eſt, ire in domum lugubrem, in qua calamitatum humanę vitę, in quas per culpam incidimus, & pœnitentiæ admonemur, per quá mortificata carne, ſpiritu, viuamus Deo, à quo per voluptatem in epulari domo verſantes (quę verè dicitur domus eſſe obliuionis & Dei & noſtri: vt lugubris domus, cognitionis noſtri & Dei domus) auellimur.

Alterum est, mortis memoriam sibi familiarem facere, seu finem omnium hominum ponere super cor suum. Vt enim minus doleat homo mortem amici, qui diu decubuit, quàm eius qui repentino moritur: sic magis terretur hora mortis iste, cui illa ex improuiso appropinquat.

Sed quarum rerum mors finis est? vitæ animalis, quam homo cum cæteris animátib. communem habet, peccati, laborũ, calamitatum, & in putri domuncula habitationis finis est. Hoc fine quem Deus toti humano generi imposuit considerato, reperti sunt etiam in prophanis gentibus, qui moderatè & suam & suorum mortem tulerunt. Porrò Anaxagoras cum ei in exilio degenti nunciata esset mors filiorum, sciebam, inquit, me genuisse mortales.

Socrates cum quidam ei diceret, Athenienses te morti adiudicarunt: & illos, inquit, natura. Epict. f licitatem in honesta morte ponebat, quam omnibus à Deo designatam agnosceret.

Agis Laconũ rex interrogatus à quodam, quo pacto quis libertatem tueri posset, si mortem inquit, contempserit.

Gorgias an libenter obiret, rogatus, respondit libenter morior: nam tanquam ex putri domun-

domuncula non inuitus discedo. At quanto æquius ferunt mortem è Messiæ spiritu regenerati, qui primò cogitant eam iusto Dei iudicio peccati stipendium esse, deinde eam cum peccato Christi morte ita victam, vt non solum nobis non obsit, sed etiam prosit, hac quæ pœna fuerat, in medicinam conuersa, vt per quam ad cælestem & æternam vitam via aperiatur superstitibus animis in cœlum proficiscentibus ad Deum, ad vitam suo quoque tempore corporibus excitandis.

Hæc dicit Salomon viuentes cum in luctu sunt, secum cogitare prælucente face fidei in pijs & timentibus Deum hominibus.

3 Sunt porrò & illa tria vtilia factu ei, qui cupit lætus oppetere mortem. Primum est crucifigere veterem hominem, & seipsum assuefacere ad relinquendam terram & ea quæ in ipsa sunt, hoc est, discere mori, dum vita adhuc ducitur. Nam sicut aridum lignum citius comburitur, quàm viride: sic homo spiritu mortificatus libentius moritur, quàm mundo viuens. Qui contemnit diuitias (inquit Chrysostomus Tomo quinto, pagina quingentesima secunda) & voluptatem & inanem gloriam, quorum gratia multi viuere desiderant: necesse est vt & migrationem ex hac vita æquanimiter ferat. Et Hō. 6. ad pop

Antioc: Dixi pridie vobis, quòd mortem timemus, non quidē quia terribilis est, sed quoniam neq; cœlestis regni amor nos succendit, neq; gehēnæ timor nos occupauit, & ad hæc quoniam conscientiam non habemus bonam. Vultis & quartam huius importunæ anxietatis causam cōmemorem, non minus superiorib. veram? non viuimus in asperitate Christianis congrua, sed facilem hanc & solutam & mollem amamus vitam: idcirco verisimiliter & præsentib. oblectamur reb. Quod si vtique in ieiunijs & pernoctationib. & victus tenuitate hanc vitam transigeremus, cupiditates nostras præcidentes, absurdas voluptates arcentes, sudores virtutis sustinentes, secundum Paulū corpus castigantes, & in seruitutē redigentes, carnis prouidentiam ad desideria non facientes, angustam & confragosam tenentes viam, cito futura concupisceremus, præsentibus liberari laboribus festinantes, & cæt.

Secundum est, disponere domui suæ, resq; temporales expedire in tempore, ne impediatur ijs in agone mortis quo minus cum Deo agere queat.

Tertium, consolatorias sententias ex verbo Dei colligere in vita sua, & memoriæ mandare, vt se hisce tanquam gladio spiritus tueri possit in agone mortis & stare in die ma

lo.

lo. Pater Domini nostri Iesu Christi det nobis iuxta diuitias gloriæ suæ, vt fortitudine corroboremur per spiritũ suum in internum hominem, vt semper in Christo Domino stare possimus, Amen.

CONCIO LXIII.

Eccles. 9.

NESCIT homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.

I.

NOn frustra toties Scriptura sacra conditiones præsentis vitæ nostræ describit: quales sunt, breuitas, miseria, & incertitudo illius.

Qui enim fide intelligit se non diu victurum in hoc tabernaculo, prospiciet sibi de alio domicilio.

Qui sentit istius vitæ ęrumnas, desiderabit ac quæret beatiorẽ vitam, h.e. æternam, quæ sine dubio optima est, & summè diligenda, cum istam miseram ita amemus.

Qui denique incertam esse cognoscit istam

vitam omni tempore vigilabit & orabit, ne imparatus reperiatur.

De vltima conditione Salomon hic concionatur, dicens: Et vtique nescit homo tempus suum, vel horam suam, id est, fatum vel finem suum: vel diem mortis suæ, vt Isaac loquitur, Genes. 27. vel quando tempus sit, vt Christus ait, Marci decimo tertio. Quo in loco Dominicus sermo loqui videtur de supremo mundi die. Sed cuiq; supremus vitę dies, supremus mundi dies est. Dominus autem vtrumque diem æque ignotum nobis esse voluit: hac quoque parte declarans indulgentissimam erga nos charitatem. Etenim cum nunc videamus intolerabilem diuitũ ac malorũ violentiã: quid facerent si scirent se diutius victuros? Rursus infirmi, vt sunt pleriq; mortales, si certò scirent se peruenturos ad senectutem, huc prorogarent exactioris vitæ studium: rursus si certum haberent pauculos vitæ dies supereſſe, tristes & anxij viuerent, & ad multas actiones reip. frugiferas redderentur segniores. Nunc hoc temperamento vsa est supremi numinis prouidentia, vt cũctis hominibus mors adeo sit certa, vt singuli non minus certò sciant se morituros, quàm sciunt natos esse, vtq; nec summi nec infimi sibi possint vana spe blãdiri: rursus dies mortis adeò incertus, vt eũ dominus nec sibi charis. notum

tũ esse voluerit. Itaq; fit, vt impij minus lædãt bonos, & boni sic abstineant à malis operib. quasi postridie sint morituri: sic incumbant bonis operibus, quasi diu victuri. Quid igitur sibi volunt qui ad chiromantas, astrologos, physiognomuntas, genethliacos, ventriloquos & magos currũt, vt sciant æui modum. Clamat Ecclesiastes, Nescit homo finẽ suum: & nos ab his volumus scire finem nostrum, qui ipsi finem suum nesciunt? An quod Christus æterna veritas nesciri voluit, quia scire non expedit, inuito Christo discent à vanis hominibus? An Christianis placet exemplũ impij Saulis? Quid autem illi profuit malefica, nisi vt bis moreretur?

Vtitur autem Sapiens egregijs similitudinibus, quæ huc quoq; spectant. Nam sicut pisces (inquit) capiuntur fallaci reti, seu sagena mala: & aues laqueo comprehenduntur: sic irretiuntur filij hominum tempore aduerso, cum repente irruerit super eos. Huius exempla habemus in Balthasar, rege Babyloniæ, Dan. 5. in Aman, Esther 5. in diuite Luc. 12. in seruo malo, Mat. 24.

Per pisces verò & aues duo genera hominũ possunt intelligi. Per pisces quidem filij huius seculi, qui influitante mari huius vitæ sectantur varias illecebras voluptatum. Per aues verò filij lucis, quorum conuersatio in

cœlis est, vbi Christus eorum caput sedet ad dexteram Dei: ante quorum oculos frustrà iacitur rete, Proue. primo. Non. n. incidunt in laqueum æternæ mortis: quia Deo de illis cura est: & ipsi sine eo non cadunt in terrâ, Mat. 10. si autem cadunt & moriuntur in eo, beati sunt. Apocal. 14.

3 Porrò cum & diabolus piscator sit & auceps, quærens quẽ capiat, & extendens vbiq; retia sua, tegens illa quidem cupiditatib. mundanis, diligenter vigilandum est & orandum, ne in ipsius tentationes & laqueos mortiferos incidamus, & animæ nostræ vita sua priuentur. Luc 21. 1. Thessal. 5. Sed & vniuersa armatura Dei assumenda, vt possimus resistere in die malo, Ephes. 6. & demum canere cum Dauide Psal. 124. Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est, de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram,

Amen.

CON.

CONCIO LXIIII.

Eccleſiaſt. 12.

MEMENTO creatoris tui in diebus iuuentutis, tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent: antequam tenebreſcant ſol & lumen, et ſtellæ & luna, & reuertantur nubes poſt pluuiam: in die quando commouebuntur cuſtodes domus, & mutabuntur viri fortiſſimi, & ocioſæ erunt molentes in minuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina, & claudentur oſtia in platea, in humilitate vocis molentis, & ſurgetur ad vocem volucris, & caſſæ erunt omnes filiæ carminis: excelſa quoque timebuntur & formidabuntur in via, florebit amygdalus, conuenient locuſtæ, & peribit appetitus: Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ: & circumibunt in platea plangentes: antequam rumpatur funiculus argenteus, & frangatur

fons aureus, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam, et reuertatur puluis in terram suã vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.

1

VT in toto hoc libello Sapiens ostendit omnia, quæ in hoc seculo sunt, esse vana & instabilia: ita & in hoc vltimo capite, vbi dicit etiam hominem, cuius causa omnia creata sunt, deficere & tandem mori.

Quemadmodum autem Iobus cap. 30. dicit mortem esse domum constitutam omni viuenti: & Dauid 3. Reg. 2. viam vniuersæ terræ. Ita concionator hoc loco, de morte loquens & discessu ex hac vita, inquit: Quoniam ibit homo in domum æternitatis suę, id est, è præsenti incolatu in futurum seculum, vt Olympiodorus exponit. Postea dicit: Et redeat puluis (id est corpus) in terram suam, vnde erat & spiritus (id est, anima) ad Deum qui eum dedit: reddituras scilicet rationem. Omnes enim coram eo manifestari oportet 2. Corinth. 5.

2. Itaq; rectè moner, vt meminerimus creatoris nostri (qui nos fecit ex nihilo ad imaginem suam) dum iuuenes sumus, antequam seneſcamus & moriamur. Qualis enim quisque

que est in iuuentute, talis plerunque manet in senectute. Beati autem, qui semper recordantur Dei creatoris & seruatoris sui, & hoc discunt facere à pueris, dum tempus habent, dum dies est, ante hyemem & sabbatum, vt & alibi monet Scriptura: Quoniam Domi. nus eorum quoq; recordabitur.

3 Vide autem quàm graphicè describat senectutẽ hominis & eius incommoda, atq; destitutiones omniũ virium eius, qui morti appropinquat. Antequã veniant (inquit) mala tempora, & anni, quibus te delectari negas, i. Corrige acrectè vitam tuam institue, anteq̃ accedat senectus, quæ iniucunda, molesta & onerosa est. Multi enim anni tanq̃ onus graue sunt, quo sanè nemo delectatur. Antequã senio cæcutias, & tibi scilicet in obitu tuo tenebrescat sol & luna: & post pluuiam videatur tibi cœlum serenum nubibus obductum, & tibi caligantes lachryment oculi: tremant manus: nutent crura, inutiles fiant dentes: caligent lumina: claudantur labia (vel fores domus, per quas non frequenter solent egredi senes ambulatum, qui libentius se continent domi) parum mandant dentes, & debilitetur vis digestionis in stomacho: ex cantu galli sus citeris à somno: deprimãtur instrumenta vocis (vel surdę fiant aures, quas delectat audire cãtilenas) alta & illisus in via timeas: canescat

caput, stridulam & querulam ędas vocem, & sic debiliteter corpus tuum, vt insultum locustę ferre non possis, vel curuus & gibbosus incedas, instar locustę: pereat appetitus, cessetque vniuersum gaudium: porteris ad sepulturam cum fletu ac luctu amicorum: rumpatur spina dorsi (vel. spiritus vitalis qui mẽbra colligat et exornat colore:) frangatur cor (vel cerebrum incluſum pelliculę aurei coloris) & cista fellis iuxta epar (seu venæ) & cranium capitis: denique antequam corpus & omnia membra tua concidant, & tu vitam cogaris amittere. Porro hęc non solùm ad particularem vniuscuiusq; interitum pertinent, sed etiam ad vniuersalem mundi finem accommodari possunt, Det nobis dominus gratiam, vt ipsius in hoc seculo nunquam obliuiscamur, vt & ipse recordetur nostri in futuro, per Christum Iesum, Amen.

CONCIO LXV.

Canticor. 8.

PONE me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors, dilectio: dura-

ra sicut infernus æmulatio: lampades eius, vt lampades ignis atque flammarum Dei. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

1

Nihil melius est, quod sponsa Christi facere potest, siue viuendum, siue moriendum ei sit, quàm sponsum suum ponere tanquam sigillum super cor suum & brachium suum, id est, Christo & affectibus & operibus subijcere sese, eumque amare, toto animo & omni fortitudine adhærere illi, omnia adeius gloriam facere: denique sic recipere fidem Christi, vt eam integram illibatamque custodiat: Ideo ait, vt sigillum. Quęcunque enim signata sunt, facilè temerari non possunt. Quod vt faciat, dignum est: Dicit enim:

2 Quoniam dilectio, qua dilexi te tanta est, vt pro te mortem pertulerim. Porrò in eos, qui ex te dici volunt, id est, in hypocritas, qui gloriantur se esse de ecclesia mea, & non habent signum meum, id est, fidem, per dilectionem operantem (qua se meos esse demonstrent, & non alterius) sed mundi & carnis si-

gna, quòd omnia illorum opera carnalia sint & sine fide, zelus & ira mea perinde atque infernus terrendissima atque durissima erit.

Ait denique, Carbones eius, carbones ignis, & flamma Dei, id est, magnifica. Vbi vehementia tam dilectionis, quàm zeli Christi exprimitur. Nam dilectionis ignis, nempe spiritus sanctus, facit vt ardeamus salubriter. Zeli verò ignis, id est, vindicta, impios consumit valde velociter. In eo autem, quod inquit: Aquæ multę non poterunt extinguere dilectionem: immutabilitas præscriptæ dilectionis, qua Christus Ecclesiam dilexit, ostenditur: de qua Iohannis tertio, Romanorum octauo. Nimirum tantus fuit eius dilectionis ardor, quòd nullis incommodorum, tribulationum, opprobriorum, ac quorumuis malorum vehementissimis fluuijs potuit extingui aut dilui, hoc est, immutari & auferri. Liquet enim ex parabola ædificantis domum supra firmam petram (Lucæ sexto,) in quam flumen irruit, &c. quod per flumen aduersitas nonnunquam designatur.

Cum verò nequeant flumina diluere dilectionem Domini erga nos, certum est ipsum diligere suos etiam post mortem. Hinc Paulus Rom. 14. Siue igitur viuamus, siue moriamur, Domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit & reuixit,

uixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur. Cum item dilectio Christi erga nos tam firma sit, debet & nostra vicissim erga illum firma esse: adeo vt nulla aqua, id est, tribulatio, neque ipsa mors, quantumuis illa fortis sit, & auellat animam à sensibus carnis, nos à Christo Iesu separari possit: vtque omnibus quæ possidemus, abrenunciemus, parati ea cæteris dare ad Domini iussionem: hisque datis, quasi nihil despicere ea. Quemadmodum videmus nonnunquam discedentes à regno Antichristi, qui potius quàm negare veritatem Domini, ingenti cum spiritus gaudio quæcunque possident, etiam vxorem, filios, amicos & vitam propriam, si ita oportuerit, deserunt & pro nihilo habent.

4 Possumus ergo dictum illud: Fortis est vt mors dilectio: ad tria illa referre. Primùm ad dilectionem Christi, quia vsque ad finem id est, mortem nos dilexit, Iohannis decimo tertio. Secundò ad dilectionem credentium, quæ per spiritum sanctum in illis etiam firma & fortis est, quàm diu suprà petram firmissimam Christum fundati manēt, Matthęi septimo. Tertiò ad potentiam mortis: qua nihil, vt ille ait, inexorabilius, nihil surdius, nihil rigidius. Arte mansuescunt feræ, vel immanissimæ. Est quo frāgatur marmor, est quo molleſcat adamas, nihil est quo

mortem delinias. Ea nec formæ parcit, nec opibus, nec ætati, nec imperijs. Resistitur (inquit Augustinus in Psal. 101.) ignibus, vndis, ferro: resistitur potestatibus, resistitur regibus. Venit vna mors, & quis ei resistit? Nihil est illa fortius. Atque ob idipsum æquiore ferenda animo, vel quod ineuitabilis, vel quod tam ex æquo communis omnibus.

Meritò dicta est charitas, fortis, sicut mors (scribit August. Epist. 29.) siue quia nemo eam vincit sicut mortem, siue quia in hac vita vsque ad mortem est mensura charitatis. Sicut Dominus ait, Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis: siue potius, quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentijs carnalibus. Hinc Prosper de vita contemplatiua dicit: Charitas est vita virtutum. Et alius: Charitas est mors vitiorum. Sicut enim fluit cera à facie ignis: sic pereunt vitia à facie charitatis. Deus charitatis ac pacis det nobis spiritum potentiæ ac dilectionis per Iesum Christum filium sibi dilectum, qui mortem quidem aboleuit, vitam autem in lucem produxit: cui sit gratia & gloria in æternum,

Amen.

CON-

CONCIO LXVI.

Sapient. 2.

DEVS creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

1

DVplex humani generis status est. Vnus vetus: alter nouus. De vetere hîc habemus, qui bipertitus est, integer & corruptus. In vtroque expendimus, qualis fuerit, quas causas habeat, & quæ vtrunque consecuta sint.

De integro dicit Sapiens: Deus creauit hominem inexterminabilem (siue immortalẽ; siue in integritate, siue ad vitã æternam) & (ad) suæ ipsius naturæ (vel, propriẽ similitudinis) imaginem fecit eum. Quæ sit autem imago Dei, exponit Paulus, Ephes. 4. his verbis: Qui (nouus homo) iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem veritatis. Huius status mentionem facit etiam Ec-

cleſiaſtes, capite ſeptimo: Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum. Quia fecit illum capacem Dei per cognitionem & amorem.

2 De corrupto ſtatu, cuius cauſa efficiens exterior Satan eſt, interior Voluntas primorum parentum, ait Sapiens: Inuidia autem diaboli mors introiuit in mundum: experiuntur autem eam, qui ſunt illius partium: vel, imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius: vel, vt Germani legunt: Vnnd alle die ſeinenthalb ſind, die thůnd auch wie er: oder, die ſeins theils ſind, helffend auch dazů. Impij enim & filij diaboli patrizant, id eſt, homicidæ ſunt, Iohan. 8.

Auguſtinus inquit: Quoniam iſta mors ſic à diabolo venit in homines, non quod ab illo fuerint propagati, ſed quòd eum fuerint imitati, continuò ſubiunxit: Imitantur autem eum qui ſunt ex parte eius.

3 Sed quid ex his concludimus ac diſcimus? Deum non feciſſe mortem, nec lætari in perditione viuorum, vt idem Sapiens capite primo teſtatur: ſed Satanam eſſe eius autorem, & hunc inuidiæ impulſu decepiſſe hominem: Inuidiam eſſe diabolicum peccatum, ſeu diaboli inuentum, vt Chryſoſtomus vocat, Homil. quadrageſimaſexta. in Geneſ. Omnibus eſſe moriendum, quia mors intra-

intrauit in mundum, cuius vnuſquiſque aliqua pars eſt: Diabolum meritò eſſe non amore ſed odio proſequendum: quia in cauſa fuit, quòd & nos & noſtri omnes morimur (amat autem illum, quiſquis præcepta & cupiditates eius facit.) Item, dilectione Dei in Chriſto Ieſu exhibita vitam credentibus eſſe reparatam atque reſtitutam (qui alter & nouus ſtatus hominis eſt) Sic enim (vt in Iohanne legimus) Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Regi igitur ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli ſapienti Deo, honor, gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

CONCIO LXVII.

Sapient. 3.

IVſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.

1

Cum ſciamus vbi ſint corpora noſtrorum mortuorum, nempe in terra, iuxta illud Geneſ. tertio, Puluis es, & in puluerem reuerteris. & 2. Reg. 14. Omnes morimur, & quaſi

aquę dilabimur in terram: quęri potest nunc vbi sint animæ eorum (cum non tam carne, seu corpore, quàm spiritu siue anima constent.) Respondet Sapiens de Iustis (in quorum numero haberi omnes optare & contendere debemus. Quid enim ad nos iniusti ac impij?) & horum animas dicit esse in manu Dei: In hanc enim ipsi eas cum Christo per fidem commendant, Psalmo 31. Lucæ 23. Actorum 7.

Vnde & Tobias capite quarto: ait: Cum acceperit Deus animam meam, corpus meũ, sepeli. Et Moses de Hænoch Gen. 5. quia tulit (vel accepit) eum Deus.

2 Quid est autem esse in manu Dei? Est esse non in inferno, Psalmo decimosexto, multo minus in purgatorio, quod quidam alicubi esse fingunt: nec in manu hominum, Matthęi 10, neque diaboli: Iob 2. sed esse in potestate & pręsidio Dei: tutum & beatum: in pace & vita æterna (quæ Christus est, & Deus, qui viuorum, non mortuorum Deus est) adeoque longe ab omni malo, morte, tormento: est denique esse ibi, vbi mors vltra non erit, neque luctus, neq; clamor, neq; dolor, quia prima abierunt, Apocal. 21.

Porrò si iustorum animæ sunt in manu dei, non possunt illæ quidem (vt Chrisost. scribit in cap. 8. Math, à corporibus separatæ apud nos

nos in his regionibus errare. Multis enim è locis Scripturę comprobari poteſt, non errare hîc poſt mortem iuſtorum hominum animas. Nam & Steph. ait: Suſcipe ſpiritum meum. Et Paul. reſolui, ac eſſe cum Chriſto deſiderabat. De Patriarcha quoq; Scriptura dicit: Et appoſitus eſt ad patres ſuos, &c. Quòd verò nec peccatorum animę hîc commorari poſſunt, diuitem audias quid dicat, perpendasque quid petit, & non impetrat. Quod ſi poſſent animę hominum hîc conuerſari, veniſſet ipſe vt cupiebat, & ſuos detormentis inferni feciſſet certiores: quo ex loco ſcripturæ illud etiam apertè patet, quod poſt exitũ à corpore in locum quendam certum animę deducuntur, vnde redire ſponte ſua non poſſunt, ſed terribilem illum iudicij diem ibi expectant.

3 Qui ſunt autem illi iuſti, quorum animæ ita ſunt in manu diuinæ miſericordiæ per ſecuritatem glorię conſequendæ, vt nullus cruciatus eos attingat? Filij Abrahami, i. qui Deum timent eiq; credunt, & hoc operibus declarant, hoc eſt, vocem Chriſti audiunt, Iohã. 10. eundemq; ſequuntur vſq; ad extremum, per afflictionem, crucem & deniq; mortem ipſam, idq; in fide, ſpe & charitate. Iuſti & illi ſunt, qui ex corde agnoſcunt ac damnant iniuſtitiam ſuam, territiq; gehenna, cõfugiunt

ad asylum diuinę misericordiæ & ad salutifera pœnitentiæ remedia. De his enim dicitur illud Matt. 25. Iusti verò ibunt in vitam æternam: quam vtinam & nos consequamur in Christo Iesu domino nostro, Amen.

CONCIO LXVIII.

Sapient. 3.

VISI sunt (iusti) oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, & à nobis abitus eorum, contritio: illi autem sunt in pace. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati, in multis bene afficientur, &c.

1

HInc, quòd tam diuersum est iudicium insipientum à iudicio sapientiæ de exitu iustorum, intelligi potest, quàm verum sit, quod scriptum est Iacob. quarto: Amicitia mundi, inimicitia est cum Deo. & Iohannis decimoquinto: Mundus me prius quàm vos odio habuit. & Galat. quinto: Caro concupiscit aduersus spiritum, & contra. Item, 1. Corint. 2. Animalis autem homo non

non accipit ea quę sunt spiritus Dei: stultitia siquidem illi sunt.

2 Nam insipientibus probi videntur mori, totaliter, in anima & corpore: at sapiens dicit eorum spem esse immortalitatis plenam: Insipientum iudicio putatur iustorum discessus à nobis, calamitosus, imò iter exterminij: Sapiens verò pronunciat eos esse in pace & saluos.

Sæpe fit, vt opinentur homines signum charitatis Dei esse, leniter obdormire: & signum iræ Dei, acerba morte affici: cum non raro contrarium sit verum. Quem enim diligo, hunc castigo, dicit Dominus: qui ceu indulgentissimus parens flagellat omnem filium, quem recipit, Hebræorum duodecimo: interim mollibus ac breuibus remedijs sanans vlcera nostra, vt parcat in futuro. Hîc laudanda imperatoris nostri benignitas, qui militibus suis subministrat virtutis materiam, vt coronet magnificentius. Vtrobique magnum est lucrum, nisi fortè mediocre lucrum videtur, cum capitali morbo laborans, deuorat amara catapotia, leuique ac temporaria molestia, & mortis periculum effugit, & perpetua sanitatis dulcedine fruitur: aut cum miles ob vnius horulæ conflictum, summas, per omnem vitam opes, summosq; honores consequitur.

Nolimus ergo iudicare quicquam ante tempus donec veniat Dominus: sed commendare omnia ei, qui iustè iudicat: Nolimus etiam ritu gentium plorare super mortuos in domino. Nam discedunt quidem à nobis, ex mundo exeunt, terram relinquunt: sed accedunt ad Iesum, intrant in ciuitatem Dei, Hierosolymam cœlestem. Ac quęcunque acciderit mortis forma, nullus hinc æstimetur. Ne de ijs quidem qui ob commissa facinora dant pœnas legib. licet mortem sortiantur infamem, temerè iudicandum est. Nam fieri potest, vt qui ob excitatam seditionem dissecatur in quatuor partes, migret in angelorum contubernium: quum alius in veste Franciscana moriens ac religiosè sepultus, demigret ad inferos. Dominus est, qui de his iudicat. Varijs modis suos exercet ac purgat Deus, sed nulla mala mors haberi debet, quam bona vita præcesserit. Interdū qui placidissimè expirant, demigrant ad æternos cruciatus: contrà, qui miserabiliter torquentur, euolant in requiem, quam vtinam Dominus Iesus det etiam animabus nostris propter nomen suum benedictum,

Amen.

CON-

CONCIO LXIX

Sapient. 4.

IVSTVS autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus dilectus, & viuēs inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscētiæ transuertit sensum sine malitia. Consummatus in breui expleuit tempora multa. Placita .n. erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum, &c.

I

ETsi iusti pariter & iniusti nonnunquam & præsertim tempore pestis, præmaturè obeant: tamen id accidit magno cum

discrimine. Hi enim cum moriuntur, nec spem habent, nec animadúersionis tempore solatium, Sap. 3. At illi in quiete sunt. Non igitur pereunt in morte: quia post mortem & sunt, & in pace ac refrigerio sunt. Apoc. 14. Et idcirco solutionem corporis qui fideles sunt (teste August.) nec timent, nec verentur, sed venire magis desiderãt & exoptãt, vt Simeon vt Paulus, Luc. 2. Rom. 7. Phil. 1. Quoniam sicut Cypr. de mortal. scribit, quem & August. citat Tom. 7. p. 1248. peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitatẽ constituit. Huc pertinere videtur & illud Chrisost. in cap. Mat. 9. & Ioan. 11. & hom. 69 ad pop. vbi de mortuis sic loquitur, in consolationem plorantium eorum gratia: Quòd si in peccato mortui sunt, finem tamen peccandi habuerunt. Nam si pœnitentiã essent acturi Deus cui omnia patent, non antequã eam egissent, ipsos rapuisset: sin verò iusti decesserunt, euaserunt iam à periculis, & tuti supremam beatitudinem possident.

Quæ est aũt causa, quòd & iustus aliquando præoccupatur morte, cum habeat promissionem diuturnioris vitæ, Exod. 20. Prouer. 10. Impiorum verò dies decurtandi prædicãtur, Psalm. 55. Erstlich dieweil er alt gnug ist zu sterben: vt Germanus loquitur. Siquidem honesta senectus non temporis longitudine,

nec

nec annorum numero metienda est: quin ho minib. canities prudentia est, & senilis ætas intaminata vita. Hinc Salomon Prou. 16. Ho nestum ornamentũ est canities inuenta in vir tutis via, & Dauid ps. 119. Super senes intelle xi, quia mandata tua custodiui. Senectutẽ. n. commendat in sensu, sapientia, & in conuer satione probitas & innocentia. Deinde quia Deo placet & charus est, vt de Enoch transla to scribitur, Gen. 5. Heb. 11. Propterea propera rat Deus illum è medio malitiæ & peruersi se culi (quod plenũ scandalis, malisq; est exem plis) transferre & rapere: ne, cum inter pecca tores viuat, eius sensum immutet prauitas, aut animum fallacia decipiat: ne corrumpa tur illius fides, vel doctrina falsa, vel vita im pia. Fascinum enim vanitatis (seu exempla praua) honesta abolent, corrumpuntque bo nos mores colloquia praua: & concupiscen tia vaga sinceram mentem immutat. Non igi tur ira est, sed beneficium & misericordia Dei in pios suos (quib. mundus non est dignus) quod consũmantur in breui, i. sic præmaturè obeunt: tametsi hoc vulgus hominũ non ani maduertit. D. Aug. in lib. de agenda cura pro mort. inqt: Vocantur ante tẽpus boni, ne diu tius vexentur à noxijs. Mali verò & impij tol luntur, ne diutius bonos persequantur.

3 Nostrum aũt fuerit, sectari iustitiam, pru dentiam & innocentiã, cũ tanta bona

sa sint eiusmodi sectatoribus. Siue enim breui, siue post multum temporis moriantur, in requie sunt.

De iustitia Christus Math. 5. loquitur, Nisi abundauerit vestra iustitia plus &c. De prudentia & innocentia seu simplicitate (quæ vera canities & senectus est) Math. 10. Vultenim vt simus prudentes velut serpentes, & simplices sicut columbæ. Nam serpentes caput ante omnia defendunt: aures ad vocem sibi ingratam obstruũt: venenum antequam bibant (id enim quidam, testante Diuo Augustino, faciunt) deponunt. Sic etiam nos Christum caput nostrum ante omnia custodire debemus: alienam vocem non audire: accessuri ad fontem vitæ, declinare à malo: à quo liberet nos Dominus Deus per Iesum Christum filium suum vnigenitum, Amen.

CONCIO LXX.

Sapien. 9.

QVIS enim hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ

tiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt. et quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ in cælis sunt autem quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis, & si correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines? Nam per sapientiam sanati sunt, qui cunq; placuerunt tibi Domine à principio.

I

DVarum præcipuè rerum in his verbis mentio fit: quarum vna est miseria humani generis: altera necessitas sapientiæ diuinæ: quam Salomon in principio capitis à Deo postulauit: & 3. Regum 3. cuius rei plurimas rationes habuit. Primam sumpsit ex parte sui specialiter: alteram nunc sumit ex parte generis humani, generaliter: quod patitur defectum in cognoscendo, & maximè circa diuina: ad quæ se habet intellectus noster, sicut oculus noctuæ ad lucem Solis. Ideò

dicit, Quis homo cognoscat consilium Dei? q.d. nullus nisi per sapientiam diuinitus sibi datam. Tertia ratio accipitur ex defectu cognitionis nostræ circa actiones humanas. Dicit enim cogitationes mortalium esse miseras incertas & dubias: nisi dirigantur dono sapientiæ diuinæ. Quarta à corruptibilitate corporis intellectum impediente,. Corpus enim, inquit, mortale animum grauat, obruitque mentem terrestre vas, adeò vt vix multa cum cura contemplemur terrestria. Quinta ex defectu cognitionis nostræ circa naturam sensibilium, quarum proprietates non possumus scire perfectè. Et quæ sunt in manib. inquit, ægrè inuenimus. Quis etenim proprietates vel minimi folij arboris, quantum ad virtutem, figuram, colorem & huiusmodi, ad plenum per rationē inuestigare queat? Quis pondus ignis ponderare? quis flatum venti mensurare, &c. 4. Esd. 4.

2 Quoniam igitur minora & terrestria & sensibus humanis subiecta cognoscere non possumus: quis nostrum perueſtigabit maiora, cœlestia, quæ oculus non vidit, & auris nō audiuit? nisi (quemadmodum addit Sapiens) Tu Deus sapientiam dederis, sanctumq; tuū spiritum ex alto demiseris, vt ita terrestrium mores corrigantur, & quæ tibi grata sint doceantur homines, sapientiaq; conseruētur:

Quæ

3 Quæ cum ita sint, rogemus omnes & singuli Dominum Deum nostrum, vt det nobis sapientiam cœlestem & Spiritum sanctum. Omnis enim qui petit, accipit, Iac.1. Luc.11. Vt vero diligentius & ardentius orare possimus ponamus nobis semper ob oculos tres illas corporis nostri proprietates seu conditiones, quæ hic ponuntur. Est.n. corpus humanum φθαρτὸν (propter quod magis gaudendũ esse censet D. Chrysost. hom. 35. in Mat. c. 10. quam si post mortẽ integrum maneret) deinde non nisi χοϊκὸς σκιῶν, postremò idipsum σαρκικὴν ψυχὴν, καὶ βεβαρημένου πολυφροντίδα. Corruptibile est, quia propter peccatum mortale. Terrenum habitaculũ, quia ex terra sumptũ & in terram conuertendum: Aggrauans animam & deprimens sensum multa cogitantẽ, non quidem in quantũ corpus est, sed in quãtum corruptibile: quia non impediebat in statu innocentiæ, neq; onerosum animæ erit in statu beatitatis, vt quidam philosophi existimarunt, sed falsò, teste Augustino lib. 13. c. 16. de Ciuitate De. Absorbebitur enim mortalitas olim à vita, 2. Cor. 5. 1. Cor. 15. & hoc per Iesum Christum Dominum nostrum victorem mortis, cui sit honor & gloria in sempiternum, Amen.

CONCIO LXXI.

Ecclesiastici 1.

TImenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.

1

OStendit hîc locus, quinam bene ac feliciter sint morituri (qualiter omnes mori cupiunt) nempe illi qui timent Dominum: Tales enim cum obibunt, inuenient gratiam & benedictionem, id est, salutem & vitam æternam. Gratia enim Dei salutifera est, & regnat per iustitiam ad vitam æternam, per Iesum Christum. Hinc Apostolus: Donum autem Dei, vita æterna: item per gratiam estis seruati, Romanorum sexto, Ephes. 2.

Ideò alibi dicit Iosua Sirachi filius præclarè: οὐδὲν κρεῖττον φόβου κυρίου, Ecclesiastici 23. Nam spiritus timentium Dominum viuet: & anima eorum beata erit, Ecclesiastici 34. Imo nō solum ipsis bene erit (idque etiam in hac vita, Tob. 4.) sed & ipsorum vxoribus ac liberis, Psal. 128. Ecce, inquit Psalmus trigesimus tertius, oculi Domini super metuentes eum, &

super

super eos qui sperant in misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Ergo quorum oculi ad Dominum, ad eos vicissim Domini oculi respicient, iuxta illud 2. Paralipom. 15. Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Est enim timere Deum, illum præ oculis habere, & semper tanquam in conspectu eius ambulare, exemplo Dauidis dicentis Psalm. 16. Iehouam iugiter habeo mihi propositum, quo mihi dextero non labefiam: Item iuxta illud Prouerb. 3. In omnibus vijs tuis cogita, siue agnosce illum, scilicet Dominum.

2 Nascitur autem Dei metus ex fide. Sine dubio enim timebit Dominum is, qui eum omnipotentem, & creatorem vniuersorũ crediderit: item iustum iudicẽ viuorum & mortuorum. Vnde rectè Ecclesiastes capite vltimo monet, dicens finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mãdata eius obserua. Hoc est omnis homo: Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, cum omni secreto, siue bonum, siue malum sit.

3 Cognoscitur porrò metuens Domini ex eo, quòd velut sapiens in diebus peccatorũ à delicto cauet, Ecclesiast. 18. Nam & immanissimas bestias, teste Augustino, à maximis voluptatibus absterreri dolorum metu videmus. Et nulla res ita nos conseruat ab omni

peccato immunes (inquit Bernardus) sicut terror supplicij, siue iudicij, & amor Dei. Sicut.n. equus (vt ille ait (duobus calcarib. tangitur latere, vt melius & fortius currat viam: ita anima hominis duabus affectionibus solicitatur, videlicet amore & timore. Siquidem amore præmij ad bonum prouocatur, & timore supplicij à malo reuocatur. Sciunt pij potius propter Deum (vt Philipp. Melanchton scribit) rectè faciendum esse, quàm propter pœnas. Sed sciunt hoc quoque eiusdem facti multas esse causas & ordinatas: & Deum velle agnosci voluntatem suam & iram in pœnis, velle metui pœnas præsentes & futuras. Deinde cognoscitur, timens Dominum inde, quòd in diebus afflictionum non blasphemum imitatur latronem, de quo dicitur, Ne times quidem tu Deum, &c. sed patiens est, & spe gaudet in Christo Iesu: qui est in omnibus Deus laudandus in secula, Amen.

CONCIO LXXII.

Ecclesiastici 4.

PRO iustitia agonizare pro anima tua: & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimi-

nimicos tuos.

I

GRÆci in hunc modum legunt: ἕως τοῦ θανάτου ἀγώνισαι περὶ τῆς ἀληθείας, καὶ κύριος ὁ θεὸς πολεμήσει ὑπὲρ σου.

Docet autem nos hæc sententia primum, veritatem nobis chariorem esse debere propria vita, & potius eligendam bonam mortẽ, quàm transgressionem iustitiæ. Si autem vita potius amittẽda (das leben, das edel ist, wie mans nennt) quàm veritas, multo magis ea quæ vita viliora sunt, & ipsi duntaxat seruiũt, vt opes, honores, potestas, amici, &c. Dicit enim ipsa Veritas, id est, Christus Iesus, qui sermo patris est: Qui amauerit patrem aut matrẽ supra me, nõ est dignus me: & qui amauerit filium aut filiam supra me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus, Matth. 10. Item Lucæ 14. Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, ac matrem & vxorem, & filios & fratres & sorores, præterea autem & animam suam, (id est, semetipsum) non potest meus esse discipulus.

2. Deinde nos monet, vt ἀπερισπάστως, id est, absque vlla distractione adhæreamus veritati, & vt in eius confessione & defensione perseueremus vsque ad finem, vtque fideles simus vsque ad mortem, vt renunciemus mundo et

volũtati gentium, Rom. duodecimo, 1. Pet. 4. vt resistamus per fidem & orationem (hæc enim sunt arma Christianorum) patri mendacij, diabolo, & astutijs eius, Iacob. 4. Eph. 6. vt crucifigamus carnẽ, & facta corporis, Gal. 5. Rom. 8. Vt denique veritati, nec falsitati præponamus, vt faciunt homines leues, inconsideratè loquentes: nec vanitatem, vt amatores temporalium rerum, quæ non dant plenitudinem cordi possidentis: nec vmbram & picturam, vt hypocritæ, qui apparentiam sanctitatis ipsi sanctitati præponunt. Meritò autem nos qui Christiani esse ac dici volumus, ad mortem vsque decertamus pro veritate, animæq; nostræ causa contendimus pro iustitia: quoniam & ille, qui veritas & iustitia est, pro nobis mortem subijt. Vnde Apostolus secundæ epist. Timoth. secundo cap. inquit: Tu igitur feras afflictionem, vt bonus miles Iesu Christi. Nemo qui militat implicatur vitæ negotijs, vt ei, qui se in militiam delegit, placeat. Quod si certat etiam aliquis, non coronatur, nisi legitimè certauerit.

3 Dicas, quid ergo erit nobis, si constanter pro veritate certauerimus? Dominus Deus (inquit) pro nobis pugnabit: qui si pro nobis est, quis contra nos? Spiritualis ne hostis aut corporalis? Nullus omnino. Vide promissiones, Math. 10. Omnis qui confitebitur me

me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui est in cœlis. Mar. 10 Amen dico vobis, nullus est, qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & euangelij, quin recipiat centupla nunc in tempore hoc, domos & fratres, & sorores, & matres & liberos & agros, cum persecutionibus, ac in seculo venturo vitam æternam. Ioannis octauo: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberos reddet vos. Secundæ epist. Timoth. quarto capite: Certamen bonum decertaui, cursum consumaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solum autem mihi, sed etiam omnibus, qui diligunt aduentum ipsius. Vtinam cito veniat, & nos ad seipsum assumat, vt vbi est ipse, & nos quoque simus,

Amen.

CONCIO LXXIII.

Ecclesiastici 5.

NOLI tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

1

NOn sine euidenti causa Spiritus sanctus nos monet, ne cunctemur redire ad Dominum, id est, ad viam, veritatē, vitam, lucem, iustitiam, sapientiam, charitatem, &c. quia non semel hoc facit, sed sæpenumero, vt Esa. 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest, &c. Ecclesiastici 18. In tempore peccatorum ostende conuersionem. Math. 5. Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, &c. cæt. Ioan. 12. Ambulate donec lucem habetis. Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum.

Prouenit autem ista procrastinatio, quam hic Sapiens vetat, plerunque ex hoc, quod peccator repromittit sibi longam vitam, ignorans, neq; perpendēs mortem esse certam, nihil autem incertius hora mortis.

Estque

Estque hæc repromissio nequam, Eccles. 9. 11. quia sibi vsurpat quod proprium Dei est, scilicet de futuro tempore disponere, Actorum 1. Nequior, quia cum tempus infiniti valoris sibi à Domino datum, satuè expenderit, adhuc tamen præsumit quòd Deus multum temporis sibi sit daturus: Nequissima, quia talis non tantum tempus sibi datum perdidit, imo etiam in contumeliam ipsius largitoris expendit, & futurum tempus in contumeliam eius expendere disponit. Qua fronte ergo præsumit, quòd Deus qui ista nouit, debeat sibi longam vitam dare?

2 Est verò vna ex causis, quòd monet nos Deus ad accelerationem conuersionis ad se: quia conuersio dilata difficilior est, accelerata autem facilior. Vt enim optimus modus est occidendi serpentem materialem per contritionem capitis: sic vincendi serpentem infernalem in principio conflictus. Sic Dauid in fronte percussit Goliam. Pharao in morte primogenitorum dimisit populum Iudæorũ Sunt autem multa quæ conuersionem dilatam faciunt difficiliorem. Primum est indu-ratio. Puerilis enim ætas tenera est, vt virgula, senilis verò dura, vt trabs desiccata.

Alterum hoc, quòd contrarium gratiæ Dei iam occupauit hominem: ideò Dei gratia difficilius in eo recipitur: sicut materia quæ ha-

bet aquam, difficilius accipit ignem:

Tertium, quòd ille, qui diu distulit conuerti, dissipauit in se bona naturæ. Vt enim facilius est aliquem ditari, qui habet multa bona sibi relicta à parentib. quàm illum qui bona paterna iam consumpsit: sic paruulus qui bona naturæ, vt innocentiam, humilitatem, virginitatem habet, facilius ditari potest diuitijs spiritualibus, (Habenti enim datur) quàm ille qui peccando bona naturæ consumpsit.

Quartum, quòd quanto aliquis diutius in peccato manet, tanto amplius oneratur peccatis. Esset verò magna stultitia, habere quatuor iumenta, & onera eis sufficientia, & imponere onera quatuor iumentorum infirmissimo ex illis: sic fatuè agunt homines, qui senio, quod est debilissima pars vitæ hominis, totum onus vitæ volunt imponere.

Quintum, quòd circa mortem homo multa habet impedimenta, vt infirmitatem & solicitudinem de dispositione domus suæ, quæ vix permittunt hominem cogitare de anima sua.

Sextum, quia tunc magis diabolus impugnat hominem. Insidiatur enim calcaneo eius.

Septimum, quia iustum est, vt à Deo contemnatur moriens, ille qui eum contempsit viuens,

uens: Esa. tertio. Prouerbiorum primo, 1. Regum .2.

Octauum, quòd quanto aliquis in peccato diutius moratur, tanto amplius à Deo elongatur. Qui autem longo tempore se à Deo elongauit, non nisi longo tempore ad Deum redibit, nisi Dominus magnam gratiam ei facere voluerit, vt latroni in cruce, & & afflare illi ventum spiritus sancti, illique ire, imò currere obuiam, vt pater ille Acolasto, Luc. 15.

3 Hæc cum ita sint, nolimus quæso fratres, cunctari ad Dominum (à quo peccando desciuimus) redire, per pœnitentiam veram, neque diem ex die ducere, ne incidamus in iram & iudicium eius. Non enim frustra huic admonitioni addit Sapiens hanc rationem: Nam ex improuiso prodibit ira Domini, & vltionis tempore peribis, id est, in die iræ, quo patefiet iustum iuditium Dei: nimirum, si non resipueris & ad Dominum conuersus fueris. Ipse dominus Deus conuertat nos in tempore, vt liberati à ventura ira, viuamus cum Christo Iesu in æterno seculo,

Amen.

CONCIO LXXIIII.

Eccleſiaſt. 7.

IN omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.

1

Cùm mors peccatorum ſit tam mala, vt ſatius illis eſſet, quòd nunquam nati fuiſſent: cumque Deus ita peccata oderit, vt ea ſemper & punierit, & puniat, & puniturus ſit: quis non ex animo à peccatis liberari cupiat? præſertim cum nemo libenter pœna afficiatur, atq; à Deo & eius regno abijciatur.

2 Qui ergo vult à peccatis abſtinere, credat ſibi eſſe moriendum (Deus enim dixit) & fide ſemper recordetur τὴ ἐσχατάσυ, & in primis mortem, quæ, vt Horatius ſcribit, Vltima linea rerum eſt. Hanc enim qui ob oculos habet, abſtinet à ſuperbia, auaritia, luxuria: reconciliatur cum Deo & hominibus, orat, &c. Hinc D. Hieronymus ad Cyprian. Memento, inquit, mortis tuæ, & non peccabis. Qui ſe quotidie recordatur eſſe moriturũ, contẽnit præſentia, & ad futura feſtinat. Idem ad Heliodorum: Nihil æquè tibi proficiet

ciet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quicquid facies, respice mortem. Platonis sententia est: Sapientum vitam, meditationem esse mortis. D. Gregorius 24. Moral. Qui considerat (inquit) qualis erit in morte, semper pauidus erit in operatione, atque inde in oculis sui conditoris viuet.

3 Porrò memorari in omnibus operibus nouissima sua, est non solùm memoria retinere & sæpe repetere quatuor illa, mortem, resurrectionem, iudicium Domini, & vitam beatam: verùm etiam meminisse in omnibus negorijs exitus, hoc est, obseruare suas actiones, sermones, cogitationes, & videre atque animo prospicere, quid inde secuturum sit, vtrum gloria Dei, an ignominia, proximi commodum, an incommodum, propria salus, an perditio. Nam in cunctis nostris actionibus bonus finis nobis esse debet propositus. Dominus Deus noster dignetur actiones nostras aspirando præuenire, semper & adiuando prosequi, vt cuncta opera nostra ab ipso semper incipiant, & per ipsum cœpta finiantur, per Iesum Christum, Amen.

CON-

CONCIO LXXV.

Eccleſiaſt. 8.

Noli de mortuo inimico tuo gaudere: ſciens quoniam omnes morimur.

1

Vt Deus nihil præcepit, quàm quod facere bonum & vtile eſt: ſic nihil prohibuit, quá quod malum & pernitioſum exiſtit. Prohibet autem hoc loco per Siracidam, inhumaniſsimum vel potius immaniſsimum atque turpiſsimum vitium τῆς ἐπιχαιρεκακίας, nimirum gaudium ob mortuum inimicum: quod maximè ineſſe ſolet in ambitioſis, auaris & vindictæ cupidis. Iſti enim ſæpe etiam amicis & cognatis mortem precari ſolent, quò ſcilicet eorum muneri, aut hæreditati ſuccedere poſsint. Sed væ illis. Nam qui in ruina lætatur alterius, vt mons Seir diſsipatione domus Iſrael, Ezech: 35. non erit impunitus, prouer: 17. Cum igitur ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas (inquit Salomon, prouer: 24.) & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam. Laqueo capientur, qui lætátur in caſu piorum, Eccl. 27. Quemadmodũ nemo vult, quòd de ſua morte quiſquam gaudeat:

deat: sic etiam nullus ob aliorum mortē gaudere debet. Cato inquit lib. 1. Cum dubia & fragilis sit nobis vita tributa, In morte alterius spem tu tibi ponere noli. Sed & nostrorum inimicorum (quos Christus diligere iubet, Math. 5.) morte gaudendum non est, prę sertim quatenus id maleuolo ac inuido, peruersoque fit animo.

2 Meminerimus, nec vnquam obliuiscamur, nobis omnibus quoque moriendum esse, sicuti certè est, Scriptura testante, Heb. 9. 2. Reg. 14. Sumus enim peccatores, adeoque mortales: mortisque rei: id quod bene meminisse, vehementer expedit. Nam si memoria mortis inutilis & vana esset, non petijssent sanctissimi viri, Dauid, Moses, &c. vt Dominus notum ipsis facere digneturfinem suum: quemadmodum eos petiuisse legimus, Psal. 39. & 90.

3 Ad quid ergo prodest meminisse nobis vitam hanc finiendam esse? Destruit superbiam, extinguit iuuidiam, effugat luxuriam, euacuat vanitatem, construit disciplinam, perficit orationem. Hinc Idiota ille vir sanctus in contemplationibus suis de Morte inquit: Assidua memoria mortis, benignissime domine Iesu Christe, prodest ad hominis humiliationem. vnde antiqui volentes se humiliare, ponebant cineres super capita sua, in

memoriam mortis, & quòd in cinerem redígerentur, sicut scribitur : Memento homo quia cinis est, & in cinerem reuerteris. Et alibi: Quid superbis terra & cinis? Prodest etiam Domine Iesu Christe, memoria mortis, ad fugienda peccata. Nihil enim tam reuocat à peccato, quàm frequens mortis cogitatio, sicut scribitur: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Qui enim recolit mortem, cogitare debet quòd peccatũ causa est mortis, quia sententia data fuit Adæ, quòd quacunque die de fructu vetito comederet, moreretur. Et alibi: Sordes eius in pedibus eius, quia non est recordata finis sui. Prodest insuper Domine Iesu Christe, ad deprimenda carnalia desideria, & ad abigendas tentationes varias & diuersas, quæ separant animam à te: Nihil enim tantum valet ad domanda desideria, quantum cogitare qualis sit ipsa futura mors. Prodest etiam Domine Iesu Christe, ad erogationem eleemosynarum: non enim sunt Domine bona hominis quæ secũ ferre non potest: sola nanque misericordia comes est defunctorum. Sed ad quid præterea pijssime domine Iesu Christe prodest? Certè ad prouocandum & inducendum peccatorem ad veram pœnitentiam. Nam quum audisset Ezechias rex, quòd mori deberet, fleuit a-

ultra amarè, & tunc tu Domine, mortis sententiam prorogasti, & alias gratias ei fecisti. Rex etiam Niniuæ audiens quòd ciuitas subuerti debebat, induit se sacco, & egit pœnitentiam, & tunc Domine sententiam subuersionis reuocasti. Quanto igitur Domine, homo magis appropinquat, tãto magis debet bona agere, & de peccatis cõmissis humiliter pœnitere. Sed ego induratus peccator hoc sciens pœnitere non curo, sed in peccatis perseuero, de quibus non doleo. Compellas igitur pijssime domine Iesu Christe, cor meum durum ad veram pœnitentiam, & ignoscere mihi clementer digneris, vt memoriam mortis semper habendo à vitijs cessem, & pro tui nominis gloria bona agam, vt te iuuante mortem non sentiam sempiternam, sed vitam in laude tua nunquam morituram, Amen.

CONCIO LXXVI.

Eccleſiaſt. 10.

QVID superbit terra & cinis? Quia in vita proieci intima eius. Longum morbum præcidit medicus, & rex hodie, & cras morietur. Cum. n. morietur homo, hæreditabit serpentes et bestias, & vermes.

1

HOmo seipsum nouisse debet, iuxta illud Sapientis, γνῶθι σεαυτόν. Non enim frustra spiritus sanctus tam multa in Scripturis passim de homine testatur. Ac si mulieres speculum suum, in quo facies inspiciunt, cum amiserint diligenter quærunt, & curiosè tergunt à puluere & à sorde: multo amplius speculum interioris hominis debemus & inuenire, & tergere & inspicere, vt in eo totam turpitudinem nostram valeamus deprehendere, & ita per cognitionem nostri ad cognitionem Dei peruenire.

2 Quid est igitur homo? Præ lecta verba dicunt esse illum terram & cinerem: & hoc ad eius ingressum in istam vitam referri potest: sicut illud ad progressum, in vita eius proieci intima, vel, intestina eius, longum morbum præcidit medicus, & rex hodie, & cras morietur, id est, Dum homo viuit, nihil est, nisi περίψημα καὶ σκύβαλον/ Ein eitel schändlicher Kot: & tametsi medicus diligenter illum & sedulo curet, tamen res tandem eò deducitur, vt qui hodie rex & in authoritate fuit, cras moriatur & sit in sepulchro. Vnde D. Chrysostomus ad Theodorum Monach. ait: Non est profecto theatralibus scenis præsens vita dissimilis. Nam vt illic ille imperatoris, hic iudicis, alter & militis implet officium:

cium: vbi autem consecuta nox fuerit, nec imperator agnoscitur imperator, nec iudex qui fuerit, iudex videtur, nec miles postea q prius miles: ita vnusquisq; nostrũ in illius seculi die, nõ personis, sed rebus atq; actib. competentem accipiet dignitatem. Hæc ergo gloria iudicanda est, quæ sic ab homine defluit? vt cadere diuinus sermo florem dixit à fœno. Hoc verò ad ipsius hominis egressum & finem referri debet: Cum morietur homo, hæreditabit serpẽtes & bestias & vermes, id est, ab his deuorabitur. Hæc autem omnia dicuntur præcipuè de altera natura seu parte hominis, corpore videlicet: sed eadem quoque de mente hominis intelligi possunt. Nam reuera puluis & cinis est homo: sicut & Abraham de seipso confessus est, Genes. 18. Vt enim puluis ex quacunque parte venti impellitur, & in aliam aream deijcitur, & ibi remanet: sic homo in omne vitium cadere potest, nec adijciet vt resurgat, nisi misericordia Dei ei subueniat. Et sicut cinis nec profert germẽ ex se, nec susceptum semen germinat: sic homo nec bonũ facere, nec in aliquo bono perseuerare sinegratia Dei potest, vt Augustin. scribit, in lib. de spiritu & anima, cap. 53.

Sunt qui verba illa, Cum morietur homo, &c. intelligant de homine abutente potestate sua & superbiente in diuitijs suis. Talis, in-

quiunt, hæreditabit serpentes, id est, dæmones, quantum ad animam: & bestias, id est, amicos bestialiter viuentes, quantum ad substantiá: & vermes, quantum ad corpus. Est diuisio competenter facta: quia cuilibet sufficit portio sua, & de alijs duabus non curat.

Porrò quisquis in veritate se ita cognoscit, vt dictum, humilis est coram Deo & hominibus: diligit Deum propter Deum & omnes homines propter Deum: & si perfectam charitatem habet, nullum iudicat, nullum accusat, nullum condemnat: non seruat iram, non mouet rixas, non seminat discordias: non fouet nocentes, non persequitur innocentes, non odit arguentes se: non facit furtum, non falsum testimonium, nõ periurium: nulli detrahit, nulli nocet, nullum odit, sed omnes diligit. Scriptum est, Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Sic enim Deo familiaris est charitas, vt in eo habitare nolit, in quo charitas non fuerit. Qui ergo charitatem habet, Deum habet, quia Deus charitas est. Et qui vnum hominem habet odio, Deum perdit, & bonum quod facit. Quapropter vnusquisq; prouideat, ne propter vnius hominis odium, Deum perdat & omne bonum: cui Deo sit honor, potestas & gloria in secula seculorum, Amen.

CON-

CONCIO LXXVII.

Eccleſiaſt. 11.

Bona & mala, vita & mors, paupertas & diuitiæ à Deo ſunt.

1 Credendum eſt firmiter omnia bona, ſiue proſpera, vt vitam, diuitias, &c, à Domino proficiſci. Nam ipſe eſt qui inſpirauit in faciẽ hominis ſpiraculum vitæ, Gen. 2. & qui fons aquæ viuę: ipſaq; vita dicitur, & eſt, Ierem. 17 Deut. 30. Ab ipſo eſt omne bonum donum, & ipſius benedictio diuites facit, Iac. 1. Prou. 10. Nulli deniq; dubium eſt, dicit Auguſtin. bona omnia à Deo eſſe.

2 Mala autem quę dixit, nobis mala ſunt, dum vindicatur de nobis. Pœna enim quantuis iuſtè inferatur, patientitamen mala videtur. Malorum ergo pœna, quę à Deo eſt (Eſa. 45. Thren. 3. Amos. 3.) malum eſt quidem malis, ſed in bonis Dei operibus eſt: quoniam iuſtum eſt vt mali puniantur, & vtique bonum eſt omne quod iuſtum eſt.

Noli autem hic ſub nomine malorum intelligere peccata. Hæc enim à diabolo ſunt, & opera eius vocantur, 1. Ioh. 3. non à Deo, Pſal. 5. Eccleſiaſt. 15. 1. Ioh. 2. Eſſe porrò mortem &

paupertatem à domino (non tamen vt autore, sed vt iudice iusto) testatur Scriptura 1. Reg. 2. Eccles. 41.

Cæterùm si quis nos interroget (inquit Lactan. diuin. instit. lib. 3.) Vtrum ne bonum sit mors, an malum? Respondebimus, qualitatem eius ex vitę ratione pendere, Sicut ipsa vita bonum est, si cum virtute viuatur, malum si cum scelere: Sic & mors, ex præteritis actibus prædicanda est, ita fit, vt si vita in Dei religione transacta sit, mors malum non sit, quia translatio est ad immortalitatem: si aliter, malum sit necesse est, quoniam ad æterna supplicia transmittit. Chrysostomus Hom. 36. in Matth. dicit: Nec enim mori, sed malè mori malum est. Et Augustinus lib. 1. de ciuit. Dei cap. 11. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Item lib. 13. cap. 2. De prima corporis morte dici potest quod bonis bona sit, malis mala. Secunda verò sine dubio sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona.

3. Quid prodest hæc scire & credere? Multum omnino. Nam qui credit bona esse à Deo, Deum amabit & gratias illi habebit.

Qui credit mala siue aduersas res à Deo esse, timebit Deum, & semper patiens erit, & libenter atque animo æquo iugum domini portabit, humiliando se sub manu Dei sapien-

pietissmi, scientis etiam malum vertere in bonum, Genes. 50. & in potestate sua habentis omnia: iuxta illud Christi, Metuite illum qui potest, & animam & corpus perdere in gehenna. Ex hac fide dicebat Iob. Dominus dedit, dominus abstulit, vt domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictũ. Ac quoniam tria sunt in hoc mundo deteriora omni malo (teste Augustino ad Iulianum, epistola 3.) videlicet anima peccatoris cum peccato perseuerans, quæ nigrior est coruo: & mali angeli, qui rapiunt eam, & infernus, in quem inducitur: rogemus patrem cœlestem, vt nos liberet ab istis deterrimis malis, per Christum Iesum Dominum nostrum, Amen.

CONCIO LXXVIII.

Ecclesiast. 11.

Ante mortem ne laudes hominem quenquam: quoniam in filijs suis agnoscitur vir.

1 Vt granum frumenti, si deiectum in terram mortuum fuerit, multum fructum affert: sic etiam semen verbi Dei, si declaratũ & probè perpensum fuerit, multum intellectũ dat audientibus & legentibus. Quanta enim ex breui illo dicto colligere licet, cum dicit Io

ſua Sirachi filius, (vt & Solon Crœſo dicebat:) πρὸ τελευτῆς μὴ μακάριζε μηδένα: Ante obitum neminem beatum dixeris?

Nam primùm quidem videtur non multum diſſentire cum dicto Chriſti, Lucæ 6. & Ioannis ſeptimo: Nolite iudicare: nolite condemnare. Si enim nemo ante mortem ſuam dici beatus, multo minus damnatus debet. Ne ante tempus, inquit Apoſtolus, primæ Corinthiorum quarto: quicquam iudicetis, donec venerit Dominus, qui & illuſtraturus eſt occulta tenebrarum, & patefaciet conſilia cordium, ac tunc laus erit vnicuique à Deo. Cum etenim ſalutem ſit conſecuturus qui ad finem vſque perſeuerauerit, & vita hæc in qua nunc ſumus tam inſtabilis ſit, vt in ea quis nunc ſtare, nunc cadere poſsit: certè nemo poterit de quoquam certo pronunciare, quod verè beatus exiſtat, aut futurus ſit

Quinis beatus (inquit Ammian. Marcellin. lib. 26) verſa rota fortunæ, ante veſperam poterit eſſe miſerrimus. Et D. Baſil. ſuper illud Pſal. 1. Beatus vir qui non abijt, &c. Qui enim in vita eſt (dicit) nondum beatus prædicandus eſt, propter euentus, incertitudinem.

Proinde qui ſtat, videat ne cadat, & ſuam ſalutem cum timore & tremore operetur. Qui verò cecidit, non deſperet. Potens enim eſt Deus efficere vt reſurgat & ſtet.

Secun-

2 Secundò videtur innuere hoc dictũ Sapientis veram beatitatem, dum hîc viuimus, esse non posse, sed fore illã quidem, finita hac misera, breui & incerta vita. Vide principiũ ca. 40. Eccl. Est enim cor humanũ in hoc mũdo, quasi nauis in alto mari, quã procellę huc & illuc impellũt, atq; turbines à quatuor mũdi partibus iactant, atq; disijciunt. Prętera corpus hominis obnoxium est morbis plus 300. pręter incommoda indies accidentia. Sumus insuper in hoc mũdo, sub diaboli regno (vt Spangenberg. scribit.) diuersorium incolimus, cuius dominus & ipse caupo, fur est, põdo & homicida, nempe Satanas. Et quoniam in eadem taberna meritoria conuersamur, cõuiuamur, quiescimus, atq; dormimus, cogimur etiã exoluere, & quasi symbolũ dare. Atqui nulla alia caupo malignus apponit fercula, quàm pestilentiã, febrim, aliosq; morbos, nec vllum potũ aliud, quã venena atq; mortem. Tales cibos talesq; potus in hac caupona nos oportet expectare. Quomodo igitur hîc esse poterit beatitudo?

3 Tertiò discamus inde, quàm omnino fieri nequeat, vt beatam vitã agamus ante illam mortem, de qua Apostolus 2. Tim. 2. Si commortui sumus, & conuiuemus. Nam si non nisi depositò corpore mortali frui licet vita beata, multò minus illa frui licebit, anima. i.

vita facinorosa nondum perdita. Si secundũ carnẽ (ait Rõ. 8.) vixeritis, moriemini. Quod si spiritu facta corporis mortificetis viuetis.

5 Sed quid illud est, quod addit Siracides: Atq; ex suis filijs cognoscitur vir? per filios intelligunt noñulli opera, seu fructus, de quib. Christus Mat. 7. Ex fructib. eorum cognoscetis eos. Ergo Beati sunt mortui, qui in domino moriuntur amodo. Etiam dicit spiritus, vt requiescãt à laborib. suis. Sed opera illorũ sequuntur illos: iuxta q̃ redditurus est vnicuiq; Deus, q̃ laudãdus est in sempiternũ, Amẽ.

CONCIO LXXIX.

Ecclesiast. 14.

FILI si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor esto, quontã mors non tardat, & testamentum inferorum quia demonstratum est tibi. Testamentum enim huius mundi more morietur. Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigẽs da pauperi. Non defrauderis à die bono, et particula bonæ diei nõ te prætereat. Nonne alijs relinques dolores et labores tuos? In diuisione sortis da & accipe, & iusti-

iustifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam nõ est apud inferos inuenire cibum.

I

DVarum rerum secundum hæc verba memores esse debemus, nempe mortem non tardaturam: & statum fati tẽpus nobis nõ esse declaratum. Quando enim mors venit & appropinquat, nemo hominũ illam auertere potest, aut illi persuadere, vt diutius expectet, & nos viuere sinat, Et tametsi sciamus mortem statim incipere proficisci ad nos, quam primum in hunc mundum nascimur, nosque ipsi prodire obuiam: tamẽ ignoramus vbi & quando conuenturi simus, & ipsa nos aggressura. Vnde D. August: Tom: 3. pa: 891: Scito quomodo homo es, cuius cõceptio culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori necesse. certum est quia morieris, sed incertum quomodo vel quando, vel vbi: quoniam mors vbique te expectat, & tu si sapiens fueris, vbique eam expectabis. Est autem hic diuersa lectio. Nam pro eo quod alij habent, Testamentum inferni non ostensum est tibi: alij sic legunt. Fœdus inferorum (der gruben.) iã dudum tibi demonstratum est. i. **Du weyst jo wol was du für ein bund mit dem tod hast.**

Testamentum enim huius mundi (.i. hæreditas humana a filijs à parentibus legata, vel, ordinatio Dei de morte singulorũ: de qua Heb: 9. Statutũ est hominibus semel mori.) morte morietur. i. cito deficiet. Sed omnia sunt vera, si rectè intelligantur. Nam moriendum certè est, & id incertum, an eo ipso die. Contra mortis imperium nullum est remedium. Sicut enim neminem contingit mori (vt Valerius Maximus inquit) nisi qui vixerit: ita nec viuere aliquis potest, qui non sit moriturus. Vnde Crates dicebat de filio suo defuncto: Scio quia mortalẽ genui: ideo ingressus est, vt exiret.

2 Hæc eò faciunt, primum, vt nobis ipsis benefaciamus, deinde domino munera liberemus. Sibiipsi autem benefacit non solum is, qui absque inuidia & auaritia edit ac bibit: & ex bonis temporalibus, quæ habet, decenter secundum statum suum viuit, gratias agens Deo qui nobis omnia prebet affatim ad fruendum: sed etiam, & multo magis ille qui habitis & acceptis à domino legitime & bene vtitur, & vt id possit dominum deprecatur: denique qui animam suam odit in hoc mundo: quoniam hac ratione custodiet eam in vitam æternam, teste Christo, Iohan: 12.

Cæterum munera siue oblationes offerendæ Domino, sunt fructus labiorum confitentiũ

nom

nominis eius: item beneficentia & communicatio, qua sustentantur ministri ecclesiæ & pauperes, Hebr: 13.

3 Porrò quomodo & quando sibi ipsi quispiam, & alteri benefacere debeat, docemur his verbis: pro eo quod habes. 1. de tuo, secundum quod potes: pro tuis facultatibus: Digne offer Domino, inquit: id est, da munera Deo quæ ipsi pertinent, & eo digna sunt; i. largire & subministra pijs. Item, ſante quâ obeas, ait, amico benefac, 1. ne diu differas, sed dũ tempus habes, bonum operare ad omnes, maxime autem ad eos, quibus magis obligaris. Vt enim post mortem amici amicus accipere nihil potest, sic tu ipsi nihil dare vales. Non defraudes à die bono, 1. festiuo: tunc enim magis est oblationibus & eleemosynis insistẽdum, 1. Cor: 16. vel, vt alij legunt, Ne careto suaui tempore, neu te bonæ cupiditatis sors prætersugiat. Et particula bonæ diei non te prætereat. i, te vacuum & ociosum à bonis meditationibus, verbis & operibus non relinquat. Nonne alteri relinques labores tuos, & ægre quæsita sortis diuisioni? q. d. melius est, vt expendas in bonos vsus, dũ viuis. Da et accipe, i. sic tuam portionem suscipe, vt alijs suã quoque legitimam non abneges: & iustifica animam tuam, 1. animum sanctum habe. Ante obitum tuum exerce liberalitatem; nec e-

nim est apud inferos alimentum quærendũ. Faxit ergo Dominus Iesus, vt panem edamus in cœlo. Amen.

CONCIO LXXX.

Ecclesiastici 14.

OMnis caro sicut fœnum veterascet. Nam testamentũ quod à seculo, morte morietur. Sicut folium fructificans in arbore viridi alia generantur: & alia dejiciuntur: sic generatio carnis & sanguinis: alia finitur & alia nascitur. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo.

I

CViusmodi sit conditio carnis vniuersę duabus similitudinibus ostenditur. Est enim omnis caro, id est homo (Sæpe enim caro sumitur pro toto homnie, vt Gen: 6. Luc: 3. Iohan: 1. Rom: 3.) interitui & mutationi, incertisq; casibus obnoxius. Ná omne animal, inquit, vestis more veterascit: (Vestis autem siue gestetur, siue in cista seruetur

tur tandem perit. Dan ein Fleisch will getragen sein/es kommen sonst die schaben drein.
vel, omnis caro sicut fœnum veterascet, vt vetus interpres legit, & Esai. cap: 40. Iacobus, 1. Petrus in 1. epist: cap: 1. testantur. Et, quemadmodum virentia in frondosa arbore folia alia decidunt, alia nascuntur: ita carnis & sanguinis genus aliud obit, aliud gignitur. Nam parentibus morientibus, filij succedunt in loco eorũ. Sicut ergo fœnum in terra, vel in arbore folium nascitur, crescit, viresc it, siccatur, deijcitur: ita caro nostra nascitur ex progenie parentum, crescit in infantia & pueritia, floresc it in adolescentia, matures cit in senectute, deijcitur in morte. Aliqui tamen antequam veterascunt, moriuntur. Loquitur aut scriptura de his quæ fieri solent, de his qui vitæ periodum absoluisse creduntur. Cæterum per lunam quoque (vt Augustinus ait super Psa. 88.) significatur mortalitas carnis huius, propter augmenta & decrementa, propter transitoriam speciem. Sed non solum homo, verum etiam omne opus putrescens deficit, imó & Sol Eccl: 17. & mundus, & eius figura & concupiscentia, & quisquis illam facere vult, 1. cor: 7. 1. Ioan: 2.

2 Ratio subiungitur. Est enim (inquit) ab omni æternitate fatale, mortem obire. 1. Vetus fœdus est, te mori oportet. Testamen-

tũ mortis à seculo est, vt interficiat. Hinc Siracides cap: 41. Memento priorum te & vltimorum: hoc enim iudicium omni carni à Domino: qui scilicet dixit Gene. 2. In quocunque die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris, omne enim opus ad corruptionem ducens (quod propriè est peccatum) deficere faciet à beatitudine.

3 Hinc discamus humiliter de nobis sentire: operari cibum qui non perit, sed in æternum manet, tunicam immortalem sumere, et induere Dominum Iesum, mundo valedicere: mortem libenter, quandocunque Dominus voluerit, subire: vestem, id est, corpus nostrum non per vitia scindere. Est enim aliàs vita nostra quasi homo in aliena domo, nescíens qua hora, quóve die dominus domus dicturus est, Exi foras, quia nõ est tua domus in qua versaris. Faxit Dominus Deus noster, qui vestem non modo laceratam, sed etiam prorsus putrefactam resarcire potest iuxta suam omnipotentiam, vt destructo terreno nostro domicilio huius tabernaculi, ædificationem ex ipso habeamus, domicilium non manufactum, æternum in cœlis, per Christum Iesum, Amen.

CON-

CONCIO LXXXI.

Eccleſiaſt. 8.

NVMERVS dierum hominũ, vt multum, centum anni: quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ ſic exigui anni in die æui,

1

PRObant hæc verba noſtram vitam eſſe breuiſsimam. Dicit enim ætatis hominis numerum, vt multum, centum annorum eſſe, id eſt hominẽ, ſi diu viuit in mortali iſto corpore, vix annos centum viuere: & illos annos paucos (& verè paucos: nam mille anni apud dominum, vt dies vnus) ac finitos (nam vita viri, vt habetur Eccleſiaſtici 37. in numero dierum) reſpectu æternitatis et infinitatis temporis, perinde eſſe, ac ſi cõferatur aquæ gutta cum mari, aut calculus cum arena maris: imo nihil. Æternitas enim ſiue dies æternitatis, vt Petr. vocat in fine poſt: epi. durabit non ſolum ad tot annos, quot ſunt guttæ in omnibus ſtagnis, fluminibus & re-

liquis aquis: vel tot, quot sunt lapides in terra & calculi in littore maris: vel tot quot sunt folia arborum, aut gramina pratorum. Hæc enim omnia etsi à nobis numerari nequeant, tamen certo numero constant & finem ac terminum habent. Æternitas autem expers est omnis termini, finis ac numeri. Idem ferè quod hîc, de vita nostra, eiusque breuitate dicitur Genes. 6. & 47. Psal. 90. Iob. 14. Hinc eadẽ hæc vita nostra vapori, Iacob. 4. & fumo, Psal. 102. & flori agri, Psal. 103. & vento, Iob. 7. & vmbræ, Iob. 8. confertur.

2 Qui talia dicit atque proponit, primum tanquam sal est: quoniam simul docet, obiter mundo vtendum esse, quoniam tempus nostrum tam breue est, 1. Corinthior. 7. & non ita faciẽdum, vt diues iste auarus fecit, Luc. 12. & futuram ciuitatem atque æternam mansionem inquirendam, Heb. 13.

3 Deinde est tanquam sol & lux, propterea quòd magna consolatione Christianum hominem afficit, quando audit non longe abesse finem istius miserrimæ vitæ, quæ tota non nisi militia est. Hinc Simeon Luc. 2. Nunc dimittis seruum tuum domine secundum verbum tuum in pace. & Paulus Philip. 1. Desiderans dissolui, & esse cum Christo. Huic sit potentia & gloria in omne æuum, Amen.

CON

CONCIO LXXXII.

Ecclesiastici 18.

ANTE languorem humiliate, & in tempore infirmitatis ostende conuersionem tuam.

1

Hæc verba alius interpres ita vertit:

Spare dein büß nicht / biß du franck werdest / sonder bessere dich / weil du noch sündigen magst.

Hinc Augustinus: Agepœnitentiam (inquit) dum sanus es: si sic agis, ego tibi dico, quòd es securus: quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.

Alius sic reddit:

Ee du franck wirst / so demütige dich / vnd zeig bey zeiten / daß du von sünden abstehen wöllest.

Est autem idem sensus vtriusque versionis. Sic enim Græcus textus habet: πρὶν ἀῤῥωστῆσαι σε ταπείνωσον ἑαυτὸν ἐν ὑγιείᾳ, καὶ ἐν καιρῷ ἁμαρτημά-

των δεῖξον ἐπιστροφήν Cuncta autem hæc ex diametro aduersantur vulgaribus his hominum sermonibus, Iuuenis sum, sat adhuc temporis habeo, quod impendã emendationi: Nũquam nimis serus fuit bonus operarius. Si finis bonus erit, cætera quoque omnia benè habebunt: cras, cras &c. cum tamen ignores an in crastinum usque diem sis victurus, nedum usque ad senectutem: & si viuas, tamen fortassis eam occasionem, quæ hodie tibi offertur, non habebis. Semper quidem tempus recipiendæ salutis expositũ est, sed non semper manet in nobis idem recipiendæ salutis affectus. Suadet igitur Spiritus Sanctus omnibus & singulis, qui Deo placere volunt, & hora mortis parati esse, vt seipsos continentia doment, antequam ægrotent, & tempore peccatorum ostendant vitæ correctionem.

2 Qui hoc facit bene & feliciter agit. Nam multiplex bonum ex conuersionis acceleratione nascitur, iuxta illud Thren. 3. Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.

Primum bonum est, quòd probitas altius & profundius infigitur. Nam, quo semel imbuta est recens seruabit odorem, Testa diu.

Alterum, quod bene viuere (quod principio hominem molestat, vt puerum dare operam literis) per assuetudinem illi fit iucũdum.

Tertium

Tertium, quòd homo securè viuit, absque metu mortis.

Quartum, quòd homo Deo diutius seruit, & diutius benè viuit: at Deo seruire, regnare est.

Quintum, quòd gratius est seruitium eorum Deo, qui cito ad eum conuertuntur. De optimo enim vitæ suæ, quasi de flore (veluti decet Num. 18. Mal. 1. Deo offerunt. Qui autem tarde volunt conuerti, quasi feces Deo reseruant.

Sextum, quòd homo moritur certius certitudine spei de salute sua: è contrario incertus moritur qui in vltima necessitate positus pœnitet, teste Augu. At licet saluetur qui tardè conuertitur: si verè tamen sicut ille qui cito conuertitur: tamen in domo patris multæ mansiones sunt.

Cæterum qui differt conuerti, iniquus est in Deum, quia deteriorẽ partẽ vitæ suæ illi reseruat: in angelos, quos tristitia in expectatione gaudij de conuersione afficit: in seipsum, dũ se potius vult malũ, quá bonũ: in proximũ, quẽ corrũpit exẽplo. Domine Deus, qui non vis mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, libera nos ab ista iniquitate, & cõuerte nos ad te, & conuertemur in Christo Iesu domino nostro & seruatore.

Amen.

CONCIO LXXXIII.

Ecclesiastici 18.

NOLI impediaris orare semper, & ne veteris (vel, ne expectes) vsque ad mortem iustificari.

1

Insignis est hæc admonitio, & ferè similis illi, quæ habetur Ecclesiastici quinto, Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.

Eccles. 14. Antequam tu moriaris, benefac amico, & pro potestate tua porrige, & da ei.

Ecclesiastici 37. Fili in vita tua tenta animá tuam, & vide quid malũ in illa, & non des ei.

Prouerb. 6. Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, &c.

Esa. 55. Quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Noster hìc dicit: Noli impediri (scilicet temporalib. curis, aut alijs tentationibus) quo minus votum *ἐν καίρῳ*, id est, tempestiuè exoluas. vel vt vetus interpres habet, orare semper, id est, omni tempore & indesinenter, Lucæ decimo octauo, vigesimo primo. 1. Thessalonicen. 5.

Et ne

Et ne veteris, id est, prohibearis vsq; ad mortem iustificari, subaudi semper: iuxta illud Apocal. vigesimo secundo: Qui iustus est, iustificetur adhuc.

Matth. quinto: Habeto benevolentiam cum aduersario tuo citò, dum es in via cum illo.

Ioann. duodecimo: Ambulate donec lucem habetis, ne vos tenebræ occupent.

Galatas. sexto capite: Dum tempus habemus operemur bonum cùm erga omnes, tùm verò maximè erga domesticos fidei. In t ẽpore .n. resipiscere, & correctionẽ vitæ seu iustificationẽ non vsq; ad mortẽ differre, laudabile, vtile, iucundum, & necessarium est, quia Dominus iussit, quem ferui meritò expectare debent, & non contra: quanquam & ipse Dominus diu nos expectauit. &, quia scriptum est Esaiæ quadragesimo nono: In tempore placito exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. &, quia beatus est, quem non cõdemnat anima sua, & qui non cecidit à spe sua (quæ Christus est.) Ecclesiastici decimo quarto capite. &, quia hora mortis vix aliquis orare potest, multo minus exaudiri post mortem in die iudicij, Lucæ decimo tertio: decimo sexto, sed & nec alius quispiam pro nobis exorare poterit. Dum enim sumus (inquit Chrysostomus in fine

libri secundi de comp: cor: & Hom: 43. in Gen. in hac vita, & nos iuuari à vobis possumus, & vos potestis in nos cõferre beneficia: cũ aũt abierrimus illuc, ibi neq; amicus, neq; frater, neq; pater ibi idoneus erit ad liberandũ eũ, qui supplicijs deputatur æternis, Quo modo enim qui in luce est, accedit ad eũ, qui in tenebris graditur? Vbi cum nullum sit nobis ex sanctorũ collatione refrigerium, æternas tamen expendimus pœnas, effecti cibus inextricabilibus, & immortalibus flammis. Deniq; si ceciderit lignum ad austrum, vt Ecclesiastes inquit cap: 11. aut ad aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.

3 Quid autem sit nolle nunc se corrigere, ostendunt illa verba Augustini Serm: 120. de Temp: Ipse se seducit, & de morte sua ludit, qui hoc cogitat, potest mihi extremi temporis indulgẽtia subuenire. Non est hoc, primũ quia periculosissima est in vltimum diẽ promissa securitas. Deinde stultissimũ est vt causa quæ de necessitatibus agitur æternis, inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectutem reseruatę liberius peccat. Dominus nostri miserea tur & confirmet nos sacro suo spiritu, ne quis ex nobis induretur seductione peccati. Amen.

CON-

CONCIO LXXXIIII.

Ecclesiastici 22.

SVPER mortuum plora: defecit enim lux eius: & super fatuum plora: deficit enim sensus. Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit. Fatui enim sit per mortem vita mala. Luctus mortui septem dies: fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.

1

Duo testatur spiritus hoc loci de mortuis. Vnum est, quod careant luce: alterum quòd requiescant. De priori videtur etiam loqui Eccle: 17. A mortuo, inquiens, tanquam non existente perit confessio: Viuens & sanus laudabit Dominum. Et sicut mortuus nullum verbum dicere, & talpa sub terra viuens, nihil cernere potest: ita mortui ac sepulti lucem videre nequeunt. Et cum spiritus in homine sit tanquam lumen in laterna: quomodo homo spiritu emisso & tradito lumen habere possit? Cæterum de spirit ualiter mortuis, qua luce careãt illi qdẽ, videris Sa. 5.

& Hom: vndecimâ Chrysostomi in Ioannẽ De posteriori verò habetur etiam Apocalypsis decimo quarto: vbi sic scriptum extat: Beati qui in Domino moriuntur amodo: etiam dicit spiritus, vt requiescãt à laboribus suis. et Sa. 3. Illi aũt sũt in pace &c. Hinc est quod mors & somnus, & finis, videl. miseriarum, nuncupatur.

2 Duo quoque dicit de fatuis, primum quod careant prudentia seu intellectu: siue sensu bono, qui est maximus defectus: secundò quod eorum vita sit deterior morte. Atque hi sunt spiritualiter mortui, quoniam luce spiritus & sapientia Dei carent. Condemnat (inquit Sap: quarto:) iustus mortuus viuentes impios, & iuuentus consummata celeriter, longæuã senectutem iniusti. Multô amplius abhorret Deus (qui spiritus est) ab homine spiritualiter mortuo, id est impio, seu atheo, quã homo (qui anima dicitur) ab homine corporaliter mortuo, i. exanimo.

3 Quæ cum ita sint, faciamus, quod hic docemur, hoc est, deploremus mortuum (negligentia enim circa actum compassionis in vitio ponitur) sed mitius, & non nimis vehementer. Mortui luctus, septem dierum est. Sic enim temporibus scriptoris huius libri, fuisse in more positũ videtur. In requie mortui (dicit Siracida capite trigesimo octauo.)

requiesce

requieſcere fac memoriã eius, & conſolare te in illo in exitu ſpiritus ſui. Stultũ verò & impium deploremus amplius. Lugeamus ſine intermiſsione, & niſi turpe ſit etiam plangamus, dicamus cum propheta (Ierem. 22.) Nolite lugere mortuum, ſed raptorem, auarum, cupidum, inſatiabilem. Quamobrem mortuos lugemus, cum iam nihil proficere poſſumus? Hos lugeamus, qui mutari poſſunt. Vnuſquiſque autem propriam ſtultitiam & impietatem maximè deplorare debet. Eſtq; ſtultitia, cuius Scriptura ſæpe mentionem facit, non quælibet (inquit Auguſtinus) ſed vitioſa ignorantia rerum appetendarum & vitandarum. Hac repulſa diligamus & quæramus ſapiẽtiam (cuius initium eſt timor Dei) ne cum fatuis virginibus à regno cœlorum excludamur. Cumque ſic horreamus mortem, & eam quantum poſsumus, fugiamus (vt enim nemo libenter miſer eſt aut perit, ita fere nullus libenter moritur) quantum horrere ac deteſtari debemus ſtultam vitam, etiamſi plena voluptatum & delitiarum eſſe appareat. Nam ipſa eſt vel morte deterior. Imò ſi fidem adhibemus teſtimonio ſacrarũ literarum, quæ mortem vocat quietem, non erit quod ipſam timeamus: ante ipſam tamẽ, hoc eſt, dum lucem habemus, & antequam veniat nox in qua nemo poterit operari (Io-

annis 9.12.) ambulabimus & in lucem credemus, quæ Christus Iesus est: illi debetur honor & gloria in sempiternum, Amen.

CONCIO LXXXV.

Ecclesiast. 25.

A muliere initium factum est peccati & per illam omnes morimur.

1

Duas res nos docent hæc verba, vnde mors, vnde peccatum, nempe à fœmina. Genes.3.3. Esd. quarto, primæ Timoth. secundo. Siue autem à muliere, siue ab Adam dicatur initium peccati factum, vtrumque ad primum hominem pertinet: quoniam mulier ex viro est: & vtriusque vna caro est. Ideo Paulus Romanorum quinto, Per vnum hominem (inquit) peccatum in mundum introijt ac per peccatum mors. Ergo moriendum omnibus hominibus, Idque propter peccatum: Iacobi primo, Romanorum sexto, octauo, τὸ δὲ κύημον τοῦ θανάτου, ἡ ἁμαρτία: primę Corinth.15. Sentit adhuc proles quod commisere parentes. In omnibus miserijs (inquit ille) quas in mundo isto videmus, possemus odium peccati colligere. Quando aliquem

quem mori videmus: debemus cogitare, quã malum sit peccatum facere, ex quo talia stipendia sequuntur. Mirum est ergo, quomodo homines peccatum amare possint, cum occasione illius tot miserias incessanter sustineant. Fames enim & sitis, frigus, calor, labor, infirmitas, mors, sequelæ seu comites sunt peccati. Si enim homo non peccasset, non sensisset eius pœnas. Si quis interfecisset alicui fratrem suum, ipse odisset eum: præcipuè si sine peccato hoc posset facere. Quare ergo non odio habemus peccatum, quod interfecit illos de cognatione nostra qui mortui sũt: & illos qui remanserunt, occidet, & nos ipsos.

2 Cęterùm si omnibus est subeunda mors, Hebræorum nono, Si via vniuersæ terræ ingredienda, tertio Regum secundo, Si in domo omni viuenti constituta diuertendum nobis, Iobi trigesimo, hoc est, si omnibus mortalibus de hac vita discedendum est: cur non præparamus nos ad iter? Cur non aliam, id est, æternam vitam quærimus? Si cui migrandum esset è sua domo post duos menses, is iam nunc solicitus foret de alio domicilio. At nos omnes ignoramus crastine, an adhuc hodie, aut citius relicturi simus præsentem vitam: & non sumus de futura soliciti?

3 Quæramus ergo citò sempiternam vitam. Vbi? apud illum, de quo Dauid, Apud te est fons vitæ. Qua via? per fidem in eum, qui dicit Iohannis 5. Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transiuit à morte in vitam: hanc largiatur nobis quoque dominus noster Iesus Christus propter nomen suum sacrosanctum, Amen.

CONCIO LXXXVI.

Ecclesiast, 30.

MElior est mors, quàm vita amara: & requies æterna, quàm languor perseuerans.

1 Potiorem esse mortem, quam acerbam vitam: & æternam requiem, quam longum morbum, verum esse constat, tum in præsenti, tũ in futuro seculo. Nam Ecclesiasticus inquit cap: 41. O mors, bonum tuum est iudicium homini indigenti: & dimiuuto viribus, in vltima senecta constituto: & occupato de omnibus, & desperanti: & ei qui perdidit patientiam. Hinc sæpe audimus ægrotantes cupere & optare

optare sibi mortem: grauiter afflictos idem feciſſe non raro legimus: nonnullos deniq; sibijpſis conſciſcere mortem videmus, ob vitæ acerbitatem.

Porrò Chriſtus de Iuda proditore teſtatur, præſtare ei, ſi nunquam natus fuiſſet: & Apoc. 9. ſignum Dei non habentes mortem quærent, ſed non inuenient. Vermis enim eorum non morietur, Eſai. vltimo.

2 Quando igitur vel nobis, vel noſtris vita cum morte commutanda fuerit, ne quæſo cor noſtrum turbetur, quia mors finit ærumnas huius miſeræ vitæ: adhæc multo ſatius eſt modicum, quàm diu vexari: hic quã illic.

3 Demus autem operam, vt credamus Moſi & Chriſto, ne veniamus in illum cruciatum, de quo Luc. 16. & Apocal. 20. quia præſtaret eſſe beſtiam, quàm hominem incredulum atque impium. Si verò beſtiæ eſſe nolumus, imò ne vocari quidem, nolimus ſaltem beſtijs eſſe deteriores. Agamus autem Deo gratias, quando ſaniſumus & morborum expertes. Si enim in malis numeratur diuturnus morbus: vtique ingens beneficium Dei eſt ſanitas. Vnde & Pythagoras dicebat inter cætera à dijs optandam eſſe in hac vita, bonam valetudinem. Quanquam illud ὑγιείης non minus ad animi ſanitatem, quã m ad cor

poris pertinet. Quare rectè Iuuenal. inquit.

Orandum est vt sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem:
Qui spacium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ: qui ferre queat quoscunq; labores:
Nesciat irasci: cupiat nihil, &c.

Vt hanc sanitatem mentis in ista vita consequamur, & in futura sempiternam salutem animi & corporis, adiuuet nos Medicus ille nobilissimus & optimus, qui sanare potest omnem morbum & languorem, Amen.

CONCIO LXXXVII.

Ecclesiast. 33.

CONTRA malum bonum est, & contra vitam mors: sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera altissimi Duo contra duo, & Vnum contra vnum.

1

DVo diuersa genera rerum & personarum habet præsens mundus: qui est tanquam intermedium habitaculum respectu summi & infimi, id est, regni cœlorum & inferni, ad quæ nonnullam habet similitu-

militudinem. Nam lucem & tenebras, dolorem & sanitatē, lætitiam & mœrorē, famem & satietatem, regnum & subiectionem, mortem & vitam, bonos & malos, iustos & iniustos, & innumera huiusmodi habet: in quib. & bonitas & seueritas Dei apparet: quorum omnium pars vna imaginē habet regni Dei, pars altera inferni. Vnde Sapiēs de Ægyptijs Sap. 17. dicit: μόνοις ὃ ἐκείνοις ἐπέκειτο βαρεία νὺξ εἰκὼν τοῦ μέλλοντος· ἀυτὸς δὲ ἑαυτοῖς σκότος, hoc est, Solis autem illis grauis incumbebat nox, imago excepturarum eos tenebrarum.

2 Cum autem illa duo genera bonorum & malorum præsentium non nisi tenuis vmbra sint futurorum, nolimus ea magnipendere, sed potius animos nostros in futura & sempiterna intendere: & illa bona quærere, quæ bonorum: atq; illa mala maximē fugere, quæ propria sunt malorum. Nam præsentia bonis & malis sunt communia.

3 Cumque eadem genera sint sibi inuicem contraria, seu ἀντικείμενα (quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia? &c. 2. Corinth. 6.) sciamus mundum istum, in quo illa sunt, non diu duraturum. Omne enim regnum aduersus seipsum diuisum, desolatur, & domus super domum cadit, Luc. 11. & ergo qui vtuntur mundo hoc, sint tanquam non vtantur, 1. Corinth. 7.

Item, quia vita morti est contraria, meminerimus longè aliam esse viam, quæ ducit ad vitam, quàm quæ ducit ad mortem. Hæc enim est spaciosa: illa verò stricta, Matthæi 7. Nam si secundum carnem vixeritis, scribit Apostolus Roman. 8. moriemini. Quod si spiritu facta corporis mortificetis, viuetis. Et Baptista Ioan. 3. inquit: Qui credit filio, habet vitam æternam: Qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum: ab hac ira liberet nos filius ipse Dei Iesus Christus, & det nobis pro malo culpæ bonum gratiæ, & pro morte gehennæ vitam gloriæ, quoniam ipse est adeo omnipotens & bonus, quod non sineret mala fieri, nisi ex eis eliceret maiora bona. Ipsi gloria in æternum, Amen.

CONCIO LXXXVIII.

Ecclesiast. 34.

SPIRITVS timentium Deum viuet: spes enim illorum in saluantem illos. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pauebit: quoniam ipse est spes eius. Timentis Dominum beata est anima, qui

qui ab illo pendeat, eoq; nitatur.

1

CVm omnes viuere, salutem & beatitudinem habere velint, audiamus qua ratione illam consequi liceat: & quo pacto à vano timore, veluti diaboli, aut eorum qui corpus dũtaxat occidere possunt, aut paupertatis, aut ignominiæ, aut somniorum, aut auguriorum, &c. liberari possimus.

Via & modus est ille, de quo hoc loci Iosua filius Sirachi, nempe timor Domini, & spes in ipsius misericordia. Cum eo consentit Dauid *Psal.* 34. & 128. & 125. item Paulus *Philip.* 2. *vbi ait*, cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operemini.

2 Timor enim Domini filialis facit non solùm vt malum non operemur iuxta illud Prouerb. 16. In timore domini declinatur à malo, sed etiam postquam vel ignorantia, vel imbecillitate humana mali quid commisimus, vt humiliemus nos sub potente manu Dei, cum publicano, Luc. 18. et deinceps faciamus bonum. Eccl. 15.

3 Spes verò, quæ in Domino ponitur: efficit, vt aut mala non patiamur, aut si pati illa nos contigat, vt in iis malis non modo non aduersus Dominum murmuremus, verum etiam in afflictionibus gloriemur: cum Paulo, Romanorum quinto, Deniq; vt timor dei

custodit nos à securitate: sic spes à desperatione: quæ duo sunt viæ perditionis. Ac quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius: rogemus ipsum Dominum, vt doceat nos facere hoc beneplacitum eius: dicentes cum filijs Dei: Pater noster cœlestis, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita & in terra, Amen.

CONCIO LXXXIX.

Ecclesiast. 37.

Vita viri in numero dierum: dies autem Israel innumerabiles sunt.

I

Cuiusmodi sit vita præsens ostendit spiritus sanctus his verbis: Vita viri in numero dierum, i. quisq; habet certum & statutum tempus viuendi. Vel, hominis vita est finiti æui, vel breuis, quia dies eius facilè possunt numerari: quemadmodum Iob quoq; fatetur, cap. 14. Homo, inquiens, natus de muliere breui uiuens tempore multis repletur miserijs. & Dauid Psal. 90. Dies annorum (ait) nostrorũ 70. anni, aut ad summum 80. anni, è quibus quod optimum est, est molestia & labor: transitus enim celer est & auolamus. Ergo vita omnis

mnis carnis in hoc seculo, temporalis, finita & breuis est.

2 Qualis autem sit vita alterius seculi, docent illa verba, Dies Israel innumerabiles, id est, seculum Israelis nullum habet numerum: vel Israelitarum æuum est infinitum, perenne & sempiternum. Cum enim Deus sit Deus Israelitarum, vt sæpe in Scripturis appellatur: & non sit Deus mortuorum, sed Deus viuentium: sequitur dies eorum esse innumerabiles. Nam de ipsorum vita sic dicit Moses, Deut. 30. Ipse enim (scilicet dominus Deus, cuius anni non deficiẽt, Psal. 102.) est vita tua & longitudo dierum tuorum.

3 Cum ergo Israelitarum vita sit æterna, oportet vt sint Israelitæ omnes qui semper viuere desiderant, & videre dies bonos. Veri autem Israelitæ sunt non qui secundum carnẽ ex Israel sunt, sed qui sunt filij promissionis, Rom. 9. qui sunt semen Abrahæ, & iuxta promissionem hæredes, vt Christiani, h.e. ij qui Christo Iesu credunt, & illum confitentur ore, in quo nullus sit dolus, Gal. 3. Ioban. 1. qui Iacobum, qui & Israel dicitur, Gen. 32. imitãtur. Dicit enim Scriptura Ioan. 3. de Christo, per patriarchã Iacobum promisso Gen. 49. his verbis: Non auferetur sceptrũ de Iuda & dux de fœmore eius, donec veniat Silo, h.e, vt Chaldęus habet, Messias: Qui credit filio

habet vitam æternam: quam vtinam omnes consequamur in Christo Iesu, Amen.

CONCIO XC.

Ecclesiast. 38.

FILI in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. propter delaturam autem amarè fer luctum illius vno die, & consolare propter tristitiam, & fac luctum secundum meritum eius vno die vel duobus propter detractionem. A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem. In abductione permanet tristitia, & substantia inopis secundum cor eius. Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te, & memento nouissimorum, & noli obliuiscì: neque enim est conuersio, & huic nihil proderis, & teipsum pessimabis. Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: Mihi heri, & tibi hodie. In requie mortui requiescere fac

re fac memoriam eius, & consolare te in illo in exitu spiritus sui.

1

CHaritatem erga proximum fidelẽq; amicitiam ostendi vult Sapiens, in eo, quod docet lachrymas super mortuo demittendas, & fungendum luctu, iuxta natu ræ & moris leges: imò acerbum ploratum, ardentemq; planctum adhibendum esse. Nam charitatis hoc signum esse probat Ioan. ca. 11. cum sic scribit: Lachrymatus est Iesus. Dixerũt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum, intellige Lazarum. Ex quo manifestum est Deo haud displicere naturalem affectionem, nec statim peccare eos, quos humanitatis sensus, & peractę cum amicis vitæ recordatio ad lachrymas impellit, quando nos nõ truncos Deus fecit: & ἀστόργους passim scriptura dãnat, vt Roman. 1. 2. Timot. tertio, Ita Abrahamus Saram coniugem, Ioseph cum fratribus Iacobum patrem, Israelitæ Aharonem, Mosem & Samuelem pio officio defleuisse leguntur, id est, non secus, quàm solemus peregrè proficiscentes lachrymis prosequi.

Cæterùm si ob corporalem mortem non gaudendum, sed lugendum est, quid non faciendum super spiritualiter mortuo, qualis fuit filius prodigus? Lucæ decimoquinto. & quales multi fuêre apud Corinthios, quos

Paul. luxit, 2. Cor. 12. Luctus mortui, inquit Ecclesiast. cap. 22. septem dies: fatui autem & impij omnes dies vitæ illius. Exhibeamus nos (inquit Chrysostomus libro primo de compu. cor.) animę nostræ quod alij exhibent carni alienæ, id est, lugeamus salutem nostram perditam, atque animam nostram mortuam lamentemur. Maius enim est damnum (teste Augustino) de amissione vnius animæ, quàm mille corporum. Quandoquidem totus mundus (vt Bernhardus ait) pretium vnius animæ æstimare non potest.

2 Fidem declarari vult eo, quod iubet mortui corpus pro eius conditione velari, & sepeliri secundum iudicium (id est, discretè & honestè secundum morem patriæ:) id quod Tobias & fecit, & filium suum facere docuit: ca. 2. & 4. Cum enim idem corpus quod moritur sit resuscitandum in die iudicij, & conforme reddendum glorioso corpori domini nostri Iesu Christi (credimus enim huius carnis resurrectionem) cur non suus honor ipsi daretur? cum id lignis faciamus, quæ iudicamus apta ad ædificia. Etsi. n. illa in præsentia adhuc non sunt congrua, composita & apta ad construendas domos: quia tamen possunt fieri talia manu fabrorum & architectorum, ideo eis suus quasi honor (vt ita loquar) defertur: Mundè enim seruantur, non temerè abijciun-

jciuntur, ſub tectis collocantur, &c.

Spem denique erigi vult Ioſua cùm dicit, Luctu fungere, vt decet, vnum atque alterum diem (& pro more cæterorum aliquandiu habitum lugentis præfer.) calumniæ vitandæ gratia (ne dicatur de te, quod oderis viuentem, ſi non lugeas defunctum) deinde conſolare te propter dolorem (ne nimia triſtitia tibi noceat) nam ex dolore mors (2. Corinth 7.) oritur, animiq; ægritudo vires infringit. (Abductione hominis à bono permanet triſtitia:) Animi inductione dolor abit, et calamitoſi vita animo conſtat. Animum tuũ angori ne dedito, ſed eum à te repellito (exẽplo Dauid. Pſal. 42. vbi ait, Quare triſtis es anima mea? ſpera in Deo, &c.) memor exitus: Noli obliuiſci nullã eſſe reditionem, ſcil. ex morte & iudicio extremo: vbi tunc lignum ceciderit, ibi manebit ſemper: nec etiam ex mortuis redijt vnquam, qui non poſtea denuò mori coactus eſt & non redire. Huiuſmodi mortalitatis memoria, & eorum quę poſt mortem homini impendunt optima & peſsima ſæpius ruminata, impediunt à peccato, & inducunt ſalubrem triſtitiam, mixtam ſcilicet fide in domini bonitatẽ, & proximo quoque faciunt condolere, & non ſuperbire. Sed nimia triſtitia propter defunctum amicum non ſolùm inutilis eſt, ſed etiam hominis cor

pori & animæ nocet. Dicit enim Sap. Et illi nihil proderis (neq; per afflictionem tuam ipsum mortuum reuocabis, 2. Reg. 12.) & tibi ipsi officies. Memento eandem eius esse ac tuam conditionem: heri mihi, tibi hodie, &c. Vt igitur in alijs rebus omnibus: sic & in luctu modus est seruandus; nam ob mortem alterius nec gaudendum. Eccl. 8. nec nimis lugendum, 1. Thes. 4. præsertim cum speremus spiritum illius nõ solùm egressum esse ex corpore mortis, sed etiam susceptum à manu Iesu Christi, & nunc requiescere in pace. Vtinã dirigantur omnes viæ nostræ ad custodienda mandata domini, ita vt neq; ad dexteram, neq; ad sinistrã unquam declinemus, Amen.

CONCIO XCI.

Ecclesiast. 40.

CCVpatio magna creata est omnib. hominibus, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorũ, vsq; in diem sepulturæ in matrem omniũ. cogitationes eorũ, et timores cordis, adiuẽtiones expectationis, et dies finitionis: à præsi-

præsidente super sedem gloriosam, vsque ad humiliatum in terram & cinerem, ab eo qui vtitur hyacintho & portat coronam, vsque ad eum qui operitur lino crudo. Furor, Zelus, tumultus, fluctuatio & timor mortis, iracundia perseuerans, & contentio, & in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam eius. Modicum autem tanquam nihil in requie, & ab eo in somnus, quasi in die respectus. Conturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui euaserit in die belli. In tempore salutis suæ exurrexit, & admirans ad nullum timorem cum omni carne, ab homine vsque ad pecus, & super peccatores septuplum. Ad hæc mors, sanguis, contentio, & romphæa, oppressiones, fames & contritio, & flagella: super iniquos creata sunt omnia hæc, & propter illos factus est cataclysmus. Omnia enim quæ de terra sunt, in terram conuertentur, & aquæ omnes in mare conuertentur.

I

Totam vitam nostram esse miseram, nec solum nostram, sed & omnium qui ex Adamo

nati sumus, testatur hic locus fusissimè, & Esdras lib. 4. cap. 7. & Chrisost: hom: 1. in 2. epist. pauli ad Timoth: & Homil: 67. ad pop. Anti. Incipit enim miseria à primo die quo nascimur in hunc mundum, qui instar exilij nobis est, vsque ad diem vltimum, quo relinquimus mundum. Et huius miseriæ (quæ & magna & grauis, & partim contracta, partim per ipsum hominem acta est) varia sunt, & multa tùm in mente, tum in corpore, genera: quorũ nonnulla hîc recensentur. Exempli gratia, labor, solicitudo, cogitationes torquêtes cor de rebus agendis, vel de malis futuris, fictiones maiorum malorum in futuro, quam sint ventura, dies mortis, quæ finitio est vitæ præsentis, præterea furor, æmulatio, perturbatio, cõmotio, mortis timor, iracundia, lites, & tempore quietis in cubili somnus, hominem dementans: item neces, cædes, lites, gladij, impressiones, fames, calamitates, clades &c.

Atque hæc communia sunt omnium hominum, nobilium & ignobilium, potentum & imbecillium, virorumet fœminarum, fidelium & infidelium, denique omnis sexus, ætatis, nationis, conditionis, religionis: maximè tamen tyrannorum ac impiorum.

2 Si quis causam quærat, ea est in promptu. Sic enim D. Augustinus Tom: 10. pag. 903. scribit: Malorum omnium nostrorum causa pecca-

peccatum est. Non enim sine causa homines mala ista patiuntur. Iustus est Deus, omnipotens est Deus: nullo modo ista pateremur, si non mereremur. Et D. Chrysostomus Homil. 35. in Ioan. Dederat inquit nobis à principio Deus liberam omni cura & laboribus vitam, eo turpiter munere abusi sumus, & inertiæ dediti, paradisum amisimus: idcirco laboriosam nobis vitam instituit, quasi se humano generi excusans diceret, Dedi vobis à principio delicias, facti estis indulgentia deteriores, ideò eas vobis laboribus commutaui. Qui cum neq; vos continerent, lex & præcepta succedere, tãquam repagula & frenum equo indomito, quibus eius aduersus rationem insultus compescerentur: ita equorum domitores assolent, Vita igitur laboriosa instituta est, quoniam quies & ocium vitam & mores corrumpere consueuit: natura enim humana desidiam non patitur, sed ab ea facilime ad malitiam declinat. Esto non opus esse labore continenti, neq; fieri laborib. meliorem, sed in ocio perfectum esse, quonam pacto hac vtemur indulgentia: nonne instultiam & superbiam conuerteremus?

Si placet addamus & has causas, Dei bonitatem & nostram vtilitatem. Deus enim in nostrum commodum atque salutem, miserias in hac vita nobis immittit.

3 Cum enim sit misera hæc vita, debemus teneri desiderio futuræ: & ista præsenti finita non admodum dolere, præsertim cum sit resurrectio de terra, quæ dicitur mater omniũ, nõ solum quod ex ea corpus humanum sumptum est, ex qua & nutritur, & per quam baiulatur, & in quam tandem recluditur, verũ etiam quòd ipsa, iussu Iesu Christi (per quem omnes viuificabũtur, sicut per Adam omnes moriuntur) nos olim iterum quasi pariet, nẽpe in regeneratione, de qua Mat: 19. Et quoniam omnes miserijs aliquibus sumus subiecti, deberemus ex omnibus eligere illas, quarum bonum finem futurum scriptura prædicit, hoc est nos deberemus tollere iugũ Christi, ipsumq; Christum Iesum Dominum nostrum, per crucis viam & angustam portam, & mortificationem carnis sequi. Qui enim sequutus fuerit illum, non manebit in tenebris, sed habebit lumen vitæ: cuius perpetuus splendor & claritas vtinam omnibus nobis contingat, per eundem Christum Iesum,

Amen.

CON-

CONCIO XCII.

Ecclesiastici 40.

FILI in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori quàm indigere.

I

Etsi mors videtur horribilis, tamen ipsa melior iudicatur à sapiente, quàm vita mendica. Ait enim: κρεῖσσον θανεῖν ἢ ἐπαιτεῖν. Est autem mendicare nihil aliud (quemadmodum Augustinus scribit) quàm ad hominum misericordiam viuere. Iuxta D. M. Lutherum, mendicare hoc loco est, Sich vffs Betlen geben / wie die tellerlecker / suchen trincke / vnd gern geste / die faulen schelmen / die nichts thůn wöllen &c. vel mendicare est rebus necessarijs indigere. vel, est ociosum esse: nam ad ocium sequitur spiritualis & temporalis egestas: ita vt hîc ponatur consequens pro antecedente. Si ergo mori melius est, quam mendicam vitam degere, multò adhuc magis mori satius est, quàm diu ægrotare. Sic etenim Ecclesiastici trigesimo legitur: Potior est mors quàm acerba vita, aut languor perseue-

rans. Et si nonnulli mendicare non horrent, multò minus horrere debemus, siue timere mortem, neq; valde dolere, quando mendici, aut diuturnis morbis afflicti moriuntur, & sic miseriam suam finiunt in Domino.

2 Cum itaq; tam misera res sit viuere ζωλὼ ἀπατήτως: caueamus nos, ne talem degamus. Plerunque autem solent istam viuere non tam Franciscani, quàm ebrioſi & scortatores, Ecclesiast. 19. Prou. 23. Luc. 15. & ignaui, & ocioſi. pro. 6. & qui iniustitiam operantur, ac Deum ante oculos suos propositum non habent.

Quare fugiamus ocium, per quod multi ad furta & latrocinia deuenerunt, & tandem in patibulum suspensi, ac rotæ supplicio affecti sunt. πολλὼ γὰ κακίαν ἐδίδαξεν ἡ ἀργία, inquit Si racida trigesimo tertio. & alius: Ocia dant vitia.

Timeamus autem Dominum, & iustè ac piè viuamus. Quoniam scriptum est Psal. 33. Ecce oculi domini super metuentes eum, & super eos qui sperant in misericordia eius: vteruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Et Psalm. 37. Iunior fui & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Et 112. Beatus vir qui timet Dominum, qui mandatis eius delectatur valde: Potens erit

erit in terra semẽ eius, & generatio rectorum benedicetur. Opes & diuitiæ in domo eius iustitia eius manet in seculum seculi.

item 128. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius: Labores manuum tuarum manducabis, beatus es & bene tibi erit.

Et Tob. 4. Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.

Et 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissiones habeat vitæ præsentis ac futuræ.

Interim tamen non negamus, quin & qui pij sunt, mẽdici esse, imò fame perire queant. Notum est exemplum Lazari, Luc. 16. Quod enim est calamitatis genus in hoc seculo, quod non maximè omnium pios affligat? Si pij bona Dei permissione pereunt tam gladijs tyrannorum, quàm pestibus, quomodo non possent etiam fame perire? Sic autem bona Dei voluntate, in respiscentia perire, non est perire, sed seruari. Nos verò nunc loquimur de generali ordinatione Dei, quacon stitutum est, vt anima iusti in vocatione Dei ambulantis, non intereat fame. Hoc Deus promissionibus suis reuelauit, hoc etiam miraculis confirmauit. Israelitæ sectantes voca-

tionem Dei indesertum, tantum abfuit vt inedia perirent, vt cum terra non subministraret fruges, necesse habuerit cœlũ manna pluere. Elias vocatus à Deo ad torrentẽ Carith, nullũ habebat cibum quo vesceretur, sed cũ versaretur in vocatione Dei, & homines nõ administrarent ei panem, attulerunt panem corui ℔, auium genus alioqui voracissimum.

3 Sed videamus an non etiam latius, ac spirituali quodam modo prælecta verba intelligi possint. Principio enim vita vniuersorum hominum in hac terra mendica est. Nam mẽdici Dei sumus, & ab eo panẽ petimus, Matt. 6. Luc, 11: Quamobrẽ inuicem simus alius in alium misericordes: nec ita vehementer diligamus istam vitam.

Deinde quia satius est mori, quam mendicare, moriamur iam nunc peccato & mundo: simusq; prudentes, vt dispensator ille Luc. 16. qui dicebat, Mendicare erubesco, ne tandem cum fatuis virginibus, Mat. 25. cogamur mendicare, dicentes, sed frustra: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Item. Domine, domine aperi nobis. Huic Domino debetur honor, gloria, imperium, & potestas in secula seculorum, Amen.

CON-

CONCIO XCIII.

Ecclesiastici 41.

O Mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis, viro quieto, & cuius via directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdit sapientiam. Noli metuere iudicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt: & quæ superuentura sunt tibi: hoc iudicium à Domino omni carni: & qui superueniet tibi in beneplacito altissimi, siue decem, siue centum, siue mille anni. Non est enim in inferno accusatio vitæ.

I

POstquam capite præcedente actum est de miseria hominis respiciente statũ vitæ præsentis: hìc consequenter agitur

de miseria eius, quæ respicit statum mortis: cuius tristitia commemoratur χετλιασμῶς: sed & consolatio adijcitur, quòd voluntati diuinæ obtemperandum sit: & impiorum mortem esse malam, quorum etiam posteritas scelera luere cogatur.

Duo autem potissimùm de morte pronunciat, quibus eam qualis sit, quodammodo describit. Primùm quidem recordationem eius dicit esse amaram: deinde verò iudicium eius esse bonum.

Potest ergo res amara etiam bona esse, veluti παιδεία, de qua author ad Hebræos cap. 12. Omnis autem castigatio (inquit) in præsens quidem non videtur esse gaudij, sed molestię. At postea fructum tranquillum iustitiæ reddit ijs, qui per illam fuerint exercitati. Nam qui secundum Deum est dolor, is pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam parit, quemadmodum 2. Corinthiorum 7. capite legimus.

Item si iudicium mortis bonum est: sequitur id quod iustum est, bonũ esse. Est autem iustum vt moriamur, quia peccauimus: ergo & bonum.

¿ Quibus autem memoria mortis amara est, quibusque iudicium eius acceptum ac bonum? Experientia docet, homines quietos in bonis suis, homines ociosos & prosperos in ne-

in negotijs omnibus, & adhuc cibum capere valentes, id est, sano corpore, haud libenter mori, imo rarò mortis recordari. Nec mirum si talibus, præsertim impijs, qui non credunt nec sperant meliorem vitam atque æternam post hanc vitam, mors sit amara: quia de paradiso terrestri suo vadunt ad infernum. Nam Lucæ decimo sexto dicitur de diuite epulone: Mortuus est diues, & sepultus in inferno.

Sed contrà, fatum mortis bene conuenit homini egenti victu & vestitu, effœtis viribus, decrepito, vndique districto, desperanti, cuius petitioni nemo acquiescit, & patientia destituto. Meritò namque iudicium mortis est isti bonum, maximè si pius sit & credat vitam æternam: quia per hoc trāsit ad requiem beatorum, vt de Lazaro scribitur: Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.

Non igitur malè respondit Adriano interroganti, quid esset mors, Secundus philosophus. Dicebat enim esse eam diuitū pauorem, pauperum desiderium.

3 Cæterum vter melius facit, ille ne qui mortem reformidat, an qui ipsam libenter suo tempore suscipit? Vtique ille qui sequitur sententiam Sapientis, qui ait: Ne formida mortis fatum: memento & maiores & mi-

nores tuos (id est, omnes maiores nostri mortui sunt, ac nos vocant, & subsequi iubent: nam moriendum omnibus) quod cum sit à Domino omnibus animantibus fatale, cur quod supremo placet, recuses? Siue decem, siue centum, siue mille sint anni, nulla est apud Ditē vitę defensio. vel, vt vetus interpres legit: Noli metuere iudicium mortis (id est, ponas te in tali statu, vt iudicium mortis sit tibi bonū: & subdit modum) Memento quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi. (nam ex memoria sanctorum patrum, qui præcesserunt: & præmiorum iustorum, & pœnarum iniquorum, quæ ventura sunt, disponitur homo ad mortis iudicium securè expectandum) & qui superuenient tibi (de numero annorum, plurium vel paucorum) in beneplacito altissimi (id est, secundum eius voluntatem sufficiat tibi: & adimpleas illud in exercitio boni: & subditur causa) Non est enim in inferno accusatio vitæ (non enim aliquis ibi potest se excusare allegando breuitatem vitæ contra Deum: Si diu vixissem multa bona feciſſem.)

Dominus Iesus Christus, qui verus Deus est & vita æterna, faxit, vt siue breuem siue longam vitam in terris ducamus, ita sanctè honestéque eam traducamus, vt post ipsam hæreditatem accipiamus perennis & sempiter-

piternæ vitæ in cœlorum regno, Amen.

CONCIO XCIIII.

Esaiæ 57.

IVSTVS perit, & nemo est, qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colligũtur: non est qui intelligat, quòd à facie malitiæ collectus est iustus. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulauit in directione sua.

1

Iustos & pios è mundo tolli, conquerũtur prophetæ & serui dei, 4. Esd. 10. Actor. 8. idque non iniuria. Præsignificantur enim maximæ calamitates, quæ in mundum sunt peruasuræ, si tales ante tempus moriantur, præcipuè si à tyrannis occisi hinc discedant. Horum enim sæuitie rerum aduersarum cumulus, quo impij vindice dei ira obruantur accrescit.

Quantum damnum detur vniuersitati, iustis è medio eius sublatis, comprobat etiam illud prouerbiorũ 10. Iustus fundamentum mundi. Item egressus Lothi ex Sodoma &

gressus Nohæ in arcam, Gen. 19. & 7. nec non caput Esaiæ tertium.

2 Querela autem, quam hic Vates instituit, partim consolatur pios, partim terret impios Dicit autem sic: Iustus perit (non Dei, in quo viuunt, sed mundi iudicio, qui præsentem vitam ponderans, futuræ rationem nullam ducit, Sap. 3.) & nemo est, qui id cordi accipiat. (vel consideret, quantum sit flagitium, à sceleratis pios vita priuari: & quanto damno vniuersitatis hinc capiantur: & quid expectare debeant iniusti. Nam si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator? Prouerb. 11.) & viri misericordiæ colliguntur (id est, pij qui à Deo misericordiam sunt consecuti, homines sancti, benigni, ac boni, dei in terra viua simulachra, Νίκαιοι, quos nimirum fidei lumine illuminatos, diuini amoris spiritus agit, qui veræ probitatis & iustitiæ spiritus est, obeunt, tollũtur, moriuntur, sepeliuntur, & apponuntur ad patres suos, Gen. 35. Si enim corpora spectes, sepultura significatur: sin animos, eorũ coniunctio cum reliquis sanctis animis, ad fruendum beato statu cognitionis Dei in Christo indicatur.

Vt autem iusti inter se in vno corpore cũ capite Christo copulantur, id quod colligendi verbo significatur: sic impij instar paleæ à vento agitatæ dissipantur, Psamo primo.)

absque

absque intelligente, (id est, nullo aduertente. Dann sie faren vnd schleichen offt mit anderen hindurch) quod à facie malitiæ sublatus est iustus (vel, quum præ malis obeant iusti: vel, Propter malitiam autem (vel, enim) colligitur iustus, id est, ne mala, quæ in mundo accidunt, suo magno dolore videat: quod & Iosiæ regi promissum erat, quarto libro Regum capite vigesimo secundo. Numeratur autem in malis primo malus rectionis domesticæ, ciuilis & ecclesiasticæ status, eum scelera passim sine pœnitentia impunè committuntur: deinde calamitates, tam malum statum consequentes, quibus ne cum impijs iusti infestentur, ante tempus ex hoc mundo non malo suo, sed bono eripiuntur.

3 Venire autem pacem, id est, bonum & felicem in Deo statum super iustos ex hoc seculo excedentes, generalis consolatio piorum est: de qua etiam Sapient. tertio & quarto cap. Lucæ decimo sexto, & vigesimo tertio cap. Philippensium primo. Apocalypseos decimo quarto. Et Aben Ezr.: Qui ambulat (inquit) coram ipso Deo, ille in morte venit ad pacem. Hinc Lutherus:

Die richtig für sich gewandlet haben/ kommen zů fride/ vnnd růhen in ihren kammern.

Et Chrysostomus homilia sexagesima nona ad populum Antioch. Græcorum quidem pueri, qui de resurrectione nihil nouerant, consolationis tamen inueniunt verba dicentes: Fer generosè, nam facta non licet resoluere, aut luctibus emendare. An tu his altiora discens & vtiliora, non confunderis, maiorem illis præferens deturpationem? Nec enim nos dicimus: Fer generosè, nam factum non licet resoluere: sed, fer generosè omnino nanq; resurget: dormit infans, & nõ est mortuus: quiescit: non autem perijt. Nam eum resurrectio suscipiet, & vita perennis & immortalis, angelicusque consessus. Non Psalmistam audis dicentem (psalmo 116) Conuertere anima mea in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit tibi? Rem istam Deus beneficium nuncupat, & tu luges? Quid feciſſes amplius, si defuncti hostis & inimicus fuisses? & cæt.

Igitur hîc cubilia exponunt alij pro sepulchris, in quibus suauiter, vt dormientes tantum quiescunt. Vnde & locus sepulturæ à Græcis κοιμητήριον, id est, dormitorium vocatur, in quo corpora piorum requiescunt, non omnino mortua, sed potius dormientia, & expectantia diem illum, in quo gloriosa in cœlum ascendent, & cum Christo perpetuò regnabunt.

Alij

Alij exponunt, pro conscientijs.

Rursus alij sic interpretantur: cum aduenierit pax, quiescent in suis cubilibus, ea præter eos eunte, id est, eam ignorabunt impij, nec eius erunt participes, dormientes in suis peccatis. Respiciat & exaudiat nos dominus Deus noster ac illuminet oculos nostros, ne obdormiamus in morte, Amen.

CONCIO XCV.

Hieremiæ 5.

ET dixit Dominus ad me: Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Eÿce illos à facie mea, & egrediantur. Quod si dixerint ad te, Quo egrediemur? dices ad eos. Hæc dicit Dominus, Qui ad mortẽ, ad mortem et qui ad gladium, ad gladiũ: & qui ad famem, ad famẽ: et qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus, Gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli & bestias terra ad deuorandum & dissipandum,

& dabo eos in feruorem vniuersis regnis terræ propter Manassen filium Ezechiæ regis Iuda, super omnibus quæ fecit in Hierusalem. Quis enim miserebitur tui Hierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu reliquisti me, dicit Dominus: retrorsum abijsti. Et extendam manum meam super te, & interficiam te, &c.

I

MIsericordiam, & iram Domini considerandam sæpissimè nobis proponunt prophetæ, vt scilicet Deum & timere, & amare discamus.

De ira autem maxima hîc loquitur vates Ieremias, qua Dominus accensus fuit in Iudæos. Nam licet, inquit, Moses & Samuel (de quibus Psal. nonagesimonono, Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius, Inuocabant Dominum & ipse exaudiebat eos, &c.) orarent: non exaudirem eos. Anima mea, id est, voluntas, vel cor meum, non est ad populum istum. Imò contrà, volo vt eijcias, id est, omittas eos, & pro eis orare cesses, & egredientur, id est, alius hac, alius ista morte punietur: alius peste, alius gladio, alius fame, alius captiuitate.

Notan-

2 Notandum verò inter pœnas illas captiuitatem censeri graviorem omnibus, mortem per inediam tristiorem occisione gladij: pestem omnium leuissimam. Vnde & Dauid 2. Regum 24, eligebat pestem. Dominus autem qui non delectatur perditione hominum, incipit afflictionem inferre principio minimam: quando autem homines ea corrigi nolunt: tunc inferre solet maiorem, donec perueniat vsq; ad maximam, Leuit. 26. Deuteron. 28.

Tertius versus docet etiam nos, dignum esse, vt his qui Deum totius vniuersi irritarunt inobedientes, & ipsis omnes creaturæ contrariæ sint.

3 Sed quare Dominus infert hominibus tantas calamitates? Propter contemptum Verbi, & defectionem à Deo. Vbique enim dispergentur, inquit, in terram, propter Manassem, autorem publicæ corruptelæ, quem populus imitatus est. Is enim adorauit idola, consuluit pythonissas, immolauit pueros dæmonijs, occidit prophetas: quemadmodum scriptum est, 4. Regum. 21. Vt autem in Deo & sermone eius manere valeamus, ne in ipsius iram & iudicium incidamus: adiuuet nos ipse Deus per Iesum Christum filium suum vnigenitum, Amen.

CON-

CONCIO XCVI.

Ezech. 33.

VIVO ego, dicit Dominus Deus, Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. Conuertimini à vijs vestris pessimis. Et quare moriemini domus Israel.

1

CVm duæ sint viæ perditionis, teste Augustino, Serm. 59. de verbis Domini: vna abducens nos nimium ad dexteram, quæ est peruersa spes, seu vt Chrysostomus vocat Hom. 10. de pœnit. stantem confidere: altera ad sinistram, quæ est desperatio, seu iacentem desperare: cumque Deus, qui non delectatur perditione hominum (Sap. 1. 2. Petri 3.) alibi nos reuocet à priori via, id est, falsa spe, inquiens, Ecclesiast. 5. Non tardes conuerti ad Dominum, &c.

Dann jederman trawet Gott wol:
Vnnd mancher meht daun er soll:
Dann wer von sünd nicht lassen wil:
Der trawet Gott nur allzů vil:

Nam frustrà illi in Dei longanimitate confidunt,

fidunt, qui illius iram irremissa peccâdi licentia prouocare non desinunt: Hîc nos auocare vult à desperatione: idque verbo suauissimæ consolationis, qua promittit & iuramento confirmat, se non totam suam iram super peccatores effusurum, & eos perditurum, sed potius velle, vt conuertantur atq; viuant.

2 In Sacris autem literis tria vitę genera reperimus: vitam peccatis obnoxiam, siue Adamicam, qualem ducunt omnes filij Adæ ante regenerationem, quam comitatur ipsa mors, Rom. 8. Deinde vitam pœnitentiæ, seu Christianâ: postea vitam æternam, quâ vita pœnitentię parit atq; producit. Prima vita est amittêda & relinquenda: altera quærêda & sectanda: postrema speranda & per patientiam expectanda.

3 Cæterùm vt pœnitentiam veram agamus & conuertamur, necesse est, vt peccata nostra & impietatem agnoscamus, deque his doleamus & conteramur, Christum Iesum peccatorum nostrorum extinctorem atque saluatorem cognoscamus, fructus & ἔργα τῆς μετανοίας ἄξια faciamus. Dominus noster Iesus Christus, qui lux mundi est & sol iustitiæ, dignetur aperire oculos nostros, vt conuertamur à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad Deum, vt accipiamus remissionem peccatorum & sortem inter eos qui san

ctificati sunt per fidem, quæ est erga ipsum. Amen.

CONCIO XCVII.

Danielis. 12.

ET multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. Qui autem doctifuerint, fulzebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

1

PRimùm omnium, quod hîc obseruandum est, continetur his duobus verbis, Dormiunt, Euigilabunt. Ex ijs enim colligitur mortem esse somnum, vel dormitionem: itemque esse mortuorum resuscitationem, de quibus aliàs plura.

Quod vero dicit, Multi eorum, qui obdormierint humatique fuerint, expergiscetur, & non omnes, dicitur propter eos, quos dies vltima inuenier adhuc viuentes, nec dum mortuos & sepultos: de quibus Apostolus, 1. Corinthior. 15. Ecce mysterium vobis dico: Non

Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Canet enim, & mortui resurgẽt incorruptibiles, & nos (id est, ij qui tum viuẽt, vt nos nunc viuimus) immutabimur. &, 1. Thessal. 4. Mortui in Christo resurgent primùm, deinde nos qui viuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, &c. Adde quod sub multorum nomine aliquando non pars mundi tantùm designatur, sed totum humanum genus. Sic ad Romanos 5. multos sumit Paulus pro omnibus, per comparationem inter vnum & plures.

2 Etsi autem omnes qui in monumentis sunt, vocem domini de cœlo descensuri cum tuba Dei audient, & de puluere terræ prodibunt: tamen hoc diuersissimo modo atque adeo maximo discrimine futurum est. Nam alij, inquit Daniel, euigilabunt ad vitam æternam, id est, ad gloriam & lætitiam sempiternam, quam Dominus promisit non solùm peritis, & illis qui multos reddiderunt iustos, verùm etiam omnibus credentibus & sperantibus in eum, diligentibus eum, facientibus bonum, iustis, quemadmodum scriptum legimus Iohan. 3. 1. Corinth. 2. Iacob. 1. Roman. 2. Apocal. 2. Iohan. 5. Mat. 25. Sap. 5.

3 Alij verò nempe qui mala agunt, & in Iesum Christum non credunt, euigilabunt ad opprobrium (seu confusionem, inspicientes in seipsis turpitudinem, & formas impressas peccatorum, vt Basilius scribit in Psal. 33.) & in contemptum sempiternum, in abiectionē & miseriam æternam: de qua Esaiæ vltimo: Et egredientur & videbunt cadauera virorū, qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt despectio, vel nausea omni carni. Nam væ nobis, inquient (vt scriptum est in Amandi Seus lamentatione, de perpetuò durantibus damnatorum querelis) væ nobis in æternum, qui omni spe destituti separamur à Deo. Summis votis hoc vnum optaremus restare, nempe spem, nos liberandi, post annorum infinita millia. Quòd si lapis molaris tam latus esset, vt totum terrarum orbem contegeret, tam grandis, vt cœlum contingeret, aduolaret autem auicula post centum annorum millia semel, ac de prædicto saxo frustum ad sinapis magnitudinem auferret, idq; sæpius post tempora memorata faceret, donec saxeum istum montem deportauerit, nihil aliud damnati nos expetiuerimus, quàm tum demùm cruciatus nostros finem habituros. Verùm id fieri non potest. Æternis igitur supplicijs torquebimur, quæ secuta sunt

ta sunt nostras in mundo voluptates atque flagitia.

Etsi igitur impiorum corpora quoque resurrectura sunt incorruptibilia & immortalia: tamen hic honor (teste Chrysostomo in par. ad Theod. lapsum) fomentum & viaticum ipsis erit suppliciorum & vltionis. Incorruptibilia enim resurgent, vt semper vrantur. Nam cum ille ignis sit inextinguibilis, opus est illis corporibus, quæ & ipsa nunquam cõsumantur, sed crucientur die ac nocte in secula seculorum, Apoc. 20. Sed quomodo, inquis, ignis ille inextinguibilis perseuerat? Ad hoc ita respõdet Chrysost. in cap. 3. Matt. Nonne cernis solem istum semper ardẽtem, & nunquam prorsus extinctum? Non legisti incensum rubum, nec tamen ipso incendio concrematum? videris etiam August. li. 21. de ciu. Dei. Elementa soluentur, 2. Petri 3. ignis igitur ille non erit elementaris, non corporeus, sed spiritualis, teste August. cap. 40. de cognitione veræ vitę.

4 Porrò diuersitas resurgentum erit non solùm in eo, quod illi quidem ad vitam, hi vẽ rò ad miseriam ęternam resurgent: sed etiam in hoc, quod diuersi gradus erunt, primùm inter illos ipsos qui in cœleste regnum assumentur: deinde inter eos qui ad infernum dãnabuntur. Non enim frustra scriptum est

Matth.10. Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhorum, in die iudicij, quàm ciuitati illi, quę nempe Apostolos Christi nó exceperit. & 23. Væ vobis scribæ & phariſæi, hypocritę, quia comeditis domus viduarum: idq; prætextu prolixę precationis, propter hoc grauius puniemini. Et, Luc.12. Ille autem seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, nec fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Vt igitur peccatum aliud alio maius est, quemadmodum peccatum eius qui Iesum tradidit Pilato, maius fuit, quàm ipsius Pilati peccatum, Ioannis 19. ita supplicium aliud alio in die iudicij grauius erit. Rursus de electis & Dei seruis fidelibus scriptum est primæ Corinth.3. Cæterùm is qui plantat, & is qui rigat, vnum sunt: vnusquisq; tamen suam mercedem accipiet, iuxta suum laborem. & primæ Cor.15. Alia gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum. Stella siquidem à stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum. Hinc & propheta hoc loco de doctis vaticinatur, qui alios intelligere faciunt, alijs q; superemi nent hic in vita & doctrina: & de ijs qui per exempla bonę vitæ inducũt alios ad iustitiá, quanuis nõ sint doctores: Fulgebunt, inquit, vt ful-

vt fulgor æthereus, &, erunt stellarum similes in omnem æternitatem. Hac gloriæ corona coronet nos quoq; Dominus noster pro sua inexhausta bonitate & infinita misericordia, Amen.

CONCIO XCVIII.

1. Machabæor. 2.

ET appropinquauerunt dies Matathiæ moriendi: & dixit filijs suis: Nunc confortata est superbia & castigatio & tempus euersionis, & ira indignationis. Nunc ergo ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, et nomen æternum. Abraam, nónne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam? Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est dominus AEgypti. Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni. Iesus dum im-

pleuit verbum, factus est dux in Israel. Caleph dum testificatur in ecclesia, accepit hæreditatem. Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula. Helias dum zelat zelum legis, receptus est in cœlũ. Ananias & Azarias & Misael credẽtes liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. Et ita cogitate per generationem et generationem, quia omnes qui sperant in eum, nõ infirmantur. Et à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius, stercus & vermis est, hodie extollitur, et cras non inuenietur: quia cõuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit. Vos ergo filij, confortamini, & viriliter agite in lege, quia cum feceritis, quæ vobis præcepta sunt in lege à domino Deo vestro, in ipsa glorioſi eritis. Et ecce Simon frater uester, scio quod vir consilij est: ipsum audite semper, et ipse erit uobis pater. Et Iudas Machabæus fortis virib. à iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi. Et adducetis ad vos omnes factores legis, & vindicate vindictã populi uestri. Retribuite retributionem gentibus,

tibus, & intendite in præceptum legis. Et benedixit eos, & appositus est ad patres suos. Et defunctus est anno 146. & sepultus est à filijs suis in sepulchris patrũ suorum in Modin, & planxerunt eum omnis Israel planctu magno.

I

IN descriptione mortis Matthiæ, senis, pij & constantis viri, primò obseruandum venit id quod textus inquit: ἠγγισεν αἱ ἡμέραι τοῦ ματταθίου ἀποθανεῖν. Nam duæ hîc innuuntur causæ, propter quas meritò omnis homo memoriam mortis sibi familiarem facere debet, & ad eam ipsam sese præparare.

Prima causa est, quia mors ita communis est omnibus, vt ea sit obeũda non solùm mulieribus, senibus, pauperibus, sed etiam viris, iuuenibus, diuitibus: imò non tantùm incredulis atq; impijs, verùm etiam credentibus ac pijs. De impio enim Antiocho Epiphane, octauo rege Siriæ hîc prædicitur, quòd gloria eius in stercus abitura sit & vermes. Nam in languore postea posito ipso, vermes viuentes de carne eius ita scaturiebant, vt ex fœtore eius exercitus grauaretur, 2. Macha bęorum nono: & sic in eo impleretur illud Ecclesiast. capite decimo: καὶ βασιλεὺς σήμερον, καὶ αὔριον τελευτήσει. ἐν γὰρ τῷ ἀποθανεῖν αὐ-

δρωτον, κληρονομήσει ἑρπετὰ καὶ θηρία, καὶ σκω-
λικας.

De pio autem Mattathia legimus: Mattathias autem, cum ei dies interitus instaret, filios suos alloquutus est, &c. itē, Et mortuus est anno 146.

Verè igitur Poeta cecinit de morte, inquiens:

Heu mortem inuisam, quæ sola vltricibus armis
Elatos frenas animos, communia toti
Genti sceptra tenens æternaq; fœdera seruans:
Quæ magnos, paruosq; teris, quæ fortibus æquas
Imbelles, populisq; duces, senumq; iuuentæ.

Altera causa est, quòd singulis horis atq; momentis dies mortis nostræ appropinquant. Nullas enim patitur secum fieri inducias nouissimus ille hostis, qui mors est. Sic etiam de Dauide legimus, 3. Reg. 2. quemadmodum hic de Mattathia: Appropinquauerunt autem dies Dauid, vt moreretur.

Alibi addidimus adhuc duas causas, ob quas sæpe nos meminisse decet atque expedit mortis, & ad ipsam paratos esse omni hora, quarum prior est, quòd mori maximum opus est homini in terris perficiendum: posterior, quòd toties Christus vnà cum Apostolis nos hortatur ad vigilandum, ne dies ille nos tanquam fur opprimat, vt Matthæi vigesimoquarto, Marci trigesimotertio, Lucæ duode-

duodecimo, & vigesimoprimo. 1. Thess. 1. primæ Petri 4. 5.

2 Secundò notandum nobis in historia mortis Mattathiæ, quòd ante illam filios suos ad se vocatos admonuit officij, & consolatus est, quemadmodum Iacob suos filios, Gen. 49. Moses & Iosue filios Israel, Deut. 31. Ios. 24. Paulus Ephesianos, Act. 20. Timotheum: 2 Timoth. 4. Animauit autem eos ad legis defensionem, ad fidem erga Deum, ad concordiam & reliquas virtutes, sumptis argumentis à promissione gloriæ æternę, quæ parata est per seuerantibus in fide: nec non ab exemplis maiorum, &c. Tandem benedixit illis, id est, fausta à Deo precatus est.

3 Postremò in his quæ mortem illius consequuta sunt, primùm occurrit illud, quod appositus est ad patres suos, id est, concessit ad maiorem suorũ manes: vel, vt alibi scriptura loquitur: Appositus est ad populũ suum, vel, collectus est ad populos suos, Gen. 49. Num. 20. hoc est, mortuus est quemadmodũ & maiores sui alij post alios.

Deinde, quod à filijs suis Modini in patrio sepulchro conditus est.

Demùm, quod ab omnibus Israelitis magno planctu deploratus fuit.

Nam etsi terra Domini est & plenitudo eius, neq; refert qua terræ parte corpus mor-

tuum conputrescat: homo tamen mortuus non est abijciendus, vt cadauer asini, sed magno honore & reuerentia mandandus honestæ sepulturæ: non quia hoc defuncti saluti, sed quia superstitibus prosit. Primùm, qui funera amicorum suorum honorant, præbent publicam significationem dilectionis suę erga defunctum. Est autem pij hominis officiũ dilectionis exempla proximis ostendere. Deinde qui comitantur funus declarant & ipsi opus charitatis erga lugentes suos vicinos. Est enim charitatis opus, lugere cum lugentibus. Adhæc qui in funus prodeũt, his reuocatur in memoriam mortis conditio, vt ea admoniti, turpitudinem vitæ suæ abijciant, & à peccatis resipiscant, quò à perpetua morte liberentur. Præterea honesta debent esse funera & sepulturæ christianorum, vt testemur fidem resurrectionis nostrę. Non comitamur nec honestè sepelimus defunctum asinum, aut bouem, quia non resurget: sed id honoris homini proximo impendendum est, vt ipsa re significemus, aliam esse nostram conditionem, quàm bestiarum. Nos enim resurgemus vnà cum corpore ad vitam æternam, idque per potentiam Dei, qui & Dominum suscitauit: cui debetur honor, gloria & benedictio in sempiternum,

Amen.

CON-

CONCIO XCIX

2. Machab. 6.

LITVR Eleazarus vnus de primoribus scribarum, vir ætate proiectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille glorioſiſsimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens voluntariè præibat ad ſupplicium. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere patienter ſuſtinẽs, deſtinauitnõ admittere illicita propter vitæ amorem. Hi autem qui aſtabant, iniqua miſeratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum ſecreto rogabant afferri carnes, quibus veſci ei licebat, vt ſimularetur manducaſſe, ſicut rex imperauerat de ſacrificij carnibus: vt hoc facto à morte liberaretur, & propter veterem viri amicitiam hanc in eo facerent humanitatem. At ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis caniciem,

atque à puero optimæ conuersationis actus, & secundum sanctæ & à Deo conditæ legis constituta, respondit cito, dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, vt multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar: sed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiã. Quamobrem fortiter vitam excedendo, senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam: si prompto animo, ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar,. His dictis confestim ad supplicium trahebatur. Hi autem qui eum ducebant, & paulò ante fuerant mitiores, in iram conuersi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur.

Sed

Sed cum plagis perimeretur, ingemuit et dixit: Domine qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solùm iuuenibus, sed & vniuersæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.

I

QVod Apostolus de Christo testatur Hebreor. 13. dicens: Iesus Christus heri & hodie, idem est etiam in secula: hoc ipsum quoque de doctrina & spiritu eius dici posse, præsens historia probat. Eleazarus enim, contempto consilio amicorum, contra legem Dei, Leuit. 11. vsque ad tempus correctionis impositam, Hebreor. 9. suadentium illi, vesci illicito cibo, maluit gloriosè mori, quàm vitiosam vitâ ducere, id est, subire mortem propter nomen Domini & eius verbum (quemadmodum idem fecisse legimus Susannam, Dan. 13. matrem illam cum septem filijs suis, 2. Mach. 7. & multos alios Iudæos, 1. Machab. 1.) quàm agere contra vo-

suntatem Dei in eius doctrina expressam. Quod quid aliud fuit, quàm sequi doctrinâ ipsius Christi, Math. 5. & 16. vbi ait : Quòd si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit, erue illum, & abijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehẽnam. &, Qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam.

2 Item Eleazarus noluit cibo lege prohibito coinquinari, non solùm ex eius comestione, sed etiam ex comestionis fictione. Nam ex hoc probabiliter videbat sequi transgressionem multorum : Quod quid aliud fuit, quàm perpenso dicto Christi, Math. 18. Væ homini, per quem offendiculum venit: iuxta præceptum Apostoli eius, 1. Thess. 5. abstinere etiam à specie malæ?

3 Item Eleazarus maluit incidere in iram regis, quàm in manum omnipotentis, quam nemo vel viuus, vel defunctus effugere potest: quòd certè nihil aliud fuit, quàm seruare præceptum illud Domini, Matth. 10. Ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuite magis illum, qui potest & animam et corpus perdere in gehenna.

4 Idem propter timorem Domini, in quo à puero vixit, cum potuisset à morte liberari,

duros

duros corporis dolores sustinuit, idque prompto animo & fortiter vsque ad mortem (in cuius hora Dominum inuocauit: quo nihil magis necessarium) non secus ac si audisset Christum dicere, Nemo qui manu sua admota aratro respexerit à tergo, aptus est regno Dei, Luc. 9. Verùm qui sustinuerit vsq; ad finem, hic saluus fiet. Mat. 10. & 24. Quod si idem fecit modò defunctus frater noster: non dubitandum est, quin eum deus clementer in regnum suum & vitam æternam assumpserit. Quam felicitatem illi fauemus & gratulamur ex animo. Deus patientiæ & consolationis, det nobis quoque patientiam, qua omnibus in Christo Iesu piè viuere volentibus opus est, vt vbi voluntatem Dei peregerimus, reportemus promissionem.

Hæc autem est repromissio, inquit Ioannes in epistola prima capite 2. quam ipse pollicitus est nobis vitam æternam: quam ne perdamus propter modicum corruptibilis vitæ tempus, faxit ille, qui habet sanctâ scientiam, & nouit suos ex omni tentatione eripere: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum,

Amen.

CONCIO C.

2. Machab. 14.

RAZIAS autem quidam de senioribus ab Hierosolymis delatus est Nicanori, vir amator ciuitatis, & bene audiens qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Iudaismo, corpusq; & animam tradere contentus pro perseuerantia. Volens autem Nicanor manifestare odium quod habebat in Iudæos, misit milites quingentos, vt eum comprehenderent. Putabat enim si illum decepisset, sese cladem Iudæis maximam illaturum. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam disrumpere, atq; ignem admouere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio se petijt, eligēs, nobiliter mori potius, quàm subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis iniurijs agi. Sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset,

&

& turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audaciter ad murum, præcipitauit semetipsum viriliter in turbas: quibus velociter locum dantibus casui eius, venit per mediam ceruicem: & cum adhuc spiraret, accensus animo surrexit: & cum sanguis eius magno fluxu defluueret, & grauissimis vulneribus esset saucius, casu turbam pertransijt: & stans supra quandam petram præruptam & iam ex anguis effectus, complexus intestina sua vtrisque manibus proiecit super turbas, inuocans dominatorem vitæ ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet, atque ita vita defunctus est.

I

LEgimus hîc de morte Raziæ senatoris Hierosolymitani, qui sibijpsi mortem conscíuit: in quo facto nos illum neq; damnare, neque iustificare impræsentiarum volumus. Sunt enim qui duas causas huius αὐτοφονείας assignant. Vna est, ne fortè vi tormentorum inclinaretur ad gentilem ritum, quod erat maximum malum: ideo in textu dicitur, quod generosè mori maluerit, quàm in scelerat orum venire manus, & indignam generositate sua contumeliam pati. Altera, ne

in contemptum Dei cœli eius vita ludibrio haberetur: sicut Samson seipsum interemit, Iudicum 16. cum intelligeret non sibi modo tanquam capto & oculis priuato, sed etiam domino Deo suo illudi. Atque in his duobus casibus dicunt Hebræi, quòd non solùm licitum sit, sed etiam meritorium interficere seipsum: quia talis interfectio ordinatur in Deũ, qui supplicia sanctorum suorum quæ hîc patiuntur, æternis regni cœlorum præmijs cõpensare potest. Si autem hoc faciat aliquis propter semetipsum, vtpote ad euadendum longum, vel grauem cruciatũ, vel infamiam sui & suorum, si moriatur vili morte: hoc semper est illicitum.

Sed rursum inquit Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 26. Hoc asserimus, & modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales (vt Cato Vticensis fecit) ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata (vt Lucretia) ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter sua peccata præterita (vt Iudas) propter quæ magis hac vita opus est, vt possit pœnitendo sanari: neminem velut desiderio vitæ melioris (vt Cleombrotus) quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis, melior

melior post mortem vita non suscipit.

2 Vide, si placet, eundem Augustinum epistola sexagesima prima ad Dulcitium: & contra secundam epistolam Gaudentij libro secundo capite vigesimo tertio. Vbi inter cætera sic scribit: Laudatus est itaque iste Razias amator ciuitatis, vt valde bene audiens, id est, bonæ famæ, quia pater Iudæorum appellatus est, et quod continentiam tenuerit in Iudaismo: Istam verò eius mortem mirabiliorem, quàm prudentiorem narrauit, quemadmodum facta esset, non tanquam facienda esset, Scriptura laudauit. Nostrum est autem, sicut Apostolus admonet, primæ epist. Thessalonicensium quinto capite: omnia probare, quæ bona sunt tenere, &cæt. item paulo post.

3 Quanquam & iste Razias habeat quod legentibus prosit, non solùm vt mens exerceatur rectè iudicando quod legit, verùm etiam vt animus humanus, imò animus Christianus aduerteret, quanta ferenda sint ab inimicis ardore charitatis, cùm à seipso iste timore humilitatis tanta pertulerit.

Item vt etiam hinc populus Christianus aduerteret, quoniã non sunt cõdignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, pro quibus Christus est passus: si tanta patientissimè pertule-

runt pro lege, quam dedit Deus per famulum hominibus illis, pro quibus nondum tradiderat filium. Quemadmodum non ideo reijcimus historias de Noe, Dauide, Salomone, Petro, &c. quia quædam nobis non imitanda patrarunt: sic neque hanc historiam omnino reijciemus: sed quædam obseruatione digna notabimus. Razias cum non potuisset fugere, etiamsi voluisset, necem sibi ipsi conscuit: idem mori maluit, quàm vel sponte in gratiam hominum, vel coactus à Nicanore, regis Demetrij principe, peccare in legem Domini: denique in extremis inuocauit non creaturam aliquam, sed dominatorem vitæ ac spiritus, idque in fide ac spe resurrectionis mortuorum, & vitæ æternæ. Idem & nos faciamus: Cumque senserimus nobis omnino moriendum esse, libenter mortem oppetamus: & quando nobis vel obeunda mors est, vel aliquid agendum contra verbum Domini, magis expetamus mortem cum gloria, quàm vitam cum infamia, & per fidem potius eligamus (vt de Mose legitur Hebræor. vndecimo capite,) simul malis affici cum populo Dei, quàm temporarijs peccati commodis frui: demum, quando in die aliqua tribulationis sumus, & maximè in ipsa hora mortis, inuocemus Dominum Deum conditorem fidelem & curatorem animarum

nimarum nostrarum (vt Petrus eum vocat, primæ epist. Pet. secundo & quarto capite) commendantes in manus eius spiritus nostros & omnia quæ habemus (sicut & frater noster N. iam sepultus fecit: propter quod nos charitas sperare iubet, ipsum à Deo in æternam vitam esse translatum: quod illi gratulamur) dicamusque singuli fideli corde cũ sancto Stephano: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. & cum Sponsa Christi, Veni Domine Iesu, veni cito, & me nunc & in hora ipsoque articulo mortis meæ suscipe, Amen amen. Hal eluiah.

HOMILIA SEV CONCIO CI. EX TESTAMENTO nouo: cuius thema ex cap. 5. Euang. Mathæi sumptum est: & sic se habet.



ABETO BENEVOlentiam cum aduersario tuo cito, dum es in via cum illo, ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem conijcias. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec persolueris extremum quadrantem.

EXPLANATIONIS pars I.

VT feliciter mori possimus, & nobis post hanc vitam benè sit: faciamus id, cuius nos Christus Iesus hic admonet. Si enim consenserimus cum aduersario nostro, pro iudice inueniemus patrem, pro ministro sæuo angelum tollentem nos in sinum Abrahæ, pro perpetuo carcere paradisum & vitam æiernam.

Sed quis est ille aduersarius, cui debemus consentire? Nunquid Diabolus est? de quo 1. Pet. 5. Minimè. Huic enim est resistendum, Iac. 4. Sed sunt quatuor comites, qui nobiscum ad iudicem proficiscuntur, nostriq; aduersarij sunt, cum quibus consentire oportet, antequàm ad iudicium veniamus. Sunt aũt tales aduersarij, qui omnino nobis non malè cupiunt: quærunt. n. illi quidem non nostrã voluntatem, sed vtilitatem. Cęterùm quia nostræ malæ & corruptæ naturæ aduersantur, ideò aduersarij vocantur. *Sic pius* pater aliquando dicit de filio suo, quem *interimamat*, ego & filius meus nobis inuicem *semper* aduersamur.

2 Primus comes & aduersarius noster est Sermo Dei: huic cõsentire nos oportet, priusquàm in iudicium veniamus: alioquin ipse nos iudicabit in extremo die, Ioan, 12. Consentit aũt cum illo qui credit verbo Christi, & tradit se totum in obediẽtiam fidei. Si peccas, aduersarius tuus Sermo Dei est: verbi causa: *Forsitan* delectat te inebriari, dicit tibi, (Luc. 21) *Noli*. Delectat te adulterari, dicit tibi, *Noli*. In quibuscunque peccatis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi, Noli. Aduersarius est voluntati tuæ. O quàm bonus aduersarius, quàm vtilis aduersarius, nõ quęrit nostram voluntatem, sed vtilitatem. Ad-

uersarius

uersarius est nobis, quàmdiu sumus & ipsi nobis. Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicũ habes Sermonem Dei. Esto tibi amicus, & concordas cum illo. Non homicidium feceris, audi & concordasti. Non furtum facias, audi & concordasti.

Alter comes & aduersarius, cum quo beneuolentiam habere oportet, est noster proximus. Huic enim quoque rationem reddituri sunt in iudicio, qui in hac vita eum iniuria affecerunt. Commendantes, inquit Paulus 2. Corinth. 4. nosipsos apud omnẽ conscientiam hominum in conspectu Dei: declarantes etiam charitatem, vt Christus docet per parabolas, Luc. 16. Matth. 25. & sectantes pacem cum omnibus, Heb. 12.

Tertiò, sunt nostri comites angeli: qui gaudere solent super omni peccatore resipiscente, Luc. 15. qui in cœlis semper vident faciem patris cœlestis, Math. 18. propter quos Apostolus iubet mulieres potestatem habere in capite, 1. Corinth. 11. à quibus Lazarus deportatus est in sinum Abrahæ, Luc. 16. Hos igitur offendere nolimus.

Quartus comes est cuiusque conscientia: contra hanc nihil faciamus, ne nos accuset in die iudicij, 1. Corinthiorum quarto capite, 1. Timoth. primo capite. Actor. 24. 1. Petri 3. Roman. 2.

3 Quando & vbi hæc ſunt facienda? Cito: dum lucem & tempus habemus, Ioan. 12. Galat. 6. dum adhuc durat promiſsio introeundi in requiem Domini, Heb. 4. in via, id eſt, in vita iſta: quæ quando ſit finem habitura, nullus ſcit. Quemadmodum autem via quædam, ad exitum aliquem tendit: ſic & vita hominis tendit vel ad ſalutem, vel ad interitum: quia tanquam via eſt, qua itur ad iuſtum iudicem, qui nobis dicturus eſt in nouiſsimo die, vel, Ite, vel, Venite. Item in hac via omnes velut peregrini tranſeunt, nec vllus quaſi poſſeſſor manet, ſed omni homini dicitur, Refectus tranſi, age iter, da venturo locum. Dominus Ieſus det nobis alium, eumque ſtabilem locum in domo patris ſui, Amen.

CONCIO CII.

Θέμα

Math. 7.

INTROITE *per arctam portam: quoniam lata eſt porta, & ſpacioſa via, quæ abducit in exitium, multiq; ſunt, qui*

qui ingrediuntur per illam. quoniam angusta est porta & stricta via, quæ abducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt illam.

Ἐξήγησις

I

DVplicem esse statum hominum post hanc vitam, ostendunt hæc Christi domini nostri verba: qui vnum vocat exitium seu damnationem: alterum, vitam, subaudi beatam & sempiternam. Futura enim vita, vera demùm vita est, præsens nequaquam, sed mors potius, teste Augustino, lib. Meditat. cap. 21. Taxandi hîc illi sunt, qui dicto Christi Iohannis 10. Et erit vnum ole & vnus pastor, abutuntur, quasi nemo sit periturus, sed omnes tandem saluandi sint. Item illi, qui dicunt de omnibus mortuis in genere, Quàm bene illis prospectum est? discesserũt enim ad nostrum dominum Deum. Nam Christus longè aliter hîc loquitur: & testatur, quòd Multi sint, qui ingrediantur per latam portam, quæ abducit in perditionem, nempe omnes illi, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio Domini nostri Iesu Christi, sed quorum Deus venter est aut Mammona, 2. Thess. 1. Phil. 3. Luc. 16. Pau-

ci verò qui inueniant strictam viam, ducentẽ ad vitam.

2 Quæritur autem, quæ sit illa via vitæ, de qua Christus hîc loquitur? Estne quæuis stricta via, vitæ via? Haudquaquam. Estne crux? Est ne actio operum nostrorum? minimè: sed illa via est ipse Christus, & fides in illum. Dicit enim Iohan. 14. Ego sum via, veritas & vita: & Iohan. 6. Amen amen dico vobis, qui confidit mihi, habet vitam æternam.

Qui aliquò profecturus est, opus habet tribus rebus: primò, vt rectam viam aggrediatur: deinde, vt in ea perseueret: demùm vt scopum itineris tangat: sic etiam opus habet his tribus (quæ omnia Iesus Christus est, quia via, veritas & vita.) quicunq; tendit in cœlum & ad patrem qui in cœlis est.

3 Cęterùm vt tibi Christus in fine vitę tuæ via sit & dux, & nauta, qui te transferat ad patrem per mare mortuum, cui te, & tua omnia committere audeas: necesse est vt illum quoque pro via habeas in vita tua, qua ambules: hoc est, vt contendas introire per viam angustam: quod fiet, si per fidem in Christum Iesum vitam duxeris à mundo segregatam, modestam, piam & honestam, & si sequutus fueris Christum dominum & magistrum tuum: qui satis lata via est ad vitam credentibus, quorum corda non grauata sunt cura & amore

amore nimio temporalium rerum, & onere grauium scelerum & vitiorum. Sæpe fit vt semita quæpiam sit satis amplaiter ingredienti pedibus, sed non equitanti, item vt porta satis alta sit & magna, vt per eam ambulare liceat, sed non vt currus onustus stramine aut fœno traduci queat. Sic Christus via est ducens ad patrem, quemlibet credentem, qui quidem propter ipsum relinquit voluntario animo, quando necessitas requirit, patrem, matrem, vxorem, liberos, &c. & deponit onus peccatorum suorum, quantum per Dei gratiam licet: deponit item opera bona ex seipso ficta, non à Deo præcepta: & verò etiam fiduciam verorum operum: qui deinque intrans per humile ostium, quod Christus est, ita sese submittit & deprimit, vt dicat se seruum inutilem esse, etiamsi plurima fecerit bona opera à Deo præcepta. Qui autem hæc impedimenta non abijcit, neque illa quæ Deo displicent relinquit, huic non licebit intrare per eam portam & viam, qua itur ad vitam sempiternam: quam largiri nobis dignetur Christus Iesus, seruator & Dominus noster,

Amen.

CON-

CONCIO CIII.

Matth. 7.

NON quiſquis dicit mihi, Domine, domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt.

1

CVm non habeamus in terra ciuitatem manentem, quippe peregrini, demus operam, vt locum habere queamus in cœlo: quod fiet, ſi fecerimus voluntatem patris Chriſti, qui in cœlis eſt. Nam qui huius voluntatem facit (non patris mendacij concupiſcentiam, non mundi, non veteris hominis deſiderium) hîc manet in æternum, id eſt, fit hæres Dei, quia Chriſti frater eſt, 1. Iohan. 2. Matth. 12.

Quid autem velit Deus, declarat Scriptura, Iohan. 6. 1. Timoth. 2. 1. Theſſal. 4. 2. Petri 3. Ezechielis 33. Oſeę ſexto, Micheæ ſexto, Deuteron. 10.

2 Porrò qui Dei voluntatem exequi vult, hunc nō ſolùm oportet diſcere ex verbo Dei quæ voluntas eius ſit (ſeruus enim ſciens voluntatem

luntatem Domini, & non faciens, multis vapulabit, Luc. 12.) verùm etiam orare Deum pro facultate exequendi eam, quemadmodũ Dominus docuit, Mat. 6. & Dauid fecit, Psal. 143. Non enim omnis qui dicit mihi domine domine, inquit Christus, intrabit in regnum Dei, i. consequetur beatitatem, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est.

3. Est autem Christo dicere Domine domine, Christi nomẽ portare, de ipso loqui & prophetare, habere formam pietatis, profiteri scientiam Dei, labijs honorare Deum. Etsi verò non omnes dicentes Christo, Domine, in regnum Dei (quod non in sermone consistit, sed in virtute 1. Cor. 4.) intrabunt: tamen aliqui, nempe qui ita confitentur ore dominum Iesum, vt interim etiam corde in illum credant, factisq; non negent. Sic Stephan. vocauit Christum Dominum, Actor. 7. sic latro in cruce, Luc. 23. Tales comparari possunt arboribus non solùm ostendentibus folia, sed etiam ferentibus bonos fructus: item prudentibus virginibus, plenis fide & spiritu sancto. Dominus Iesus doceat nos non solùm intelligere, sed etiam facere voluntatem patris sui cœlestis: qui a Deus noster est ipse: cui sit honor & imperium in omne

æuum, Amen.

CONCIO CIIII.

Matth. 9.

ET quum venisset Iesus in aedes primatis, vidisset q; tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis, Secedite, non enim mortua est adolescẽtula, sed dormit. Et deridebant illum. Cum autem fuisset eiecta turba, introgressus tenuit manum illius, & resurrexit adolescentula.

QVod Christus Iesus hîc de filia Iairi pronunciat, inquiens, Non mortua est adolescentula, sed dormit, de omnibus hominibus intelligendũ est. Cunctorum enim mortalium mors, non interitus, sed dormitio est, idque Scriptura testante, 3. Regum 14. 15. Esai. 14. Actorum 7. primę Corinth. 7. 11. 15. testantibus quoque exemplis: Multi enim excitati sunt ad vitam, tanquam ex somno. Lucę 7. Iohannis vndecimo, Matthei vigesimoseptimo. Adhæc multæ sunt similitudines inter ea, quæ mortem, & inter ea quæ somnum antecedunt & sequuntur: item inter ea quæ mortuis, & inter ea quæ dormi-

dormientibus accidunt. Dormitans enim nescit, quando incipiat dormire: dormiens nihil operatur. & surgens vel gaudet vel tristatur, quia vel refectus est, vel ad miseriã suã videndam tantumodo suscitatus.

Ad eundem modum & mortales ignorãt diem atque horam mortis suæ: & qui iam defunctus est, deinceps nihil amplius agere potest, sed ab operibus suis quiescit: quando autem resuscitabitur in extremo die, visurus est vel gloriam, vel ignominiam sempiternam.

2 Cum itaque mors sit somnus, præparemus nos ad eam, sicuti præparare solemus nos quotidie seu singulis noctibus ad notum & consuetum illum somnum. Exuamus tunicam istam mortalem, ex carne maculatam, de qua 4. Esd. 2. Iud. 1. disponamus domui nostræ, Esaiæ trigesimo octauo, tertio Regum secundo.

3 Speremus item resurrectionem carnis, quam quidem carnales homines & impij irridunt, Actor. 17. Christiani autem credunt: nec veluti gentes lugeamus nostrorum mortem: Si enim mors eorum somnus est, bene habet. E somno enim illo per Christum Iesum olim suscitabuntur. Ait enim Iohan. 11. Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine si dormit, saluus erit. Huic Do

mino, qui & vitæ & mortis Dominus atque Deus est, quique dicit, & fit, debetur benedictio, honor & gloria in omnia secula, Amen.

CONCIO CV.

Matth. 10.

NE metuatis vobis ab his qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.

1 TRia in hominis corpore & anima considerauda nobis veniunt hoc loco. Vnum est, corpus esse mortale: quia occidi potest, idq; nonnunquam ab ipsis hominibus, Deo permittente. Idem & alibi de corpore humano Scriptura testatur: est enim è terra sumptum, & fragilius quouis vitro. Quo circa quærendum est animæ aliud hospitium: & quia nescimus, quando, vbi, aut quomodo corpora nostra moritura sunt, semper vigilandum, & hora mortis expectanda fuerit.

2 Alterum est, animam esse immortalem, nec

nec vna cum corpore interire, sed post necatum corpus superesse: id quod etiam ex Luc. octauo & vigesimotertio, Philip. 1. Ecclesiast. duodecimo colligi potest: vbi Euangelista sic dicit, Et reuersus est spiritus eius (mortuæ scilicet puellæ) & surrexit continuò. Christus autem ad latronem crucifixum, hodie mecum eris in paradiso. Paulus verò, Desiderans dissolui, & esse cum Christo. Sapiens autem: Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Hoc cum ita sit, animæ, vt principaliori parti hominis, diligentius prospiciendum est: & corporalis mors potius contemnenda, quàm timenda. Vnde Cassiodorus super Psalm. Beati immaculati: Quis mortem metuat temporalem, cui æterna vita promittitur? quis dolores carnis metuat, cum se in perpetua requie nouerit collocandum? Et Chrys. in cap. Matth. 10. Quid est, inquit, Timor mortis? Non dolor exeundi à corpore, sed desperatio vitæ post mortem. Ille timet mortem, qui non putat se viuere post mortē. Vis scire? Ecce frequenter homines grauem dolorem patiuntur in infirmitate, & nō moriuntur, & frequenter modicum tœdium habent, & moriuntur, & tamen magis contenti sunt grauem dolorem pati, & non mori. Vides ergo, quia nō dolor mortis, sed ipsa mors timetur.

3 Tertium, Dei esse, animam & corpus hominis, vel perdere, vel seruare, Iac. 4. Omnia enim in eius manu ac potestate sita sunt: adeò vt ne passerculi quidem in terram cadant, neq; pili ex capitibus nostris, sine illius voluntate atq; permissu. Est igitur anima ab humana potestate & seculari magistratu exempta, ac relicta solius Dei potestati. Nemo enim hominum occidere animam, vitæ restituere, in cœlũ attollere, ad inferos detrudere potest. Quocirca nõ homo, non diabolus, sed Deus pater omnipotens timendus est: præsertim cũ illius timor tam pręclaram habeat promissionem, Eccl. 1. *Timenti enim Dominum bene erit in nouissimis.*

Timet autem Deum, qui illum semper intuetur oculis fidei, nec quidquam facit sine illius verbo & consilio: & qui dolet atq; luget ob commissum malum, aut omissum bonum & humili ac fideli corde veniam orat. Cæterùm vt possimus istiusmodi timore filiali patrem nostrum cœlestem timere, adiuuet nos virga illa quæ egressa est de radice Iesse, super quam requieuit spiritus sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & timoris Domini,

Amen.

CON-

CONCIO CVI.

Matth. 16.

QVID enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ verò suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo cuius permutatione redimat animam suam? Futurum est enim, vt filius hominis veniat in gloria patris sui cum angelis suis, & nunc reddet vnicuique iuxta facta ipsius. Amen dico vobis, sunt quidam hîc stantes, qui non gustabunt mortem, donec viderint filium hominis venientem in regno suo.

1

DE rebus non parui, sed maximi momenti Christus Iesus sub finem huius capitis decimisexti loquitur. Ac primùm quidem de Anima hominis ita pronunciat: Quid prodest homini, si totum mundum, &cæt. Quibus verbis eorum stultitiam suggillat, qui modici lucri gratia, vitam suam periculo exponunt, siue præsentē, siue

æternam. Arguit autem hanc cæcitatem stultitiæ duabus rationibus. Prior est: quod nullus vsus esse potest omnium rerum quibus mundus studet, post hanc vitam amissam. Posterior, quòd cũ vita, vel amissa est, vel amittẽda illis rebus, quibus mundus lucrandis incũbit, redimi non potest. Si aũt nemo est, qui non agnoscat rem esse stultissimam, propter res huius vitæ perituras iacturam facere vitæ: primùm ideo quòd homini mortuo nullus est vsus totius etiam mundi: deinde quòd nemo queat vitam omniũ etiam mundo pro permutatione dato redimere: quanto magis omnium insanissimum est propter res tẽporarias ęternam vitam perdere? Amissa tem poraria hac vita, nullus est omnium bonorum vsus & quis esse poterit, æterna vita amissa? Nullis bonis pręsens vita redimi potest, quibus redimetur æterna vita? Et tamẽ sunt qui hoc nunquam expendant. Vide de hac re Psal. 49.

2 Secundò loquitur Dominus hoc loco de reditu suo glorioso ad extremum iudicium, inquiens: Futurum est enim vt filius hominis veniat, &c. Quæ verba habent rationem eorum, quæ prius dixerat, nempe: Qui voluerit animam suam seruare, perdet eam: & qui perdiderit eam propter me, inueniet eam, Quando? Quando videlicet filius hominis

nis iudicaturus redibit, & vnicuique (sine personarum respectu) redditurus secundum quod gesſit, secundę Corinthiorum quinto: His quidem, qui perseuerantes in benefaciendo, gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, vitam æternam: ijs verò qui sunt contentiosi, & qui veritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniustitię, vétura est indignatio, & ira & afflictio, & anxietas aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum, Iudæi primùm, simul & Græci, Rom. 2.

3 Tertiò meminit mortis, quam quidam ex discipulis suis non sint gustaturi, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Quam promissionem quidam interpretantur generaliter de omnibus in Christum credentibus, quòd quicunq; credat in Christum non videat mortem in æternum, ac etiam si mortuus fuerit, seu parum gustauerit mortẽ, viuat tamen: Imo quod ante quam moriatur, visurus sit in hoc seculo regnum Dei venisse cum virtute, id est, capturus sit gustum futuræ gloriæ & beatitatis, in quam per temporalem mortem intrabunt omnes, qui sunt non exiacentibus & manentibus in peccatis & incredulitate, sed ex surgentibus per pœnitentiam & stantibus per fidem in domino & vsque ad finem perseuerantibus

Ait enim: Sunt quidam hic ſtantes, &c.

Alij interpretantur regnum Dei de reuelatione regni Chriſti, poſt aſcenſionem eius in cœlum, & miſsionem ſpiritus ſancti.

Tunc enim & diſcipuli manifeſtè cognouerunt veram rationem regni Chriſti, & Apoſtoli vulgauerunt regnum illud per prædicationem euangelij in totum orbem terrarũ.

Eſt hæc ſententia, ſicut & prior non contemnẽda. Sed quia mox poſthęc verba in omnibus euangeliſtis, in quibus ſcripta legun tur, ſequitur hiſtoria de trãſfiguratione Chriſti in monte Galileæ, ideo videntur propriè de tranſfiguratione intelligenda eſſe, q. d. Ego multa verba hactenus feci de maieſtate & mercede regni cælorum, quam in me habituri ſunt, quotquot in me credunt & me ſequũtur, quæ quoniam non ſentiuntur nunc aperte, poſſent fortaſsis vana vobis videri. Ego igitur non ſimpliciter, ſed iureiurando affirmo, me quoſdam ex vobis veluti publicos teſtes electurum, quos adhuc viuentes introducam in regnũ cœlorum, vt capiant guſtum futuræ felicitatis, ac reipſa videant me ſumma præditum maieſtate: & communicaturũ omnibus in me credentibus regnũ: cuius cõmunicatio vtinã nobis omnib. quoq; contingat, per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

CON.

CONCIO CVII.

Matth. 18

QVOD si manus tua, vel pes tuus obstaculo est tibi, abscinde eum, & proijce abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi claudam aut mutilum, potius quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Etsi oculus tuus offendit te, erue eum, & proijce abs te. Bonum est tibi, vt luscus intres in vitam, potius quàm vt duos oculos habens mittaris in gehennam ignis.

1

IEsum Christum esse doctorem & medicum, vel ex his verbis cernere est. Primò nanq; discipulis suis salutare præceptum tradit: deinde huius præcepti rationem subijcit: demùm iuxta hæc simul & vitæ & ignis æterni meminit.

1 Præceptũ est, vt homo vitet peccati occasionem. Inquit, n. Si manus, pes vel oculus tuus tibi obstaculo fuerit, amputa, abscinde, erue illum, h. e. Quicquid ad peccandum pellicit,

aut impellit, quicquid causam præstat contra Deum delinquẽdi, vitato et abijcito, etiã si sit oculo charius. Quicquid ad cœleste regnum impedit, vt sunt membra nostra terrestria, membra veteris hominis, & corporis peccati, id est, opera carnis, de quibus Colossen. tertio, Rom. 6. Gal. 5. abijce. Nemo enim non videt Christum hic nõ loqui de oculo, & manu, & pede corporis: alioquin quid opus erat nominatim dextri oculi, dexteræ manus meminisse, Matth. 5. Si nanque offendiculo potest esse dexter oculus, potest vtique & sinister: si dextra manus, potest & sinistra. Ob hanc causam plurimi existimarunt hęc Christi verba allegoricõs esse exponenda: quę opinio magnam varietatem peperit expositionis. Alij. n. per oculum obstantem, atq; ideo eruendum & abijciendum, intelligunt prauã concupiscentiam. Alij quia adiungitur alibi, dexter, intelligunt de bona intentione eruenda, si obstaculum pepererit. Et per manũ dexteram, exponunt bonum opus amputandũ, si sit occasio ruinę. Rursus sunt qui per oculũ dextrum, ac manum dextrã intelligãt doctorem ac ministrum sacrorum, si vel doctrina, vel vita sit offendiculo, è corpore Christi eruendum & abijciendum.

2 Ratio adhortationis Christi domini sũpta est ab vtilitate cõseruandi vniuersi. Ait. n. Bonum

num est tibi ad vitam ingredi claudũ, aut mutilum, aut luscum, potius quàm duas manus, pedes, oculos habentem, mitti in ignem æternum, vel in gehennam ignis, vbi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur vt Marcus habet cap. 9.

Habet hæc ratio simile sumptum de illis, quibus morbida membra, vnde reliquo corpori salutis periculum nascitur, per chirurgos amputantur, quo vel illorum amissione salua retineri possit totius corporis constitutio. Ista prudentia, quamuis dura, necessitati tamen conseruandi vniuersi corporis acceptabilis redditur.

Videmus hunc animum hominibus inesse naturaliter, vt dispendio membrorum, si aliter fieri nequeat, vitam corporis redimant. Quin & bruta animantia naturaliter ita comparata sunt, vt quoquo modo possibile sit, periclitanti vitæ consulant. Auicula laqueo irretita, vel alæ, vel pedis dispendio, si id liceat, intentatam perniciem rapidissimè fugit.

De Elephantis meminit Solinus capite trigesimo octauo: quòd cùm venatu premuntur, vtroſq; dentes pariter confringant, vt ebore damnato amplius non requirantur. Hanc enim sibi causam periculi sentiunt. Quale est, & quod idem de Castore, capite vigesimo tertio scribit, videlicet, quòd seipsũ

castret, sciens sibi ex ea corporis parte esse periculum. Iam si tanto serio corporis vita retinetur, quanto maiore retinēda est animæ salus ac vita? Quid enim habet eximij momenti, si corpus abscissa dextera seruetur, breui postea moriturum? Animæ verò longè alia ratio est: id quod & Poeta gentilis agnouit, dicens:

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignem,
Arida nec sitiens, ora lauabis aqua.
Vt ualeas animo quicquam tolerare negabis?
At precium pars hæc corpore maius habet.

Item, si tam necessaria corporis membra (vt pedes, manus, oculi) retinenda non sunt, si obstaculo sint ad salutem: quid dicendum de illis, qui rebus vilibus, vtpote seculi huius vanitatem concernentibus, adeo tenaciter adhærent, vt citius sint de salute æterna periclitaturi, quam illas abiecturi?

3 Porrò sicut in corporis salute conseruanda duo sunt extrema, quorum alterum cupidissimè retinetur, alterum extremè fugitur: nempe vita & mors: ita & in vera illa ac sempiterna animæ pariter & corporis salute tuenda, duo sunt extrema: quorum alterum ab electis & fidelibus obnixè speratur & expectatur, alterum ex animo fugitur, æterna videlicet vita & gehenna. Vtraque hoc loco adducta legimus. Vtrinque igitur ad cauēdam offendi-

offendiculi occasionem, argumẽtis omnium firmissimis solicitamur. Hinc, ne vitam æternam amittamus: illinc, ne gehennæ incendium, damnationem perpetuam, & mortem sempiternam incurramus. Si quis spe vitæ non afficitur, moueatur saltem horrore gehennalis incendij ac mortis æternæ. Est enim ea horum duorum conditio, vt omnino incurrendum sit in alterutrum. Si vitam amiserimus felicem illam & æternam, non hoc tantum dispendio miseri erimus, sed & ad eam miseriam gehennæ, id est, sempiterni supplicij cumulus accedet. Quanquam excludi ac proijci à regno cœlorum, mihi videtur (inquit D. Chrysostomus Tom. 2. pag. 215.) grauius esse ipsa gehenna. Nam etsi ignis ille non arderet, & immortalis illa pœna non esset parata: hoc solùm quod alieni efficimur à Deo, & excludimur à bonis æternis, nonne omni pœna cruciabilius diceretur? Quod si non sufficiunt hæc ad erigendas animas & incitãdas ad spẽ: illud saltẽ ad memoriã reuocemus exemplũ, quod de virginibus refertur, quę exclusæ è thalamo sponsi sunt, propter olei defectũ. Ponamus nosmet ipsos in illis quæ excluduntur, & videamus, qui dolor, & quæ pœna sit, si cogitemus eadẽ & posse nos pati, si negligimus. Est ne aliquis ita lapideus, qui hoc exemplo non moueatur, & timeat ne similia incurrat?

Sed væ væ pestilentissimæ præsentis seculi negligentiæ. Quotusquisque est, qui vero ac serio cœlestis regni ac vitæ studio teneatur? Altissimum stertitur ab omnibus. Deus pater nostri misereatur, à quesomno nos excitet, & Spiritus sui sancti ignem in nobis accendat per Christum Iesum dominum nostrum, Amen.

CONCIO CVIII.

Matth. 22.

IN illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes, Magister, Moses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, & primus vxore ducta defunctus est: ac non habens semen, reliquit vxorẽ suam fratri suo: similiter secundus & tertius vsque ad septimum. Nouissimè autem omnium defuncta est & mulier. In resurrectione ergo cuius è septem illius

dixerunt, Date nobis de oleo vestro, quia lius erit vxor? Omnes enim habuerunt eam. Respondens autem Iesus ait illis, Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlis. De resurrectione verò mortuorum non legistis, quod vobis dictum est à Deo, qui ait: Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac, & Deus Iacob? Deus non est mortuorum, sed viuentium.

I

SÆpius recordari nouissima nostra, quorum vnũ etiã est Resurrectio carnis, perutile est. Idcirco horum toties Scriptura mentionem facit. Non autem omnes resurrectionem esse credunt: veluti Sadducæi, de quibus Actorum vigesimo tertio cap. & apud Iosephum l. 2. de bello Iudaico, cap. 7. & omnes quorum vita est iuxta illud: Edamus & bibamus: cras enim morimur, 1. Corinth. 15. adde & illos, qui corporis mortem præter modum metuunt, atque horrent. Sadducæi namque putabant, si futura esset resurrectio, eundem fore necessariò statum futuri seculi, qui nunc est: inde autem innumera euentu-

ra absurda & incredibilia: vt exemplo mulieris, quæ habuerit septem viros, probare nitebantur, quasi dicât. Sicut non est possibile, vt talis mulier sit vnius vxor priuata, quia singulis ex æquo vi legis, Deuter. 25. debetur: aut omnium communis, quia non licet vni mulieri plures simul habere maritos: sic non est possibile, vt fiat resurrectio mortuorum.

2 Christi responsum duas habet partes. Primum enim illos erroris arguit adijciens causas erroris. Nam ad instruendum errantes primum est, vt agnoscant se errare. Alioqui nisi hoc persuadeantur, haudquaquam sinent se de veritate instrui. Errabant autem duplici nomine, quod resurrectionem mortuorum attinet: & quòd illam prorsus non credebant futuram: & quòd putabant, si futura esset, rediturum eum statum seculi, qui in hac vita est. Errorum causæ sunt ignorantia scripturarum, quarũ scientia exigit & literæ & mentis cognitionem: item ignorantia potentiæ Dei, quam Paulus in resurrectione Christi sæpe spectandam proponit.

Deinde vt ab errore eos reuocet, veritatem subiungit, velut medelam ad curandum morbum.

3 Docet autem eos de duobus: quoniam & ipsi duplici nomine errabant. Primum de statu eorum, qui post resurrectionem felices

erunt

erunt: Siquidem in resurrectione nec viri ducent vxores, nec fœminæ nubent, sed diuinorum angelorum similes erunt in cœlo. Non dicit: Erunt angeli, sed sicut angeli, id est, similes angelis. Non enim humana natura & corporum substantia, animæq; & corporis coniunctio, corporum formæ tollentur: sed quod infirmitatis est & mortalitatis, & corruptionis, quodq; graue, molestum, tardum, miserum, inglorium, abolebitur per resurrectionem. In anima abolebuntur cæcitas, ignorantia, sinistræ opiniones, praui affectus, iræ, inuidiæ, metus, superbiæ, &c. Hoc est esse sicut angelum Dei.

Secundò docet ipsos de Deo, quòd omnino futura sit resurrectio, idq; ex ipsius Mosis scriptis: vbi Deus testatur, se esse Deum patrum, Exod. 3. Nemo aũt potest eius esse deus qui planè interijt. Nemo præceptor potest de mortuis discipulis dicere: Ego sum illorũ præceptor, sed, eram illorũ præceptor. Deũ esse alicuius exigit vitam. Quemadmodum Adamus, quantumuis viueret, posteaquã de vetito ligno comedit, sententia tamen prolata, mortuus erat: sic profectò isti, etsi mortui erant, pollicitatione tamen resurrectionis viuebant. Nã quia non solum animarũ est conditor Deus & saluator, sed & corporũ: ideò necesse est futurã esse corporum resurrectionẽ:

cuius spē si tollas, soluta est (teste Chrysost.) tota obseruantia pietatis. Dominus igitur fidem nobis adaugeat in articulum de carnis resurrectione, vt piè viuere in præsenti possimus seculo, & finita hac breui vita, degere vitam æternam atque beatam in Christo Iesu seruatore nostro, Amen.

CONCIO CIX.

Matth. 25.

TVNC simile fiet regnum cœlorum decem virginibus, quæ sumptis lāpadib. suis, exierūt in occursum sponso. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus suis, non sumpserant oleum secum. Prudētes verò sumpserant oleum in vasis suis vnà cum lampadibus. Tardante verò sponso, dormitauerunt omnes ac dormierunt. Porrò medio noctis clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & apparauerunt lampades suas. Fatuæ autem prudentibus lam-

dixerunt, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. At respondérunt prudentes, dicentes, Nequaquam: ne non sufficiat nobis & vobis: sed ite potius ad eos qui vendunt & emite vobis ipsis. Porrò dum irent emptum, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, clausaq; est ianua. Postea verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, non noui vos. Vigilate itaq; quia nescitis diem neq; horam in qua filius hominis veniet.

I

SVMMA huius parabolæ, quemadmodũ in fine ipsius ostendit Dominus Iesus, est, vt semper vigilemus, paratosq; nos seruemus ad occurrendum Domino. Quare? Quia paratis patet ianua, imparatis claudetur. Quando? Quo die sponsus aderit, cuius aduentus nemini mortalium est cognitus. Ait enim, Quia nescitis diem neque horam, in qua filius hominis veniet. Quæ verba tametsi dicta sunt de nouissimo die, quo venturus est sponsus (iuxta articulum fidei, Inde venturus est, &c.) tamẽ de fine singulorũ ho-

minum quoque intelligi possunt ac debent. Nullus.n.suæ mortis diem & horam nouit: id quod citra vllam hæsitationem credendũ esset (quia Dominus dixit) etiamsi nullo exemplo probaretur. Iam autem tot sunt exempla eorum, qui citius opinione sua & aliorũ mortui sunt, vt nullus de eare, nisi fortè insaniat, dubitare queat. Cur autem incerta sit hora mortis D. Gregorius Moral. 12. ostẽdit, inquiens: Ad hoc conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque nostræ mortis esse incognitũ, vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur. Et tanto quisq; sit feruentior in operatione, quanto & incertus est de vocatione: vt dum incerti sumus dum moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. Bullingerus ait: ideo Deum nos mortis nostræ constitutum tempus ignorare voluisse, partim vt emendationem vitæ nõ ad extremum vsque spiritum differamus, sed vt perpetuo omnibus momentis respiscamus: partim etiam, vt hoc modo tranquilliores & quietiores simus. Etenim cùm omnib. hominibus mors natura terribilis sit, quàm miseram quæso vitam ageremus, si ipsa mortis hora nobis esset cognita? Nunc verò speramus, ac dicimus: Vita mea in manu Dei domini patrisque mei posita est, & optimè quidem: non aliud optarem: cum hic voluerit,

terminus

terminus vitæ meæ aderit.

Sed & hac præsenti parabola ob oculos ponitur, quanta sit electis ac pijs futura lætitia in aduentu Domini, quem comparat aduentui sponsi alicuius: & quanto cum pudore ac mœrore excludendi sint inanes ac negligentes. Dicit autem: Tunc simile erit regnum cœlorum: id est, tunc illis qui ad regnum cœlorum vel pertinent, vel pertinere videntur, idé accidet, quod decem virginibus, &c. Decem autem virginum meminit: quia omniũ Christianorum est, ambulare in decem præceptis Dei, Matth. 19.

2 Quid dicitur de prudentibus virginibus? Quòd sumpserint oleum in vasis suis vnà cũ lampadibus. Per vas nonnulli corpus, per lampada animam, per oleum spiritũ sanctum intelligunt. Alij rursus per oleum, benignitatem & misericordiam: cuius olei mercatores sint (teste Chrysostomo hom. 9. de pœniten.) pauperes ad eleemosynam sedentes: alij testimonium bonæ conscientiæ: alij cordis iustitiam, synceritatem, & vigilantiam, quæ est in vera, solida, & perseueranti fide Christi & charitate non ficta. Nã sine tali corde quid aliud est quicquid foris ostenditur, quàm lampas quædam absque oleo?

Per lampades verò, bona opera, seu externam atque ciuilem honestatem.

Per vasa, corda & conscientias hominum 2, Corinth. 4. Item, quòd tardante Domino (morà autem domini illius longanimitatem declarat 2. Pet. 3.) etiam dormitarint (.i. quieuerint non in hypocrisi & externa iustitia, sed in verè christiana vita) ac dormierint (omnes enim morimur, siue prudentes, siue insipientes simus, Heb. 9. Ecclesiast. 2.) Quòd deniq; paratæ intrauerint cum sponso ad nuptias, id est, in gaudium Domini.

3 Quid de fatuis dicitur? Quòd quidē cum prudentibus etiam exeant in occursum sponso (omnes enim sunt virgines professione: est autem Christianorum professio, verorum & falsorum, vt Dominum venturum expectēt: omnes baptizati sunt, & fidem in Christum, & aduentus ipsius expectationem, cum vita æterna profitentur.) Quòd etiam ad nuptias & excipiendum sponsum vocatæ sint: & media nocte (veniet enim Dominus vt fur in nocte, 1. Thes. 5.) clamore facto (per extremam tubam, & vocem Domini, 1. Corint. 15. Ioan. 5. 1. Thes. 4.) surrexerint (Daniel. 12.) & apparauerint lampades suas (virtute enim Dei cōiungentur iterum animæ & corpora non tantum piorum, sed etiam impiorum.) sed non sumpserint oleum secum (id est, nomine tantum fuerint Christiani, formam habuerint pietatis, 2. Timoth. 2. ore tantum appropinquarint

quarint domino, Math.15. carentes spiritu Christi: quem qui non habet, nō est eius, Roman.8. habentes non nisi phariſaicam iuſtitiam, Math.5. falſam fidem, & opera electitia) Quod fruſtrà oleum petierint ab alijs (vnuſquiſque enim ſuam ſarcinam portabit, ſuāq; mercedem accipiet, iuxta ſuum laborem: & iuſtus ex fide ſua viuet, Gal.6.1. Corint.3. Roman.2.) Quòd tandem excluſi ſint & reproba tià Chriſto, qui ſuas duntaxat oues nouit, Ioann.10. Ex quarum numero vtinam & nos ſimus: ne cogamur triſte illud, Non noui vos, audire: ſed vt hanc potius dulciſsimam vocem audire poſsimus: Venite benedicti patris mei, poſsidete regnum paratum vobis ab exordio mundi, Amen.

CONCIO CX.

Matth. 27.

IESVS autem quum iterum clamaſſet voce magna, emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque ad imum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta a-

perta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

1

ETsi cõsideratio mortis Dominicæ multum profit homini in tota vita sua: tamẽ ea potissimùm affert morienti multum & instructionis & consolationis. Quoniam igitur & nobis moriendum est, perpendamus primò formam mortis Christi Domini, seu obdormitionem eius in cruce, quam pauciſsimis. Mathęus hìc describit, inquiens, Iesus cum iterum clamasset (prius enim quoque clamauerat, dicens, Deus meus, deus meus, cur deseruisti me?) voce magna (quod indicium erat maioris potentiæ quàm hominimorienti conuenit. Indicabat se sua sponte animam deponere, Ioan. 10.) Quid clamauit? Pater in manus tuas commendabo spiritum meum, Luc. 23. In quo videmus, quàm non desperationis vox fuerit, cum dixit, Quare me dereliquisti? sed tentationis.

2 Deinde consideremus virtutem mortis Christi & vtilitatem, quam indicarunt subsequuta signa, quæ diuinitus facta sunt, non solum vt iram Dei super Iudæorum gentem, verùm

verùm etiá vt virtutem mortis ac regni Christi ab eo tempore declarandam portenderét. Siquidem morte Domini nostri Iesu Christi aperta est via in sancta sanctorum, Heb. 6. 10. Apocal. 11. meliora bona, quàm illa mobilia & terrena sunt comparata, Heb. 12. lapidea corda ablata, mors victa, vita restituta, cœlestis Hierosolymæ ianua aperta est, Hos. 13. Heb. 2. Vnde D. Chrysostomus super illud D. Pauli 2. Tim. 1. μὴ ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ κυρίου ἡμῶν &c. Noli, inquit, erubescere, quod crucifixum prædicans, hoc enim testimonium est, mors scilicet Christi. Nam ista quidem si per se cogitentur, mors, carceres, vincula, confusione ac probro digna sunt: cæterum si quis apposita causa, discussoq; mysterio singula decenter edoceat, plenissima gloriæ, diuineq; honestatis cuncta cognoscet. Mors enim illa pereunte seruauit orbem, mors illa cœlestibus terrena coniunxit, mors illa diaboli profligauit tyrannidem, hominesq; angelos ac Dei filios fecit. Mors illa mortalitatis nostræ naturam ad solium cœleste ac regale prouexit, &c. Hinc discamus quoque clamare ad Dominum in omni tribulatione, non semel, sed iterum atque sæpius: bona fiducia cœlesti patri spiritus nostros commendare (his enim principalis cura debetur: quandoquidem hisce benè constitutis, nihil periculi accidere potest

corporibus) non dubitare, quin Iesus Christus morientibus nobis adesse possit, ac velit, quippe cum in sua ipsius morte tantum virtutis ostenderit, vt morte sua excitatit mortuos: denique sperare resurrectionem etiam nostrorum corporum: quam vtinam consequamur glorioſam cum omnibus sanctis, per Christum Iesum, qui se ipsum pro nobis sanctificauit: cui debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

CONCIO CIX.

Marc. 13.

CAVETE, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregrè agit, relicta domo sua, deditq; seruis suis potestatem, ac suum cuique opus, & ianitori mandauit, vt vigilaret. Vigilate igitur, nescitis enim quando dominus domus venturus sit, serò, an medio noctis, an in gallicinio, an diluculo, ne si venerit, repente offendat vos dormientes: cæterum quæ dico vobis, omnibus dico, vigilate.

Cum

I

CVm plures aduentus sint Domini nostri Iesu Christi, videndum fuerit, de quo nam hîc præcipuè sermo fiat. Quatuor enim docti homines eliciunt ex Scriptura. Primus est de quo Iohannes, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. 1. Iohannis 4. Alter, de quo Christus Iohann. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c. Tertius est, quando veniens dominus euocat nos ex hac vita (quæ tota non nisi nox est, si conferatur ad futuram vitam: in qua summè necessaria est verbi lucerna, Psal. 119. 2. Petri 1) & spiritum nostrum in manus suas suscipit, vt spiritum Stephani, Actor. 7. Postremus de quo Matth. 25. Cum autem venerit filius hominis in gloria sua. Ac vt de vltimo, sic & de penultimo præsens locus intelligi potest. Quâquam enim in fine mundi Dominus semel veniet omnibus: tamen singulo cuique venit, quum adest mortis tempus.

2 Est autem incertum, quando Dominus venturus sit ad iudicandum: & quando homo sit moriturus: Quibusdam enim venit sero, velut in adolescentia: quibusdam intempesta nocte, velut in florentissima ætate: qui-

buſdam in gallicinio, puta in ſenectute: quibuſdam diluculo, velut in pueritia. Nec viribus, nec ętati fidendum. Omnibus ex æquo incertus eſt mortis dies (idque ob noſtram vtilitatem) iuxta illud Iſaaci, Gen. 27. Videsquòd ſenuerim, & ignorem diē mortis meę. Et illud Salomonis, Eccleſiaſt. 9. Neſcit homo finem ſuum. Idem Chriſtus hoc loco teſtatur, & ſimilitudine explicat. Idem docent quotidiana exempla.

3 Quare ſecundum Chriſti conſilium, mandatum & doctrinam, quę ad omnes pertinet, cauendum, vigilandum & orandum eſt. Cauebimus, ſi videbimus, ne quis nos ſeducat, Math. 24. ſi nullis huius mundi præſidijs, ſi nulli humanæ creaturæ fidemus, ſed toti ex Chriſto Ieſu eiusq; præceptis pendebimus: in huius enim cognitione vita æterna conſiſtit. Vigilabimus, ſi timebimus Dominum, & præ oculis habebimus illum iugiter, vt Dauid, Pſal. 16. Si attendemus nobiſipſis, & fidei noſtræ commiſsis, ſi ſeduli erimus in noſtra vocatione, ſi per abſtinentiam luxus & omnium corporis voluptatum, toto pectore ſtudebimus ſanctimoniæ ſpiritus, ſic vt Chriſtus ipſe Luc. 21. facere iubet) videbimus & cauebimus, ne quando grauentur corda noſtra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, ſubitusque nobis ingruat dies ille. Tanquam laqueus

laqueus enim superueniet (id est, ἐξαίφνης.) in omnes qui sedent super faciem totius terræ.

Cæterùm non sufficit vigilare tantùm. Multi enim vigilant, sed noctem malè absumunt. verùm necesse est quoque vt indesinenter oremus. Orabimus autem, si flagrantibus animis inhiabimus ad ea, quę promissa sunt in euangelica professione perseuerantibus. Habet Satanas artes suas, quibus imponat etiam oculatis. Aduersus has adhibenda est serpentis prudentia. Habet mundus & caro suas illecebras, quibus sic delinit animos incogitantium, vt illis veluti somnus obrepat securitas & obliuio rerum æternarum, ex quibus nascitur regni cœlestis vel contemptus, vel desperatio. Non destituet suos electos Deus, sed amat vigiles & attentos: sic tamen vt quum omnia præstiterint, quæ possunt humano studio præstari, orent nihilo secius: intelligentes & initium & progressum, & summam æternę felicitatis esse diuini muneris. Sic igitur aduigilemus, quasi nos Deus ad tempus destituerit: sic oremus, quasi sine illo frustra sit futurum quicquid conemur. Ac quemadmodum vigiles, siue custodes, quando vident hostes venientes, aut ignem exurgentem, campanas pulsant, aut aliud aliquod signum dant, vt damnum veniens auertatur: sic etiam nos circumspecti simus,

vt, quando Diabolus nos aggredi vult, aut concupiſcentia nos tentare, aut mundus decipere, ſtatim confugiamus ad preces, & armaturam Dei induamus, de qua Apoſtolus ad Epheſios ſexto, vt nimirum poſsimus reſiſtere in die malo, & omnibus peractis ſtare in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cui debetur honor & gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

CONCIO CXII.

Marci 14.

Et dicit illis (Ieſus diſcipulis) Dolore afficitur anima mea vſq; ad mortem.

1

Seruit hic locus fidei noſtræ (qua nihil magis nobis neceſſarium eſt tempore mortis) vt certi ſimus non ſolùm carnem humanam noſtræ ſimilem, ſed & animam & mentem humanam à Chriſto Ieſu noſtri gratia ſuſceptam, ſimulque infirmitates noſtras in illo ſuperatas eſſe. Ipſe enim, inquit Ieſaias capite 53. Infirmitates noſtras ſuſcepit. Et Paulus, Per omnia illum fratribus ſimilem reddi tum eſſe atque tentatum pro ſimilitudine carnis abſque peccato, teſtatur, Hebræorum ſecundo & quarto.

Ad

Ad ipsum igitur bona fiducia, tanquam ad thronum gratiæ, vtvt imbecilles simus, accedere possumus. Nam ipse infirmitatibus nostris συμπαθῆσαι, id est compati potest.

2 Sunt autem infirmitatum & defectuum humanorum præcipuè duodecim genera, & illa quidem communia omnib. hominibus: quorũ decem Christus dominus assumpsit.

Defectus primus est, pati frigus: quod sine dubio Christus sensit cum pauper nasceretur in media nocte, in media hyeme, in frigido stabulo, & vilibus pannis inuolueretur & in præsepio reclinaretur, Luc. 2. Matth. 8. 2. Corinth. 8.

Secundus, sustinere calorem: quem si in vita sua nuquam sustinuisset Christus, certè in vltimo die vitę suæ potuit sentire, quando ad calorem solis tempore meridiano in cruce suspensus fuit, vnd in heisser lieb gebraten ist, vide Psal. 22. & 32. Factum est, inquit, cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei: Aruit tanquam testa virtus mea. Cõuersus est humor meus in ariditatem æstiuam, &c.

Tertius est fames, quam Christum tulisse testantur euangelistæ, Math. 4. Marc. 11.

Quartus, sitis: de qua Ioannis quarto & decimonono.

Quintus, lassitudo corporis, Iohannis 4.

Matthæi vigesimoseptimo.

Sextus, tristitia, Matt. 26. Mar. 3.

Septimus, timor, siue terror, Lucę 22. Marci decimoquarto.

Octauus, verecundia, quæ ex peccato originali originem habet, Genes. 3. Quod Christus verecundiam habuit, non mirum fuit, quia nudus in cruce suspensus est, & ab omnibus derisus.

Nonus, dolor & infirmitas, Esa. 53.

Decimus, mors, Hebr. 9. 2. Cor. 5.

3 Vndecimus defectus, quem nos habemus, & quem Christus non assumpsit, est ignorantia, 1. Corinth. 2. Psal. 49. Nec enim decuisset eum, nec nobis profuisset. Nunc scimus, inquiunt discipuli, Iohannis decimo sexto, quod scis omnia. In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi.

Duodecimus, est peccatum, Psal. 51. 14. & hoc Christus caruit, 1. Pet. 2. Iohan. 8. & tamen pro nobis peccatum factus est, id est, hostia pro peccato, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum. Huic ergo merito debetur gratia & gloria in sempiternum, Amen.

CON-

CONCIO CXIII.

Marci 14.

Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem.

1

Cur vigilandum sit & orandum, causa est, ne intremus in tentationem, id est, ne pereamus vel desperatione vel peruersa spe: siue ne maneamus in morte, sed transeamus à morte in vitam. Omnium enim grauissima tentatio mors est. Marci 13. Christus has causas reddit: Nescitis enim (inquit) quando tempus sit; &, ne si venerit Dominus repentè, offendat vos dormientes. Apostolus 1. Petri 4. hanc rationem adducit: quòd rerum omniũ finis immineat. Inde colligitur, sub finem mundi, adeoque & obitum hominis, qui minor mundus appellatur, maximè tentationes exorturas, ac proinde omnium diligentissimè tunc temporis vigilandum & orandum esse.

2 Quæritur ergo: quare dæmones tentent hominem præcipuè in certamine mortis? Respondetur, quòd hoc faciunt propter tria. 1. quia constat illis, quod omnes homines

affectãt bonum finem: qualem & Balaamus sibipsi exoptauit, Num. 23. Hunc igitur angeli mali libenter impedire vellent.

Deinde, quia si euadat homo in agone potestatem dæmonum, amplius nunquam timebit eos, sed dicet cum Israele, Psal. 124. Anima nostra sicut auis erepta est, de laqueo aucupis, &c.

Postremò, quia si obtinebit eum in agone, amplius nunquam potest eum perdere. In inferno enim nulla est redemptio, Iob. 7. Esd. 7. Lucæ 16.

3 Sunt autem quinq; graues tentationes, per quas tentator nititur hominem in lucta mortis constitutum à salute sua impedire.

Prima est de fide catholica: quæ fundamentum est totius salutis. Vt quis hanc tentationem euadat, necesse est habere in promtu verbum Dei, ex quo fides nascitur, & suũ alimentum habet, & vt quis in vita sua firmus existat in fide, & pro hac eius q; augmento Deum oret.

Secunda tentatio est, desperatio de Dei misericordia, ob multitudinem & grauitatẽ peccatorum. Sed vt huic tentationi occurrere possimus, cogitandum est, omnia peccata respectu misericordiæ diuinæ, tanq̃ guttam vnam esse, vel scintillam ignis respectu totius maris, Mich. vlt. Romanorum 6. Ezechiel. 18. item

item peccata non nocere, si non placent.

Tertia est impatientia, ob dolorum frequentiam. Verùm hîc cogitandum est, seruum non esse maiorem Domino, & per tribulationes multas introitum esse ad vitam, Actorum 14.

Quarta est complacentia suijpsius, sic vt homo cogitet, ò quàm sanctus es, & firmus in fide, & patiens in infirmitate. Huic tentationi resistendum consideratione verborum Christi, Lucæ decimosexto: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Item consideratione propriorum peccatorum.

Quinta est nimia occupatio rerum temporalium, id est, spinarum, quæ impediunt consiserationem rerum maiorum, videlic. cœlestium & æternarum, quibus tunc maximè occupari debemus. Hìc opponendæ sunt opib, terrenis cœlestes, temporarijs sempiternæ.

4 Porrò ne ab vlla tentationum istarum vincamur, vigilemus omni tempore & oremus. Vigilabimus autem, non si oculis corporeis nunquam dormiemus: nam & Christus ipse dormiuit, Mat. 8. sed si vigilabimus corde, cum sponsa domini, Cant. 5. hoc est, si oculos mentis aperiemus, & altero oculo cõsiderabimus nostram paruitatem & prauita-

tem, vitæ præsentis breue tempus: altero verò, Dei magnificentiam & clementiam, & futuræ vitæ æternitatem: cuius respectu vita nostra minus est quàm gutta respectu maris, vel etiam momentũ oculi. Vnde Remig. super ep. ad Phil. Tempus nostrum in comparatione æternitatis, aut nihil est, aut hora brevissima. Orabimus autem, quando ex animo dicemus cum Apostolis, Dauide, & Iesu Sirach, Luc. 17. Psal. 51. 130. Eccl. 23. Psal. 119. Domine adauge nobis fidẽ. Miserere nostri Deus secundũ misericordiam tuam, & secundũ multitudinem miserationũ tuarũ dele iniquitates nostras. De profũdis clamauimus ad te domine, domine exaudi vocẽ nostram. Extol lentiam oculorum nostrorum ne dederis nobis: & omne desiderium prauum auerte à nobis. Inclina corda nostra ad testimonia tua, & non ad auaritiam. Trahe nos post te domine Iesu, Amen.

CONCIO CXIIII.

Lucæ 7.

ET factum est deinceps, ibat (Iesus) in ciuitatem, quæ vocatur Nain, & ibant cum illo discipuli eius multi, turbaque copiosa. Cum autem appropinquaret por-

ret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere. Et accessit, tetigit q; loculum. Porrò qui portabant, substiterunt. Et ait, Adolescens, tibi dico, Surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes, Propheta magnus surrexit inter nos, & Deus visitauit plebem suam.

I

TRia sunt, in quibus nos frequenter exercere debemus: quorum omnium hîc fit mentio.

Primùm est, cognitio miseriæ, qua affectũ est mortalium genus. Ea cernitur in vidua illa, eiusque filio, qui erat vnicus matri, adolescens. Hic enim moritur, & effertur ad sepulchrum (olim enim non in ciuitatibus, sed in agris erant sepulchra:) illa verò plorat: & turba ciuitatis multa cum illa: id quod laudabile est & bonum. Melius enim est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, Ecclesiast. septimo: Et charitatis est flere cum flentibus,

Roman.12.

Cæterùm si adolescentibus mors non parcit, imò nec infantibus, multò minus parcet senioribus. Etsi enim nemo tutus est à morte, tamen verisimile est, senem & ægrum citius moriturum, quàm iuuenem & sanum.

2 Alterum quod meditari debemus, est misericordia Dei in Christo filio suo miseris exhibita exhibendaque tum verbis, tum factis. Dixit namq; Christus mulieri, Noli flere. Ergo ijs qui sperant resurrectionem mortuorum non dolendum & flendum, vt spem nõ habentib. Quanquá verò nostri mortui non statim resurgunt, vt ille filius viduæ: tamẽ certissimè olim resurgent omnes, per virtutem vocis filij Dei (qui dixit adolescenti, Surge) & hominis (qui accessit & tetigit loculum) Ioan.5.

3 Tertium est glorificatio & celebratio Dei, qui nos per filium suum, & prophetam nostrum maximum visitauit, ex gratia & misericordia. Vt autẽ in descriptione resurrectionis Christi, & verò etiam huius adolescentis fit mentio timoris, quo quidam fuêre perculsi: sic in resurrectione generali quidam timebunt, quidá verò gaudebunt, Deumq; in æternum laudabunt: & meritò. Ipse enim est Deus benedictus & laudandus in secula, Amen.

CON.

CONCIO CXV.

Lucæ 9.

FACTVM est autem, ambulantib. illis in via, dixit quidam ad illũ. Sequar te quocunque ieris: Dixit illi Iesus, Vulpes cauernas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit, Domine permtte mihi, vt prius abeam ac sepeliam patrem meum. Dixit autem ei Iesus, Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu verò vade & annuncia regnum Dei. Et ait alius, Sequar te Domine, sed permitte mihi prius, vt dicã vale ijs, qui sunt domi meæ. Ait ad illum Iesus. Nemo qui manu sua admota aratro respexerit à tergo, aptus est regno Dei.

1

VTinam omnes possemus verè sequi Dominum nostrum Iesum Christum, & regni Dei participes fieri. Sequentibus enim Dominũ Iesum vita æterna promittitur, Ioan. 10. Sed non omnes sunt veri i-

mitatores & discipuli Christi: id quod ex illis tribus hominibus intelligi potest, de quibus hoc loco Euangelista Lucas.

1 Primus enim illorum non regnum Dei, non Christum, sed in Christo terrenas opes, seque ipsum quæsiuit: id quod ex responsione Christi videre licet: in qua vtpote secreta cordium sciens, non ad verba scribæ, sed ad animum eius respondet, ac se pauperiorem esse dicit volucribus cœli, & vulpib. in hoc seculo, id est, bestijs non magnis, sed vilibus.

2 Alter discipulus id morbi habuit, vt quæ sunt grauiora legis reliquerit, minutiora autem studiosè sectatus sit. Cæterùm vocationem personalem magis sectandam esse quàm generalem: ac Deo magis obediendum, quá hominibus, Christus docet sua responsione. Dicit. n. Sine vt mortui sepeliant mortuos suos. Vbi Dominus illum ab humanitatis officio erga parentem, cuius curam gerere volebat vsq; ad sepulturam, non auocat, quòd cõdemnet aut ipsam sepulturam, aut officia humanitatis: quæ sepeliendis mortuis præstantur. Nam & Patriarchæ commendãtur, quòd maiores suos honestè sepelierint, & Scriptura testatur, religiosos viros sepelijsse Stephanum, Act. 8. sed auocat, quòd cõdemnet præposterum studium discipuli ad prædicãdum euangelium vocati.

Vide-

Videmus hîc inter cætera, quomodo duplex sit, vt mortuorũ, ita & mortis genus. Vnum est animæ, alterum corporis. De illis, qui in voluptatibus huius mundi viuunt, ac viuentes sunt mortui, habes, 1. Timoth. 5. Apoc. 3. Luc. 15.

3 Tertius discipulus maiorem habebat curam familiæ suæ, quàm eius vocationis, quã à Christo audiebat: deinde timebat, ne si vocationi Christi, reb. in familia sua adhuc incompositis, obsequeretur, familiam suam maximis periculis obijceret. Maluit igitur negligere vocationẽ Christi, quàm familiam. Sed quid Christus ad hæc? Nemo mittens manũ suam ad aratrum, & respiciens in tergũ, aptus est ad Dei regnum: quemadmodũ nemo qui cœpit natare trans altum flumen, & in medio fluminis cõsistere & cessare vult, aptus est ad pertingendũ littus. Ergo necesse est, vt is qui vult frui gaudio cœlestis regni, vitaq; beata, non solũ in tẽpore viam vitę ingrediincipiat, ne videatur tardasse. i. ne serò veniat (Heb. 4.) sed vt etiã itinere cœpto pergat vsq; ad finẽ. Sic enim ad salutem, sic, inquam, in portum tranquillum ac tutum ex periculosa & afflictionibus plenis. nauigatione in mari huius mundi tandẽ venitur: sicut scriptum est Mat. 10. & 24. Qui perseuerauerit vsq; ad finem, hic saluus fiet. & Luc. 22. Vos autem estis qui per-

manſi[illegible]is mecum in tentationibus meis. Et ego di[illegible]pono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper mensam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et Ioannis 8. *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eſtis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberos reddet vos.* Item *Apocal. 2.* Eſto fidelis vſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

4 Porrò volenti viam ad regnum Dei pergere eamq; perficere, cauẽdum erit primùm, ne in via conſiſtat & cõmoretur. Nam vt qui cum Chriſto non colligit, diſsipat: ſic qui cũ eodem non progreditur: regreditur. vnde idem in euangelio Matthæi: Quid hic ſtatis oc ioſi totum diem? & in Iohanne, conſtitui vos vt Eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Deinde cauendum ei fuerit: ne reſpiciat retro, hoc eſt, ad mundum: ad tẽporalia. Ante nos enim æterna ſunt: poſt nos temporalia: quia & illa pergẽtes inuenimus, & iſta recedẽtes quaſi poſt dorſum relinquimus. Scimus quid acciderit vxori Loth: quid Iſraelitis ex Ægypto eductis: quid item eueniat illis qui altè aſcendunt & reſpiciunt. Solent enim plerunque incidere in vertiginem. Vnde Diuus Chryſoſtomus in Sermone de virtutib.

& vitijs.

& vitijs. Quemadmodum (inquit) in theatris qui per sublatum funem ſcandere ac deſcendere exercent, ſi parum aliquid oculorum acies errarit, præcipites continuo ruunt: ita qui ſpiritualem graſſantur viam, ſi breui ſegnitiæ tempus conceſſerint, per anfractus quoſdam proni ſæpe truduntur. Et funem illo quidem hic limes anguſtior eſt erectus magis et arduus, multoq; celſior, cuius ad apicem terminatur cælum. Et cum ſupremum illud faſtigiũ tetigerimus, tum verò gradus nobis incertior. Quippe in edito ſtantem plurimus circũfiſtit horror: cui ſpes certè vna relinquitur, ne flectat ad ima aciem, neue terram humilẽ deſpiciat. Inde caligo prorſus ingens, grauiſque obuerſatur oculis &c. Item Hom: 24. ad Heb: Non enim exordia ſola oportet habere clara, ſed etiam & finem clariorem: Nonne enim gubernator, ſi pelagus totum pertranſeat, circa portum autem confringat ratem, omnem perdidit anteriorem laborem?

Tertio cauendum, ne de via ad dextram aut ſiniſtram declinet. i. ne auarus ſit aut prodigus: ne audax aut timidus, ne adulator aut mendax, ne Deo detrahat quod ipſius eſt, aut tribuat, quod ipſius non eſt: ne in rebus proſperis inſolenter Dei metum poſt habeat, aut in aduerſis Deo diffidat.

Poſtremò, ne retro commeet. i. ad priſtinum

animum, seu statum reuertatur. Turpe siquidē est frangere hominum inter homines amicitiā. At multò turpius à Deo deficere, aut deflectere. De iudicio eorum, qui hoc faciunt, videris Mat. 12. 2. Pet. 2. Ezech. 3. 18. Satius .n. fuisset illis, non cognouisse viam iustitiæ, quā vbi cognouerunt, conuerti ab eo quod illis traditum fuit sancto præcepto. Deus pater noster cœlestis, qui cœpit in nobis opus bonum, dignetur idipsum perficere ad diem Iesu Christi. Amen.

CONCIO CXVI.

Luc. 12.

SINT lumbi vestri præcincti, & lucernæ accensæ, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, vt quum venerit ac pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigi-

gilia venerit, atq; ita inuenerit: beati sunt serui illi.

1. His verbis Dominus Iesus discipulos suos exhortatur ad diligẽtem functionem officij sui, ne propter aduentum illius ignauiter torpescant, & ministerium suum negligant. Hic Dominus Iesus ad conuiuium & nuptias abijt: quia resurgens à mortuis & ascendẽs in cœlum, supernam sibi angelorum multitudinem nouus homo copulauit, vt Gregorius ait. vel, quia ascendit in cœlum, ac perfruitur immortalitatis quasi conuiuio, et celebrat tanquam nuptias inter se & sponsam suam ecclesiam, quam sibi sanguine suo acquisiuit, vt scribit Brentius. Redit autem, vel occultè & priuatim, cum hominem ex hoc seculo ad futurum per mortem vocat: vel manifestè et publicè, cum in nouissimo die venturus est in maiestate sua ad iudicãdum viuos & mortuos. Acto: 1.

2 Interea temporis nostrum est, vt, more fidelium seruorum, accinctis lumbis, & accensis tedis expectemus aduentum eius, id est, vocationi Dei obedienter seruiamus. Id autem non fiet, si externo cingulo tunicam constrinxerimus, vel ad huc corpore sani, arrepta cærea candela, in ecclesiæ congregatione, templa circumiuerimus, vel iam morituri accensam candelam in manibus gestaueri-

mus: sed si officium nostrum diligenter fecerimus. Lumbos (de quibus & Ierem: 1, Eph: 6. 1: Pet. 1.) præcingimus, cum paramus nos ad iter, quo migramus in alteram vitam: cum omnem intellectum, omnem voluntatem, omnesq; cogitationes nostras colligimus, cõstringimus, inque Deum dirigimus, & quasi captiuas ducimus ad obediendum Christo. Lumbos item præcingimus, cum non diffluimus luxuria, neque delicatè molliterque ac dissolutè viuimus, sed cum vagas libidines et malas concupiscentias (quarum sedes lumbi & renes sunt, vbi cingulum additur humano corpori) domamus, & carnis luxuriam per continentiam coartamus: verùm quia minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat & bonis operib. insudare, protinus additur: & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucernas quippe ardentes tenemus, cum per bona opera (de quibus Matth: 5.) proximis nostris lucis exempla monstramus. Nec ergo castitas magna est sine bono opere: nec opus bonum est aliquod sine castitate: sed etsi vtrunque agitur, restat vt quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, & totam spem suam in redemptoris sui aduentum: seu, vt Paulus loquitur, Tit. 2. in illustrationẽ gloriæ magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi, constituat: & pulsanti scilicet per ægritudi-

nem

nem, designantem mortem vicinam esse) cõ festim aperiat. 1. cum amore & gaudio eum suscipiat.

3 Quid beneficij consequentur eiusmodi vigilantes serui & in peccatis suis minime dormientes, diligentia ministerij sui? Dominus agnoscet officium eorum, & vicissim compensabit alio officio. Præcinget enim se. 1. præparabit se ad retributionem, & faciet illos discumbere & quiescere in regno cœlesti, Luc. 22. Matth: 8. 19. & de iudicio ad regnum rediens faciabit illos lucis suæ claritate, absterget q; omnem lachrymã ab oculis eorum, Apoc. 7. Ac si quidem aduenerit dominus in prima vigilia. 1. in pueritia, aut secũda. 1. in iuuentute, aut tertia. 1. in statu virili, aut quarta. 1. in senectute (noctes enim à veteribus in vigilias distributæ fuerunt) & inuenerit eos vigilanter expectantes, suoque officio fideliter fungentes, ibi tum tanto gratius erit officium, quanto tardior fuerit aduentus, & iam nihil aliud reliquum erit quàm quòd Dominus tales, tanquam diligentes & vigilãtes seruos, nullo nõ beneficiorum genere prosequatur: quorum vtinam & nos omnes participes fiamus per Christum Iesum Dominum nostrum.

Amen.

CONCIO CXVII.

Lucæ 12

HOc autem scitote, quod si sciret paterfamilias qua hora fur venturus fuisset, vigilasset vtique, nec passus fuisset perfodi domum suam. Et vos igitur estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

1

QVemadmodum certum est Dominũ Iesum venturum de cœlo ad iudicandum mundum, incertum verò, qua hora sit venturus: sic etiam vniuersis mortalibus abscondita est hora, qua cuique sit moriendum: quod tamen semel omnibus continget. Est autem hoc ideo nemini cognitum, vt perpetuo vigilemus, paratiq́ue simus, semper soliciti in conseruando pietatis studio, ne non parati & malè securi, dormientesq́ue reperiamur. Si enim præscirent homines quando morituri sunt, diligentiam suam circa illã horam ostenderent. Ne igitur in illo solummodo tempore, sed continue diligentes sint, nec generalem, nec singularem horam prædi

cit,

cit, vt semper expectando semper vigilent. Misericordia Dei est, inquit Augustinus, quia nescit homo, quâdo moriatur, Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies. Latet aduentus hora, vt omnes expectentur. Comparat autem Christus aduentum suum consuetudini furum. Solenne enim furibus est, tum maximè omnium alienâ domum perfodere, cum existimant homines in ea altissimũ somnum ducere, ac securissimè stertere: sic & Christus eo potissimum tempore venturus est, cum minimè omnium expectatus fuerit. Dies ille Domini, inquit Paulus 1. Thes. 5. vt fur in nocte, ita venturus est. cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repẽtinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. Idem etiam significat Christus, cum aliàs comparat aduentũ suum diebus Loth & Noe. Item. 10. virginibus Matth: 25.

2 Quomodo autem nos præparare debemus ad felicem mortem? Id Christus docuit paulo ante, per similitudinem ductam ab officio seruorum. Porrô feliciter moritur (vt quidã præclarè scribit) qui libẽter & benè moritur. Vt quis libenter moriatur, efficit fides: vt verô benè moriatur, faciunt fidei fructus. Christianâ siquidẽ vitam, comitatur beata mors. Age igitur seriò pœnitentiam, ô homo, & re-

tine bonam conscientiam, sta in fide, ambula in charitate, in uoca Deum, gratia sage illi, perseuera vsque ad finem, & saluus eris.

3 Quare autem parati esse debemus omni tempore? Quia iustum & legitimum est. Nã Dominus noster hoc iussit, Matth: 24: Luc: 21. Ac si paramus nos ad iter profecturi duntaxat de vna ciuitate terrena ad aliam, aut è pago in pagum: multo magis parare debemus nos, quando migrãdum est nobis è mũdo & corpore, ad cœlestem patriam? Si Israelitis necessaria fuit præparatio ad viam, qua profecti sunt ex Aegypto versus terram Chanaan, Exod. 12: quanto iustius paramus nos ad Hierosolymam, quæ sursum est?

Est iusuper honestum & laudabile, in tempore prospicere sibijpsi in futurum: iuxta illud Luc: 16. Et laudauit Dominus dispensatorem iniquum, quod prudenter feciſſet.

Item iucundum. Facit enim vt libentius moriamur ac desideremus dissolui, cum Apostolo, Phil: 1. Vt contra molestum est & acerbum mori, homini imparato & mundo addicto.

Præterea vtile. Beati enim serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Beatus, inquit Theophylactus, quisquis quacunque vigilia. i. ætate inuentus fuerit vigilans, nec in operando bonum negligenter se gerens

gerens. Denique necessarium: quia qua hora non putatis filius hominis veniet, dicit Dominus. Cum pernicie autem dormientium (vt Chrysostomus ait) dies ille venturus est. Quemadmodum autem non læderetur paterfamilias furto, si furem sciret venturum: sic & nos quoniam scimus dominum venturum, paratiores esse debemus.

Cæterum si quis tum primum se parare voluerit, cum iam paratum esse illum oporteret, viderit ne serò veniat cum fatuis virginibus: quibus euntibus emptum oleum, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cũ eo ad nuptias, clausaque est ianua, Matth: 25. Pœnitentia in morte satis periculosa est: quia non inuenitur in sacra Scriptura nisi vnus, videlicet latro, qui in fine verè pœnituit. Ille quidem, vt nullus desperet: solus autem, vt nullus præsumat. Est igitur in exemplũ propositus, non imitationis, sed consolationis: vt discamus pœnitentiam nullam nimis seram esse, modò vera sit & seria: iuxta illud Cypriani. Tract. 1. contra Demetrianum: In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Dominus Deus noster, qui longanimis est & patiens erga nos, dum non vult vllos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere, adsit nobis suo bono spiritu, ne contempta eius tolerantia ac lenitate, per impœniten-

tiam noſtram colligamus, nobiſipſis iram in die iræ, quo patefiet iuſtum iudiciũ Dei: qui laudandus eſt in ſecula, Amen.

CONCIO CXVIII.

Luc. 13.

ADERANT autem quidam eodem in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cũ ſacrificijs ipſorum. Et reſpondens Ieſus dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis, imo niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis. Aut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos. Putatis quòd debitores fuerint vltra cunctos homines habitantes Hieroſolymis? Non, dico vobis, imo niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis. Dicebat & hanc ſimilitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ,

Ecce

Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficu hac, & non inuenio, succide illam, ad quid vel terram occupat? At ille respondens dixit illi, Domine sine illam & hoc anno, donec fodero circa illam, & misero stercus, & si quidem fecerit fructum, sin minus, in posterum succides eam. 1

QVomodo audiendæ sint narrationes rerum nouarum, & in primis historiæ de rebus tristib. docet nos hoc loco Christus, nempe non aliter quàm concionnes pœnitentiæ. Cum enim illi à quibusdam nunciatum esset de Galilæis (quorum fortasse princeps fuit Iudas ille Galilæus, de quo Act. 5.) quòd Pilatus eorum sanguinem miscuisset cum sacrificijs ipsorum, i. in ipso opere sacrificiorũ trucidasset: vt scil. tali flagitio sacrificia in detestationem venirent. vel, vt satisfaceret suę vocationi, & seditionem iam gliscentem opprimeret: respondens Iesus dixit illis (& verò etiã nobis, propter quos omnia præscripta sunt) An putatis Galilæos istos omnium fuisse Galilæorum improbissimos, quòd talia passi sint? nequaquam, inquam vobis. Sed vos nisi ad frugem redieritis (notemus illud Nisi: omnino enim necesse est, vt agamus pœnitentiam, si quidem seruа-

ri voluerimus) omnes similiter peribitis? quasi dicat, Hoc.n. illis accidit etiam propter vos, vt exemplum habeatis iræ Dei aduersus peccatores, vt aliorum periculo sapiatis, vt vos potius, quàm alios iudicetis, vt intelligatis mortem quidem esse certam, horam autem & locum, & modum mortis incertum. Sic quoque Samuel conciionatus est Israelitis. 1. Reg. 12. Sic Moses, Deuteronom. 8. Sic Paulus ipsis gentibus Roman. 11. Vidistis, inquit ille, magnifica quæ in vobis gesserit Dominus, quòd si perseueraueritis in malitia, & vos, & rex vester pariter peribitis. Iste verò si oblitus (ait) Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos & adoraueris: ecce nunc prædico tibi, quòd omnino dispereas, sicut gentes quas deleuit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri. Hic autem, Ne efferaris animo, dicit, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne qua fiat, vt nec tibi parcat, & cæt.

2 Sed idipsum hic Dominus Christus simili exemplo probat, quòd nimirum ad terrorem omnium, quidam nonnunquam horrendo supplicio puniantur, & quòd Dei vindicta vitari non possit, etiamsi vllo hominum suffugiatur, & quòd longanimitas Dei

nostra

nostra salus sit, & nos ad pœnitentiam inuitet, 2. Petri tertio. Romanorum, secundo. Dicit autem de illis octodecim, quos delapsa turris in Siloa (quæ piscina est seu fons in Hierusalem, Esaiæ octauo, Ioannis nono capite) interfecit. Putatis quòd isti debitores, (id est, peccatores) fuerint vltra omnes Hierosolymitanos? Nequaquam, inquam vobis, sed vos, nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Leoni canicula præ oculis castigatur: igitur resipiscite.

3 Denique vt id quod dixit altius infigeret animis crassæ multitudinis, adiecit similitudinem ad rem accommodam, nempe de ficu. Posset enim aliquis dicere, Si non minus peccator sum, quàm hi qui vel publico magistratus supplicio afficiuntur, vel casu, vt videtur, affliguntur, quid est, quod ego tanto tempore impunè abeo. Respondet Christus per parabolam, Dominum non quidem inferre statim supplicium peccatoribus, quia longanimis est & patiens, nec vult mortem peccatoris, sed differt, non quòd approbet impietatem ac iniustitiam, sed quòd expectet tempus resipiscentiæ.

Quum igitur videris (inquit Chrysostomus conc. quarta de Lazaro) aliquos vel in naufragium incidisse, vel ædium ruina oppressos esse, vel incendio periisse, vel à fluuijs

abreptos esse, aut alio quopiam modo violento vitam finijsse: deinde alios qui eadem cum illis & gratiora peccarunt, nihil tale passos, ne conturberis dicens, Quur tandem quie adem peccant non eadem pasi sunt? Verum illud reputa, quod Deus illum quidem passus est è medio tolli præfocariq́ue, mitiorem ei præparans in futuro seculo cruciatum, aut etiam in totum eum liberans. Hunc verò nihil tale passus est sustinere, vt alterius supplicio castigatior factus, modestior redderetur: quod si per seuerauerit in ijsdem, crudelissimam sibijpsi ex sua socordia coaceruat vltionem, nec Deus fuerit causa intolerabilis supplicij &c

4 Quanquam verò Christus hac similitudine de arbore ficulnea maximè omnium impœnitentes Iudæos perstringat, de quibus Ioannes Baptista inquit, Iam securis ad radicem arborum posita est. &c: tamẽ generaliter de tota Dei ecclesia intelligi potest. vinea enim, quemadmodum Iesaias ait capite quinto, domus Israel, seu ecclesia Domini electa est, in qua Christus sese vitem, Apostolos autem palmites affirmat, Ioannis decimoquinto.

Porrò ficus iuxta Augustinum Sermone trigesimoprimo, de verbis Domini, genus humanum est: iuxta Brentium, quiuis homo in vi-

in vineam ecclesiæ per Sacramenta fidei plantatus. Non est autem importunum, vt arbor ficulnea intelligatur genus humanum. Primus enim homo quando peccauit, folijs ficulneis pudenda velauit, Genes. tertio cap. Hæc velauit, vnde nati sumus, membra. Ficus item radicem habent amaram, fructum autem prædulcem. Sic amara est omnium hominum radix, quippe qui natura in peccatis cõcepti & nati sunt, & cogitatio eorum ad malum semper intenta est, Psalm. 51. Genesis 6. & 8. Plantantur autem in vineam Domini per sacramenta fidei, vt fructum dulcem, cibum videlicet regni cœlorum ferant. Ergo quemadmodum ficus sterilis adiudicatur igni, ita homo non afferens fructum bonorum operum deputatur æternæ damnationi. Christus enim homini quidem veniam impetrauit: sed tamen quia cum conditione impetrauit (ait enim, Si quidem fecerit fructum) erit irrita venia, nisi homo ad frugem redierit.

Triennium autem tria sunt tempora, vnum ante legem, alterum sub lege, tertium sub gratia. Vel tres anni vniuscuiusque priuati hominis in ecclesia, sunt anni pueritiæ vsque ad adolescentiam & iuuentutem: & ab adolescentia iuuentuteque, vs-

que ad virilem ætatem, & ab hac vsque ad senectutem.

Colonus ille qui auertit iram patrisfamilias, ne mox post latam sententiam supplicium immittat, Dominus noster Iesus Christus est: vel omnis sanctus qui intra Ecclesiam orat pro eis qui sunt extra Ecclesiam, perque Christum nomen Dei inuocat.

Quid est autem fossa, quid est circumfodere, nisi humilitatem, pœnitentiam & patientiam docere? Fossa enim humilis terra est.

Cophinum stercoris, in bono intellige. Sordes sunt, sed fructum dant. Sordes cultoris, dolor est peccatoris. Qui agunt pœnitentiam, in sordibus agunt, si tamen intelligant, & veraciter agunt.

Huic ergo arbori dicitur, Agite pœnitentiam. Appropinquabit enim regnum cœlorum: cuius hæredes vtinam nos omnes instituamur, in Christo Iesu Domino nostro,

Amen.

CON-

CONCIO CXIX.

Lucæ 16

HOMO quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplẽdide. Erat autem quidã mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulceroſus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis. Sed et canes veniebant ac lingebant hulcera eius. Accidit autem vt moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem diues, ac ſepultus eſt: atque in tartaro ſublatis oculis ſuis quum eſſet in tormentis, videt Abraham eminus, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans, dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, ac refrigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac. Dixit autem Abraham: Fili recordare, quod receperis bona in vita tua, & Lazarus

similiter mala. Nunc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris. Et super hæc omnia inter nos & vos hiatus ingens firmatus est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neq; isti hinc huc transcendere. Ait autem: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: Habeo enim quinq; fratres, vt testificetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locũ cruciatus. Ait illi Abraham: Habent Mosen & prophetas, audiant illos, At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Ait autem illi, Si Mosen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

QVoniam omnibus cùm diuitibus tũ pauperibus definita est mors: æquũ fuerit, vt omnes quoq; hanc Christi domini siue historiam, siue parabolam de diuite & Lazaro audiãt, id est, paupere: qui multas ob causas suo nomine appellatur, tacito nomine diuitis. Nam illius nomen scriptum est in cœlis: huius verò deletum ex libro vitę. Ille etiam cognouit Dei nomen in vita sua: hic autem non nouit, idcirco etiam non cognoscitur, velut fatuus, Mat. 25, imò Dei nomen in

men in vanum assumpsit, & frustrà filium Abrahami (cuius opera non fecit) se vocari siuit: & insuper satis nominatus fuit in mũdo, Lazarus non itẽ, sed potius contemptus: quã, quam pauper viuebat Deo, & diues mortuus illi, & coram illo erat.

1 Principiò autem vtriusq; describitur vita, quæ erat, dissimilima. Nam diues erat auarus, atq; adeo idololatra & seruus Mámonæ, superb. gulosus & luxuriosus: immisericors, & canibus inhumanior, deniq; vnus illorum, de quibus Iob: 21. Ducunt in bonis dies suos &c. Lazarus autem auidus non diuitiarũ & deliciarum, sed contentus micis cadentib. de mensa, humilis, afflictus, patiens atq; adeo vnus ex verè fidelibus & filijs Abrahami.

2 Secundò ostenditur hic dissimilis vtriusque discessus ex hac vita, & status post hanc vitã, & hic quidẽ sempiternus. Etsi verò ambo moriuntur, prior tamẽ pauper: vt à miseria liberetur: postea verò diues: vt habeat spaciũ resipiscẽdi, quod à morte non erit, Ro: 2. Est enim magnus hiatus, inter beatos in cœlo, & dãnatos in inferno, firmatus. Quanquã itẽ splẽdidè sepelitur diues, tamẽ in flãma gehennæ cruciatur sine fine: pauper aũt solatio fruitur in sinu Abrahę, qui est vnà cũ Isaac, Iacob, & reliquis suis filijs electis in regno cœlorum, Matth: 8.

Hinc Augustinus lib. 2. quæst. Euang. cap. 38. Sinus Abrahæ (inquit) requies est beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam recipiuntur. Et contra Faust. Manich. lib. 33. c. 5. dicit, quòd in Abrahæ sinum, id est, nescio cuius quietæ felicitati; magnum abditumque secretum, abstulerint angeli pauperem illum ærumnosum à diuite superbiente contemptum. Vnde & alibi sinum illum, secretæ cuiusdã quietis habitationem, vocat: sicut & Gregor. in Euang. Hom. 40.

3 Postremò cum ex responsione Abrahæ ad priorem petitionem diuitis in inferno, didicerimus, quid nobis in altero seculo post hãc vitam paratum, seu (vt quidam dicunt) coctum sit, nempe vel solatium, vel cruciatus: audiamus iam ex eiusdem responsione ad posteriorem petitionem, quid nobis hic agendum sit, ne istic veniamus in eundem locum cruciatus, vbi manet diues.

Est autem audiendum verbum Dei, credẽdum & resipiscendum. Porrò si credideri-mus saltem huic præsenti Euangelio Iesu Christi, tunc non beatos iudicabimus, qui diuitijs, sed qui virtute præditi sunt, neque miseros dicemus, qui degunt in paupertate, sed qui cum improbitate: neque respiciemus præsentia, sed prospiciemus futura; neque diuitẽ imita-

imitabimur, sed pauperem Lazarum: Hic etenim non vnum tantùm, aut duo, triáue virtutis certamina sustinuit, verùm & multò plura (vt Chrysostomus annotauit in concione prima de Lazaro) paupertatem, aduersam valetudinem, solitudinem ac destitutionem ab his qui curam illius gerere debebant, deinde quod hæc omnia patiebatur in domo, quæ poterat hæc mala depellere, quum videret illum à quo despiciebatur tantis frui delitijs, non delitijs modo fruentem, verùm etiam quum improbè viueret, nihil tamen graue perpetientem: præterea quod non haberet alterum Lazarum ad quem respiceret, adhæc quod super hæc quæ diximus mala, ex calamitatibus illis à vulgo malam ferret opinionem, eò quod non biduum, triduúmue, sed per omnem vitam, & seipsum videret in eiusmodi calamitatibus, & diuitem iu diuersorum statu. Quomodo igitur sumus excusandi, si quum hic cunctas afflictiones simul conglomeratas tanta pertulerit animi fortitudine, nos ne dimidium quidem horum tulerimus? Non enim potes, non potes, inquã, alium quenquam commemorare, qui talia tantaque perpessus sit mala. Eamque ob rem Christus hunc potissimùm exempli causa proposuit in medium, vt si quando in res tristes inciderimus, considerantes quanto ille

interuallo nos superarit, ex illius philoso-phia, satis magnum solatium molestiæq; leni men capiamus. Communis igitur orbis doctor ille propositus est, rem quamcunq; molestam patientibus, qui se conspiciendum præbet omnibus, hosq; omnes superans suarum afflictionum magnitudine. Pro his igitur omnib, gratias agentes benigno Deo, reportemus ex hac oratione fructum & vtilitatem, continenter hunc doctorem & in consessibus, & in ædibus, & in foro, deniq; in omni loco circumferentes, summoq; studio diuitias omnes, quas habet hæc parabola, percipientes, quo simul & præsentia citra molestiam mala transcurramus, & futurorum bonorum compotes euadamus, quæ nobis omnibus contingat assequi, gratia, benignitateq; domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & spiritu sancto gloria, honor, adoratio, nunc et semper, & in secula seculorum, Amen.

CONCIO CXX.

Lucæ 19.

HOMO quidam genere clarus profectus est in regionem longinquam, vt acciperet sibi regnum, ac reuerteretur. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mi-

cem minas, & ait ad illos: Negotiemini donec veniam. Ciues autem eius oderãt eum, miseruntq; legationem post illum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accepto regno, iussitq; vocari illos seruos ad se quib. dederat pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus dicens, Domine, mina tua decem minas acquisiuit: Et ait illi: Euge bone serue, quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem super decem ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, mina tua confecit quinque minas. Et huic ait, Et tu præfectus esto quinque ciuitatibus, &c.

1

QVanquam Christus in hac parabola præcipuè hoc agit, vt adumbret & exponat statum regni sui: interim tamẽ parabolam ita commodè narrat, vt nulla sit periodus, quæ non suam quandam pietatis doctrinam contineat.

Inter cætera autem docent nos verba huius parabolę, quid credendum sit de Christo: & quid faciendum cuiq; christiano ac seruo Domini, vt possit aliquando audire dulcissimam illam vocem iustissimi iudicis, Euge

serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

Quid ergo de Christo Iesu sentiendum est? quòd sit de regio genere natus, & vnigenitus à patre cœlesti: quòd profectus sit in cœlum, & sedeat tanquam rex ad dexteram Dei: quòd indè olim rediturus sit, ac redditurus vnicuique secundùm opera sua: quòd seruos habeat, atq; adeo Dominus sit, quòd dispensator bonorum.

2 Quid nobis interea agendum, dum ipse manet in cœlo? Negotiemini, inquit, donec veniam.

His verbis trium rerum admonemur.

Primò, cauendum esse ocium, & nunc esse omnibus negotiandum: nunc, inquam. Dicit enim, Donec veniam, quasi dicat, post aduentum meum non amplius erit tempus negotiationis. Operemini ergo bonum, dum tempus est. Veniet enim nox, cum nemo operari poterit, Galat. 6. Iohann. 9. Operemini cibum qui non perit, id est, credite in lucem, dum lucem habetis, Iohannis sexto & duodecimo. Iam enim sunt nundinę (vt D. Chrysostomus loquitur Hom. 5. de pœnit.) hoc est tempus acceptum & dies salutis, in quibus possumus (vt ita loquamur) peccata vendere, & cœlum emere (non quod, vt idem Chrysostomus

ſoſtomus ait, Hom. 9. venale ſit cœlum, ſed quod clemens ſit Dominus) idque per pœnitentiam & fidem: omnia relinquere, vt vitæ æternæ ſortiamur hæreditatem, Matthęi decimonono: dimidium bonorum noſtrorum dare pauperibus, vt nobis ſalus contingat, quemadmodum filijs Abrahæ, Lucæ decimonono: recipere prophetam in nomine prophetæ, vt mercedem prophetæ accipiamus, Matthæi decimo: Per corpus bonum facere, vt bona reportemus, ſecundę Corinthiorum quinto: Oleum emere, Matthęi 25. amicos nobis ex Mammona iniuſto facere, Luc. 16. Vt cum ſponſo ad nuptias intrare, & in æterna tabernacula recipi poſsimus. Non enim (inquit Hieronymus in Epiſtola ad Nepotianum) memini me legiſſe mala morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit. Habet enim multos interceſſores: & impoſsibile eſt preces multorum non exaudiri.

Deinde monemur, perſeuerandum eſſe vſque ad finem, iuxta illud, Ne defatigemini in benefaciendo, Galat. ſexto, ſecundę Theſſalonic. tertio. Inquit enim, Donec veniam: ergo non ante ceſſandum.

Tertio, Dominum certiſsimè venturum, & non emanſurum. Ait enim, Veniam. Tempus tamen aduentus non exprimit: quia non eſt neceſſe vt hoc ſciamus.

3 Ac quoniam inter omnia negotia nõstra peragenda nobis in terra non minimum est mori: miserrimum autem, iuxta Euripidem, nescire mori: discamus obsecro fratres benè mori (vt nimirum mors nobis sit lucrum) antequam hora mortis veniat. Quid autem sit bene mori, ostenditur per tale exemplum à Discipulo in Sermone centesimo decimoquinto de temp. Quidam mercator transiens per syluam inuenit ibi heremitam centenarium degentem: à quo quęsiuit, quid ibi faceret. Cui Heremita: Disco mori. Et mercator: Quæ necessitas cum tu sis senex: quia aliàs oportet te citò mori. Et eremita: Et hoc est quod timeo: quia scio me moriturum, & tamen nescio mori. Dixit mercator: quid est tũc scire mori? Cui heremita: Vicia dimittere & bona opera facere, iuxta illud Psalmi, Declina à malo, & fac bonum. Mercator vltra quærit: Quid comedis, quòd ita senex factus es? Cui Heremita: Cibum optimum. Et mercator: Quis tibi præparat hunc cibum? Et heremita, Coquus optimus, scilicet fames. Mercator iterum quærit. Quæ est deductio tua? Heremita: Recogito omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & vbi inuenio me benè vixisse, gratias ago domino Deo meo: vbi autem malè, doleo. Mercator: Es ne diues? Cui Heremita: Plus habeo

beo quàm volo, scilicet corpus illud. Et mercator, Ergo velles mori? Cui Heremita: Vellem libenter benè mori, vt ad vitam æternam peruenirem. Et mercator: Posses nè me instruere benè mori, quò ad vitam æternam possem peruenire? Cui Heremita: Possum: & subdit: Quid operis scis? Et ille: mercator sum. Et Heremita: Si mercari vis, & dare pro maiori minus, respice cœlum, quod est maius toto mundo, & eme illud pro temporali substantia tua, & fac bonum (Bonum autem, quod Dominus requirit à nobis, teste Michea capite sexto: est, facere iudicium, diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo nostro.) Quo audito mercator reliquit omnia bona temporalia, & factus est deuotus homo. Hoc si verum est, mercator ille multis nominibus superauit adolescentem illum, de quo Matthæi 19. cui dicebat Dominus Iesus, si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus. & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Cum enim audiuisset ille sermonem hunc, abijt tristis. Vt nos non abeamus à Christo, sed susceptio illo per fidem, valeamus ex fide sectari bona opera, ipsiusque donis rectè vti, & ita non sortem tantùm, verùm etiam vsuram reddere Domino nostro & consequi perpetuum gaudium, adiuuet nos omnipotens

dextera Dei optimi maximiq́ue, Amen.

CONCIO CXXI.

Lucæ 21.

Per patientiam vestram possidete animas vestras.

1

Ne in destructione seu morte corporum nostrorum simul quoque animas nostras perdamus, necessaria fuerit nobis patientia: de qua necessitate Paulus etiam loquitur Hebræorum decimo. Nam sicut in patientia possidetur anima & custoditur: sic per impatientiam ac murmur potest quis perdere animam suam, qui scilicet propter infirmitatem & dolorem corporis murmurat in impatientia contra Deum: sicut ille Clericus fecit, de quo fertur, quòd, cum quatuor annos ægrotasset, dixerit Deo, Tu accepisti mihi corpus: & ego accipiam tibi animam meam: & postea Diabolo, Diabole accipe animam meam: quod diuino iudicio statim est factum. Aliter fecit Christus Iesus, & post illum Diuus Stephanus, qui Deo commendarunt animas suas in afflictionibus suis

quod

quod & Petrus docet Epist:1.cap. quarto, Væ igitur illis qui perdiderunt patientiam, quemadmodum Siracides inquit capite secundo.

2 Vt autem patientes esse possimus, capienda sunt non solùm remedia gentium: qualia sunt, Meminisse nos homines et mortales esse, adeoque omnibus humanis casibus subiectos: Nos non solos esse qui patimur, sed multos similia aut maiora pati: Nobis omnino patiendum esse, siue volentes, siue inuiti id faciamus, & ergo ex necessitate virtutem esse faciendam: Omnem afflictionem non nisi momentaneam esse, & consistere ἐν παρῳχυῖ: quod enim præterijt ex afflictione, hoc nos non amplius sentire: quod autem sequetur, nos nondum sentire: Item omnis afflictionis tandem finem fore, eamque non posse semper durare. Sed istæ consolationes omnes firmę non sunt, nec quicquam valent in summis afflictionibus, id est, magnis & diuturnis, multò minus in agone mortis.

3 Quæ sunt ergo cætera, quæ cogitanda nobis sunt in doloribus mortem præcedentibus, vt eos patientia vincere queamus? Cogita te non solùm esse hominem, sed christianum, per fidem Christo insitum, Christumque cum omnibus quæ habet & est,

tuum esse, & te ipsius, & crucem tuâ in Christo benedictam esse, & cooperaturam tibi in bonum: Et non solùm alios etiam pati, sed te digniorem esse passione, quàm alios: tuamque passionem nullam esse respectu passionis Christi innocentis: Cogita, cum te oporteat pati, meritò te debere libenter pati, cum sit benigni patris voluntas, qui hac ratione carnem tuam compescere, veterem hominem mortificare, & te in agnitionem sui & tuijpsius ducere vult, & hîc vrere, vt tibi in æternum parcat: Et dolorem tuum non modo breuem & momentaneum esse, verùm & totam vitam tuam non nisi momentum esse respectu dolorum æternorum: Et tuas afflictiones & morbos non tantùm habituros finem, sed bonum & felicem exitum; mutandas afflictiones tuas in gaudium sempiternum, mortem in vitam. Demùm crede in Christum, spera vitam æternam per eundem tibi paratam, dilige Deum, & vinces omnia. Dilectio enim fortior est morte, Cantic. octauo. Hanc dilectionem Christus Iesus effundat in cordibus nostris, per

Spiritum sanctum,

Amen.

CON-

CONCIO CXXII.

Lucæ 23.

VNVS autem qui erant ſuſpenſi facinoroſorum, conuicia dicebat in eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſerua teipſum & nos. Reſpondens autem alter, increpabat eum, dicens: Ne times quidem tu Deum, quod in eadem damnatione es? & nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum: Domine memento mei, quum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.

1

IMago iſta ob oculos nobis exponit, non ſolùm duos iſtos latrones: ſed ſimul totum genus humanum, in quo ſunt electi ac reprobi.

Omnes autem peccatis & morti ſunt obnoxij, niſi quatenus per Chriſtum Ieſum li-

berantur. Rectè itaque ambo dicuntur κακοῦργοι fuisse, ita vt iuxta seculum nihil inter eos discriminis fuerit. Quòd ad Christum verò attinet, hîc inuentum est discrimen, deprehensúsque alter gratiæ Christi irrisor, nempe Gestas: alter verò, videlicet Dimas, (vt est in Nicodemi euangelio) acceptator & venerator.

2 Nam de impio latrone ita scribitur: Vnus autem de suspensis facinorosis conuicia dicebat in eum, dicens: Si tu es Christus, serua teipsum & nos: item quòd nec ipse timeat Deum, quemadmodum & cæteri irrisores. Videmus igitur in hac imagine obstinationem ac peruersitatem & impatientiam impiorum. Primùm cruci erat affixus, & morti iam iam obnoxius, neque sic tamen in se redit, vt peccata sua agnoscat, & ad Deum conuertatur, eumque metuat, & gratiam redemptoris ambiat: deinde licet & ipse in cruce penderet, commiseretur tamen nequit eius quem videt similiter cruci affixum: sed quod omnium erat inhumanissimum irridet etiam & conuitijs insectatur.

3 Quid de altero latrone dicitur? Alij euangelistæ dicunt, Latrones qui cruci affixi erant cum Iesu, exprobrabant ei, ponêtes pluralem numerum pro singulari, vt sæpe fit. Quanquam Chrysostom. & Theophylactus putant

putant verisimile esse primum quidem vtrumque feciſſe: deinde vnum eorum conuersum esse. Est autem in huius pij ac respiscẽtis latronis imagine depictum, quâ sit iter ab hac præsentis vitæ miseria ad cœlestem felicitatem. Quid ergo fecit? Socium suum obcarentiam timoris Dei & blasphemiam increpauit, inque eo ostendit quàm syncero animo fuerit erga Christum & gloriá eius, & quàm displicuerint ei probra, quæ in illum committebantur. Deinde suam iniustitiam confitetur, iudicium Dei iustificat, Christum innocentem pronunciat, inuocat, credens illũ & Dominum & regem esse. Tandem exaudi tur à Christo, promittente ac dicente, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, id est vbi feliciter viuitur, quemadmodum Augustinus exponit in epistola ad Dardanum: vel vbicunque ero, mecum eris. Hoc & nobis sufficiat, nempe cum Christo esse, vt & Paulo, Phil: 1. Ac vide, quanta distantia sit inter crucem & Paradisum. Vno enim & eodẽ die licet esse in cruce & paradiso. Habeat autem nostra crux suam profunditatem, altitudinem, latitudinem & longitudinem, id est, humilitatem, spem æterni ac cœlestis regni, charitatem & perseuerantiam: Nam qui perseuerauerit usque ad finem, hic saluus erit: quam salutem det nobis Dominus Deus no

ſter per Chriſtum Ieſum. Amen.

CONCIO CXXIII.

Iohan. 3 Cap.

ET nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum, nõ pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

VItanoſtra præſens, quam degimus in terra, cum breuiſsima ſit atque miſerrima, Chriſtus Ieſus conſiliarius admirabilis docet nos, qua via conſequi valeamus æternam vitam atque beatam in cœlo. Non enim vult mortem peccatoris, ſed vt cõuertatur ac viuat. Et tametſi Chriſtus vnigenitus Dei filius poſſet ſolus eſſe hæres omnium, tamen vult nos eſſe ſecum cohæredes. Id autẽ fieri nequit niſi vnum fiamus cũ eo, hoc eſt, agglu-

adglutinemur ei, 1: Cor. 6. Quia nemo ascendit in cœlum (sua scilicet virtute) nisi qui descendit è cælo, filius hominis, qui est in cœlo. Hic autem filius non solum caput est, sed etiam corpus, 1: Corinth: 12. Totus igitur ille solus ascendit.

Cum eo quasi descendit è cœlo (vt & in cœlum cum eodem ascendere queat) omnis qui è supernis natus est, & á Deo paratus, sicut sponsa ornata viro suo, Apoc: 21.

2 Sed quomodo Christus hoc effecerit, vt scilicet cum eo ascendere possimus & vitã habere æternam. i. capere quę Dei sunt, venire ad patrem, eumq; cognoscere, ipsemet exponit, inquiens: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis (idque non solum in cruce, sed etiã prædicatione Euangelij, instar vexilli) vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Neque aliter perditus & mortuus homo saluari ac viuificari potuit. Nam antiquus ille serpens morsum infixit in paradiso patri nostro Adæ, adeoque nos omnes qui ex Adamo nati sumus, veneno pestifero ita infecit & succendit, vt toto vitæ cursu φιλαυτίᾳ, amore & studio nostri rerumque terrenarum toti flagremus, nec aliud quá Deo aduersa concupiscere valeamus. At Christus hic vnus aduersus lethalem illum mor-

sum nobis in remedium proponitur. Quii-deo serpens appellatur, quia hominibus peccatoribus similis est, Rom. 8. Ideo æreus, quia purus, excoctus ab omni peccatorum scoria, sanctus, innocens & impollutus est, Hebr. 7. Æneus quoque, quia firmus, & solida petra est sperantium in ipsum, 1. Pet. 2.

3 Quid verò causæ est quòd Christus ita nos sibi, perfidem in se crucifixum pro nobis, adiungere voluit? Sic enim (inquit) Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis (siue Iudæus siue Græcus sit, siue vir, siue mulier, siue dominus, siue seruus) qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Singula verba hic magnam vim habent, dicit Chrysostomus. Pudeat ergo tam immensæ non respondere dilectioni. Ipse ne vnigenito quidem filio nostri gratia pepercit, nos pecunijs in nostrũ parcimus detrimentum.

Ipse dilectissimum filium (non seruum, nõ angelum, non archangelum) pro nobis obtulit, nos pro eo: imò pro nobis argentum offerre nolumus, & quanam hæc venia digna sunt? Sed quid ego pecunias memoro, cum etiamsi innumeræ animæ nobis essent, omnes pro eo ponere oporteret? neque etiam sic pro acceptis beneficijs gratiam retulisse mus, vnde Sapiens Ecclesiastici 43. δοξά ζοντες

ζοντες κύριον ὑψώσατε, καθόσον ἂν δύνησθε. ὑπερέξει γὰρ κρέτι, καὶ ὑψοῦντες αὐτὸν πληθύνατε ἐν ἰσχύι. μὴ κοπιᾶτε· οὐ γὰρ μὴ ἀφίκεσθε. id est, Collaudantes tes Dominum quantum potestis extollite, tamen adhuc exuperabit: in eo extollendo summas vires indefessi impendite, ne sic quidem satisfacturi. Ipsi gloria & imperium, in secula seculorum, Amen.

CONCIO CXXIIII.

Ioann. 3.

QVI credit filio habet vitam æternam. Qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

I

VT omnes libentius in Christum credamus, quò possimus etiam in vera & Christiana fide hinc discedere, quod nemo non cupit inter nos: audiamus quid Ioannes Baptista híc loquatur de fidei vtilitate, & incredulitatis pernicie. Nihil enim ferè est quod hominem magis moueat ad agendum aliquid, quàm commodum: & nihil quod magis absterreat à facto aliquo, quàm

incommmodum ac detrimentum. Hinc Deus & regnum promisit & gehennam minatus est. Neque minus (D. Chrysostomo teste libro 1. de prouidentia Dei) ipsa quoque gehennæ comminatio, quàm promissio regni ineffabilem ipsius clementiam commendat. Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facile quispiam cœlestibus bonis potiretur. Neque enim sufficit sola gaudiorum repromissio ad excitandos ad virtutem animos, nisi etiam eos pœnarum timor impellat, qui negligentius affecti ad illam sunt.

2 De credente & effectu illius fidei sic disserit Ioannes: Qui credit filio, habet vitam æternam, hoc est, liberatus est à morte sempiterna.

Notandum est autem in his verbis, primùm quòd Deus filium habeat, cui omnia in manum dederit: deinde quòd sit vita æterna cuius gustum aliquem fideles etiam hîc percipiant: tertiò, distinguendam esse fidem Christianam ab omnium totius orbis nationum, etiam Iudæorum, fide. Non enim simpliciter dicit, Qui credit, sed qui credit Filio, id est, in filium Dei Iesum Christum, quem totus ferè orbis contemnit & explodit. Quartò, fidelem non posse carere oleo lætitiæ (id est, Spiritu sancto, qui viuificat) & ipsum tamcertum esse vitæ æternæ, vt iam nunc saluus esse dicatur

catur spe, & habere vitam æternam: Quia non dicit, Habebit, sed, Habet: id est, iam vitæ æternæ factus est particeps, à mortis sententia & condemnatione liberatus. Quemadmodum enim Adam, quamuis viueret, posteaquam de vetito ligno comedit, sententia tamen prolata mortuus erat: sic profectò fideles, etsi moriantur, pollicitatione tamen resurrectionis viuunt.

3 De incredulo & eius supplicio sic dicit: Qui verò non credit Filio (neque enim quæuis cõdemnatur incredulitas, sed ea tantùm quæ filium Dei spernit. Qui hec quibusuis patribus credit, nec Romano Pontifici, sententiæ isti non est obnoxius: modò credat filio Dei, & obediat euangelio eius.) non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Duplicem incredulitatis huius pernitiem ponit. Vnam quæ prohibeat à felicitate vitæ æternæ, cuius ne vllus quidem sensus ad diffidentem perueniet: ergo in morte manebit, qui Christo non credit. Sic Ioan. 8. Si non credideritis, moriemini in peccatis vestris. Alteram, quæ æterno supplicio incredulos reddat obnoxios. Inquit enim, Ira Dei manet super eum. Vbi duo notantur. Non enim dicit, Ira Dei veniet super eum, sed manet, vtpote, quæ antea super eum erat, propter peccatum illud originis, in quo omnes nascimur

filij iræ, Eph. 2. & propter quod in Adam omnes moriuntur, Rom. 5.

Meritò itaque & propriovicio pereunt increduli, & moriuntur in peccatis suis, quòd filium Dei, per quem poterant Deo reconciliari, & à peccatis liberari, contemnunt. Deinde, non dicit, obnoxius est iræ Dei, quæ aliquando sit desitura, sed, ira Dei manet super eum, id est, nunquam poterit iram Dei euadere. Ergo perpetuò iræ Dei obnoxius erit. Necesse est igitur, vt non prorsus intereat, sed in æternum maneat, alioqui non poterit sempiternæ iræ Dei esse obnoxius. Quemadmodum enim necesse est Deo viuat, quicunque sempiternæ illius bonitatis capax est (non enim mortuorum Deus est, sed viuêtium, inquit Christus, Matth. 22.) ita necesse est, esse eum & perdurare in sempiternum, qui sempiternæ iræ Dei propter incredulitatem subiectus est. Erunt itaque increduli ita vitæ æternæ expertes, & æternæ morti subiecti, vt nihilominus in sempiternum persistant, & supplicium damnatorum sine fine patiantur, infinitæ iræ Dei obnoxij. Pater ergo noster cœlestis liberet nos ab incredulitatis malo, & largiatur nobis donum fidei in filium suum in virtute Spiritus sancti, Amen.

CON-

CONCIO CXXV.

Ioann. 4.

IESVS ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontē. Hora fermè sexta venit mulier Samaritana, vt hauriret aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi quod bibam. Nam discipuli eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dixit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis potum à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim commercium habent Iudæi cum Samaritanis. Respondit Iesus & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi, Da mihi quod bibam: tu petisses ab eo, et dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine, neq; quo haurias, habes, & puteus profundus est, vnde ergo habes aquam illam viuam? Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius & pecora eius? Respondit Iesus, et dixit: Omnis qui bi

bit ex aqua hac sitiet iterum. Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, &c.

I

IN hac historia primùm considerandæ fatigatio & esuries ac sitis, cùm ipsius Domini Iesu, tum discipulorum eius: id quod conducit credentibus primùm ad hoc, vt fides eorum, quæ Christum non Deum tantùm, sed & verum hominem esse per omnia nobis similem, & solo peccato dempto, carnis nostræ infirmitatibus obnoxium, credit, contra quascunque repugnantes hæreses, confirmetur.

Dein seruiunt ista ad consolationem fidelibus, qui adhuc in carne hac misera afflictantur, vt cogitent ipsum Dei filium, patienter vitæ huius miserias tulisse.

Tertiò, præscribunt etiam nobis humilitatis exemplum, quod imitemur. Pedes enim iter confecit.

2 Deinde perpendenda sunt ea, quæ Samaritana illa mulier loquuta est cum Christo: quæ ex cultu & lingua cognouit Iesum esse Iudæum, & mirata est ipsum petere à se potum

potum, & vnde nam velit aut possit dare aquam viuam, quam tandem à Christo petijt, doctrinam tamen spiritus carnaliter, vt Nicodemus, Iohannis tertio capite, intelligens.

3 Postremò illa, quæ Christus ad mulierem dixit: à qua tandem Dominus & Prophetа agnitus est.

In verbis autem illius sciendum, quid per aquam viuam intelligat, nempe gratiam Spiritus sancti, sicut & Iohannis septimo, item, à quo gratia illa detur, nempe ab illo, qui baptizat Spiritu sancto: quibus illa detur, nempe sitientibus, teste etiam Isaia capite quadragesimo quarto, & quinquagesimo quinto: quid operetur, videlicet pacificationem conscientiarum, vbertatem consolationum, vitam denique æternam. Bibitur autem hæc gratia fide in Christum, quam ipsemet in nobis quotidie adaugeat atque confirmet propter veritatem & misericordiam suam,

Amen.

CONCIO CXXVI.

Ioann. 5.

AMEN amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed tranſiuit à morte in vitam.

1

MVltæ circumſtantiæ hoc loco perpendendæ veniunt, nempe quis hic loquutus ſit, & quibus, de qua re, vbi, cuius inſtinctu, cur, quomodo, quando. Locutus eſt autem Ieſus, idque Iudæis, de vita æterna, Hieroſolymæ, iuſſu patris, ad ſalutem mundi, humiliter, feſto die.

2 Verba pertinentia ad doctrinam & mandatum, ſunt hæc, Amen amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me. Eſt enim audiendum verbum Domini omnibus qui aures audiendi habent: & credendum Deo patri, qui miſsione filij ſui in hunc mundum ſuam bonitatem & φιλανθρωπίαν clariſsimè declarauit.

Notent

Notent qui temerè per veritatem iurare solent, etiam in rebus ludicris atque nullius momenti, quòd Christus hoc nunquam fecerit, nisi cùm de rebus serijs et magnis sermonem fecit.

Notent qui doctrinis hominum colere Deum volunt, quod Dominus dicit sermonem Meum.

Notent qui ambitiosi & imprudentes sunt, quod Iesus non dicit, Et credit mihi, sed, Qui credit ei qui misit me: ne scilicet exasperarentur auditores, aut arroganter illum loqui existimarent.

3 Verba ad consolationem pertinentia & promissionem, sunt illa, Habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transiuit à morte in vitam. Fidelis enim tam certus esse debet de vita æterna et salute sua, quasi iam iam accepisset illam: quanquam & nunc in ista vita Spiritum sanctum habet, qui vita est & viuificat, hominemque regenerat ad nouam & cœlestem vitam. Quamobrem iudicium extremum illi non est terrori: quia tametsi iudicabitur, tamen non condemnabitur, Psal. 37. Nam, in iudicium non veniet, hic idem est ac si diceret, non punietur, teste Chrysostomo: quia hoc iudicium intelligitur hoc loco, quo missurus est Deus, id est filius Dei in fine diabolum & angelos eius,

& omnes infideles ac impios cum eo : vt dicit Augustinus. Porro mortem non huius seculi, sed æternam intelligit, quemadmodum & vitam.

Hoc notandum, ne quis putet credendo se non moriturum secundum carnem. Dominus Iesus suscipiat nostrum spiritũ in hora mortis nostræ corporalis, & custodiat nos à morte sempiterna, Amen.

CONCIO CXXVII.

Ioan. 5.

NOLITE mirari hoc, quia veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem condemnationis.

1

SIcut ante hæc verba Dominus Iesus locutus est de resurrectione, qua nunc audientes vocem filij Dei resurgunt in mente: sic iam de illa loquitur, qua tunc, id est, in fine seculi resurgent in carne omnes, qui mortui sunt

tui sunt ac sepulti, cùm iusti, tum iniusti.

Sæpe autem Scriptura sancta mentionem resurrectionis corporum nostrorum meminit: idque ad consolationem fidelium, qui si spe resurrectionis carerent, omnium miserrimi forent, primæ epist. ad Corinthios capite decimo quinto, & ad terrorem infidelium, vi iustè expergiscantur, nec ita viuant, quasi nulla alia vita post hanc vitam sit expectanda.

2 Erit autem maxima discretio bonorum & malorum, postquam resurrexerint à mortuis. Prodibunt enim qui bona fecerunt, seu iusti, in resurrectionem vitæ, id est, reuiuiscent ad vitæ immortalis hæreditatem: ibunt in vitam æternam, cum angelis Dei, Daniel. duodecimo, Matth. vigesimoquinto capite, quæ vita æterna sola nomine vitæ digna est. Nam præsens vita nihil aliud est, quàm cursus ad mortem & miseria: vel, vt Cicero scribit, Nostra hæc quæ dicitur vita, mors est.

Qui verò mala egerunt, prodibunt in resurrectionem κρίσεως, id est, condemnationis seu supplicij, & opprobrij sempiterni. Reuiuiscent enim & illi quidē, sed ad æterna mortis supplicia. Hinc Paulus, 2. ad Corinthios quinte capite: Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt repor-

tet vnuſquiſque ea quæ fiunt per corpus (id eſt, vt Diuus Auguſtinus exponit, per tempus quo vixit in corpore.) iuxta id quod fecit, ſiue bonum, ſiue malum. Tunc erit diremptio, & non qualis modò eſt. Nam & modò ſeparamur, non locis, ſed moribus, affectibus, deſiderijs, fide, ſpe, charitate. Simul enim cum iniquis viuimus, ſed non vna eſt vita omnium. In occulto ſeparamur, quomodo grana in area, non quomodo grana in horreo. Tunc autem erit aperta ſeparatio. Tunc fiet, quod his continetur verſibus:

Quod ſibi quiſque ſerit, præſentis tempore vitæ,
Hoc ſibi meſſis erit, cum dicitur, ite, venite.

3 Sciendum verò, malorum omnium fontem eſſe incredulitatem, bonorum autem fidem. Hinc Dominus dicit, Ioannis tertio capite, credentem habere vitam æternam: & non credentem iam iudicatum eſſe. Cæterũ vbi fides eſt, ibi ſunt & bona opera. Nã poſtquam homo fide iuſtificatus eſt, & iam fide Chriſtum poſsidet, & nouit eum eſſe iuſtitiam & vitam ſuam, certè non erit ocioſus, ſed vt bona arbor, proferet bonos fructus. Quia credens habet Spiritum S. vbi is eſt,

non

non sinit hominem esse ociosum, sed impellit eum ad omnia exercitia pietatis, ad dilectionem Dei, ad patientiam in afflictionibus, ad inuocationem, gratiarum actionem, ad exhibendam charitatem erga omnes. Hæc enim verè bona opera sunt, iuxta illud vatis Micheę sexto: Tibi ipse declarauit, ô homo, quid bonum sit, & quid à te exigat Dominus: videlicet vt æquum facias, & pietatem ames, teque submisse geras erga Deum tuum, id est, Das du glaubest vnd gottes vvort halten, liebest vnd leydest. Ille qui solus bonus est, det nobis bonum spiritum suum, qui bona in nobis operetur ad honorem & gloriam boni pastoris Iesu Christi, Amen.

CONCIO CXXVIII.

Iohannis 6.

HAEC est autem voluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnib. quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Hæc est autem voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam æternam & ego suscitabo eum in nouissimo die.

1

QVoniam Christus de cœlo descēdit, vt voluntatem Dei exequatur, quæritur quid sit voluntas Dei? Respondet Christus, (qui verus est Mercurius & interpres diuinæ voluntatis) dicens: Hæc est eius qui misit me, patris voluntas, vt quicquid mihi dederit, nihil ex eo deperdam, sed id vltimo die exuscitem. Et vt melius intelligamus, repetit, & quasi exponit, quod dixit prius: Hæc, inquiens, est eius qui me misit, voluntas (quę voluntas vt & in nobis fiat, quotidie orare debemus) vt quisquis (non enim est respectus personarum apud Dominum) filium videt (vt Simeon Luc. 2. & cæteri sancti, id est, qui verè cognoscit eum, quique timet eum) & ei credit (id est, sperat in misericordia eius: non enim satis est eum videre corporeis oculis, aut præ oculis habere: imò beati qui non viderunt & crediderunt, Ioann. 20.) vitam adipiscatur æternam (& habeat eam etiam nunc, idque spe, & verò etiam ipsare, quod ad animam attinet, quàm hîc resurgere oportet) & ego (resurrectio enim futura Christi adimplenda est virtute.) resuscitabo eum (vt totus & anima, & corpore viuificetur & saluetur) in nouissimo die (quo etiam iudicium erit) hoc est, in fine præsentis seculi, breui desituri.

Ex his

2 Ex his primùm hauriamus consolationem, cum audiamus filium Dei non in hoc descendisse de cœlo, vt dãnet aut perdat nos, sed vt saluet, & à perditione liberet omnes electos suos, quos hîc vocat πατὴρ, & spectatores ac fideles Christi filij. Habent enim non solùm cum creaturis omnibus esse, crescere, sentire, intelligere, communia, sed etiã communicationem spiritus sancti cum patre & filio: in cuius filij manu cum sint, perire nequeunt in sempiternum: imò nihil ex vnoquoque eorum perdetur.

3 Deinde & hanc doctrinam accipiamus, cuius & D. Chrysostomus meminit, quum ait: Si rapere, si absurdum aliquid facere voluerimus, è vestigio dies illa & iudicium animo inscribatur, & omni freno vehementius absurdos affectus cogitatio hæc cohibebit. Atque inuicem & nobiscum semper dicamus: Resurrectio est, & horrendum illud nos iudicium manet. Et si quem gestientem viderimus, & præsentibus bonis inflatum, idem dicamus, & reducamus in memoriam omnia hîc remansura: & si alius dolore & calamitatibus affectus ocurrerit, ad eum quoque ijsdem verbis vtamur, doceamusque has miserias finem aliquando habituras.

Inertis autem & pigri auribus insonemus desidiæ suæ pœnas daturum. Sufficiens hoc

verbum, quod omni medicina noſtram animam vehementius curet. Eſt enim reſurrectio non longè, ſed in portis. Adhuc modicum, iam iam veniet, & non tardabit. Et omnes oportet nos manifeſtari ante tribunal Chriſti, & malos & bonos: illos, vt meritò ignominia afficiantur: hos, vt in gloria effulgeant. Quemadmodum enim in hac vita iudices, malos ſupplicio, bonos honore publicè afficiunt: ita & illic, vt malos maior ignominia, bonos clarior gloria conſequatur. Hæc nos ſingulis diebus noſtris mentibus ſubſcribamus, hæc ſemper animo verſemus. Hoc pacto nulla nos præſentium cura poterit perturbare: nam quæ videntur, caduca ſunt, quæ non videntur æterna. Hęc inquam frequenter nobiſcum loquamur, & cum alijs: Reſurrectio eſt, & iudicium, & operum examina. Et quicunque fatum eſſe arbitrantur, hoc dicant, & mox huius morbi tabe curabuntur. Nam ſi reſurrectio eſt, & iudicium, non eſt fatum, quamuis plurimi id contendant. Atqui Chriſtianos reſurrectionis admonere erubeſco. Qui enim docendus eſt eſſe reſurrectionem, & ſibi non omnino perſuadet, quod non neceſſariò, & ſimpliciter & vtcunque contigerit, res ferantur, is profectò non eſt Chriſtianus. Quamobrem hortor vos & oro, omni nos malitia mundos red

damus,

damus, & omnia faciamus, vt veniam conſequamur, & excuſatio noſtra admittatur in illa die. Sed dicet fortaſſe quiſpiam: Et quando finis? Quando erit reſurrectio? Ecce quantum temporis præterijt, & nihil tale cõtigit. Sed erit, credite. Etenim ante diluuium & hos incredulos reprehendit: qui credidit, is ſolus liberatus eſt. Et temporibus Loth diram plagam illam non expectabant, donec fulgura illa & fulmina delata omnes perdiderunt. Neque his, neque temporibus Noe ne minima quidem futurorum malorum particula contigit: ſed quemadmodum cum delitijs & ebrietati indulgentes meritum repentè ſupplicium oppreſsit: ita & reſurrectio nõ in principio, ſed in medio felicitatis ſuperueniet. Ideo Paulus inquit, 1. Theſſ. 5. Cum enim dicent pacem & ſecuritatem, tunc repentinus eis ſuperuenit interitus: ſicut & dolor in vtero habentis, & non effugient. Hoc autem fit, vt ſemper ſimus in timore, & nunquam confidamus. Quid dicis non expectandam futuram reſurrectionem & iudicium? Dæmones hæc confitentur, & tu confiteri erubeſcis? Veniſti, inquiunt, huc vt nos cruciares ante tempus? Qui futurum cruciatum dicunt, & iudicium & examen & ſupplicium futurum intelligunt. Nolimus ergo prouocare Deum ſtulta audiendo, reſurrectioni dif

fidentes: quemadmodum in alijs nobis principium fuit Christus, ita & in hoc. Siquidem primogenitus idcirco dicitur ex mortuis. Quod si resurrectio non est, quomodo primogenitus esset mortuorum, cũ nemo post ipsum resurgeret? Quomodo Dei iustitia seruaretur, tot malis in felicitate, tot bonis in miseria vitam degentibus, vbi quisque secundum merita remunerabitur? Nemo recte viuentium resurrectioni diffidit, sed quotidie precantur, sanctam illam vocem proferẽtes: Adueniat regnũ tuum. Quàm est impossibile vt voluntas Dei sit irrita, & perfecta illa filiorum Dei salus, quæ à diuina voluntate pendet aliquo pacto impediatur, tam est impossibile, vt non sit futura resurrectio.

Qui sunt igitur qui resurrectioni non credant? qui sceleſti, inquinatam vitam & impuram viuunt, vt propheta inquit, Inquinatæ sunt viæ eius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius. Non potest, non potest inquam homo purè viuere, qui non credit resurrectionem, vt qui nullius sibi conscij sunt criminis, eam non modò profitentur, sed & volunt & credunt, vt remunerationẽ accipiant. Nolimus ergo Deum prouocare, sed & audiamus dicentem: Timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam: vt metu meliores & hoc malo liberati,

regno

regno cœlorum digni efficiamur: quod vtinam omnes consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem & cum quo patri gloria, simul & sempiterno viuificantiq; spiritui sancto, in secula seculorum, Amen.

CONCIO CXXIX.

Iohannis 6.

AMEN amen dico vobis, qui credit mihi, habet vitam æternam. Ego sum panis ille vitæ. Patres vestri comederunt manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis ille de cælo descendens, vt ex ipso edat aliquis, & non moriatur.

I

MOrs terribilis est: id quod cognoscitur ex aspectu exteriori ipsius mortis, seu ex affectionibus, quibus totũ corpus afficitur in hora mortis: nec non ex consideratione mortis ipsius in se: Est enim mors non solùm dissolutio corporis & animæ, seu, vt Cicero inquit 1. Tuscul. Discessus

animæ à corpore, sed etiam separatio atque discessus vtriusque ab vniuerso mundo, & his quæ in eo sunt, id est, à bonis temporalibus & bonis amicis.

2 Hæc cum ita sint, oportet vt nos in tempore muniamus aduersus terrores mortis, idque non tam ratione ethnica, humanisque argumentis, quàm veris & solidis, hoc est, diuinis rationibus.

Gentium argumenta talia sunt: Cogita, inquiunt, non tibi soli, sed & omnibus similiter moriendum.

Satius autem est semel mori, quàm semper in horrore periculoque mortis versari. Cogita etiam, quàm misera sit hæc vita: ex qua cum emigrandum & discedendum est, gaudendum potius, quàm dolendum. Cogita porrò, quo pacto nostra anima dum in carne, sit veluti in tenebroso & immundo carcere.

Sed hæc argumenta omnia refelli possunt. Ergo alibi nobis solatium contra mortem quærendum est,

Inueniemus autem consolationem aduersus metum mortis, non nisi in vera & æterna vita, hoc est, in Iesu Christo, qui mortem vicit, & suos etiam à mortis timore liberauit, Hebr. 2. cum illum in oliuarum monte pro illis tulit. Ipse enim est panis ille vitæ, ex quo si

quis

quis edit, viuet in æternum, id est, qui credit in illum nō morietur. Nam ipse est qui abstulit causam mortis, nempe peccatū. Ergo qui confidit illi tutus est à morte. Hac verò consolatione carent omnes infideles, etiamsi videantur prorsus nihil timere.

3 Quoniam autem frequenter inculcat dominus hoc, quòd in se credentes vitam æternam habeant: expendamus semel, ob quam causam credentib. in Christum vita æterna ascribatur, cuius vitæ spes omnem inanem terrorem mortis expellit. Si credentes respicias, quid aliud in se sunt, quàm peccatores? Peccator certè vita ęterna dignus nō est. Ipsa etiam fides, cum talis sit, vt & in peccatore locum habeat, quomodo per se digna est, cui vita ęterna tribuatur? Reliquū ergo est, vt causa huius dicti, Qui credit in me, habet vitam ęternam, nec in credentib. nec in fide credentium, sed in eo, in quē creditur, quęratur. Hîc geminam causam inuenimus, in patre vnā, in Christo filio eius alteram. De ea quæ in patre est, suprà meminit, dicens: Hæc est voluntas patris, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam ęternam. Ergo prima causa est patris voluntas. De altera loquitur hoc loco. Postquam enim magna assęueratione dixit: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam ęternā, velut

rationem huius daturus, subiecit: Ego sum panis ille vitæ. Si rationem quæras, quare inebrientur, qui vinum bibunt, non poteris certiorem ac veriorẽ reddere, quàm primũ quod Deus ita voluerit, deinde vino hoc dederit, vt sit potus natura sua inebrians, quod de aqua dici non potest. Si roges quare moriantur, qui cicutã bibunt, in promptu causa est, quod potus ille ex voluntate Dei mortificandi vim habeat. Si roges, quare nemo médicus frustrà christiani ac diuitis ædes pulset, non poteris certius aliquid audire quàm primũ, quòd nolit panẽ petenti negare, deinde quod habeat vnde dare queat. Ita hîc de Christo audis, quòd vitam æternam in illum credentes habeant. Accipe rationem: Quia primũ hæc patris voluntas est, deinde quia Christus est panis vitæ, id est, viuificandi virtutẽ habens. Non est igitur fidei nostræ, in se, virtus ista viuificandi adscribenda, sed pani huic vitę, qui solus viuificare potest. Quid enim quęso magni est, quod credimus, cum innumeri sint, qui alius in Mahometẽ, alius in antichristum Romanum, alius in nescio quos mortuos credant? Refert itaq; plurimum in quem credamus. Donet nobis dominus Deus pater cœlestis, vt in Iesum Christum filium eius & credere possimus, & in fide eius vsq; ad finem stare atque perseuerare, Amen.

CON-

CONCIO CXXX.

Iohannis 6.



GO sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternũ. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Decertabant ergo Iudæi inter se, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem illam suam dare ad edendum? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: ita & qui ederit me, viuet ipse quoque propter me &c.

1

CVm & peccatis mortui, & propter peccatum morti obnoxij simus, videndũ erit, quo pacto à morte tũ animæ, tum corporis liberari possimus.

Primò autem sciendum est, quis nam ille sit, qui vita est, & vitam dat. Est aũt Christus, qui ait: Ego sum panis viuens, id est, cibus vitæ & seruator, extra quem non est vita cuiq̃. Deinde, quomodo quis ab eo vitam accipere queat: nempe, si ederit ex hoc pane: qui panis, inquit Dominus, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. *Dictione verò* carnis totus homo intelligitur: nam Christus & animam suam, adeoq; seipsum dedit pro nobis, Iohan. 1. Io. 1. Tim. 2.

2 Cæterùm verba Christi, de comedendo pane viuo, & tradenda carne sua pro mundi vita, carnales carnaliter accipiunt, ideoque offensi inter se altercantur. Cæterùm idem Christo hîc accidit à Capernatis, quod & alibi à suis auditoribus: vt cum loqueretur de regeneratione, Ioan. 3. de aqua vitę, Ioan. 4. de templo corporis sui, Ioan. 2. de fermẽto Phariseorum & Saducæorum, Matth. 16. de somno Lazari. Ioan. 11. de morte æterna, Ioannis 8. de Helia, &c. Quæ enim spiritualiter erant dijudicanda & intelligenda, hæc carnaliter sunt accepta.

Porrò

Porrò Christus non respondit ad illorum disceptationem, quomodo carnem ipsis dare posset: sed insuper ostendit hoc non solùm posibile esse (sua ratione) sed etiam necessarium ad vitam. Dicit enim: Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.

3 Cauendum autem est (quemadmodum Vuol. Musculus monet) ne quæ hoc loco de esu carnis ac potu sanguinis sui Christus loquitur, ad sacramentalem illam corporis ac sanguinis illius participationem trahamus, quam (non hîc, sed postea demùm) in vltima cœna instituit, & Apostolus in priori epistola ad Corinthios commendat. Quàmplurimi namque credentium sacramentalem illam corporis ac sanguinis illius communicationem nunquã consequuti sunt, nec cõsequi potuerunt, & tamen nihilo secius cibo & hoc potu vitæ æternæ vera in sanguinẽ Christi fide potiti sunt. Multi (inquit Brentius in capit. 6. Lucę) sunt Christiani sub Turca captiui, qui non possunt vti sacramento cœnæ Dominicę: ergo ne damnabuntur? Nequaq̃, si modò veram in Christum fidem habeant. Nam euangelica libertas (vt Ioan. Spangenberg. testatur) docet non solùm, quod cæremonijs non iustificemur sine fide, sed etiam quòd necessitas excuset nos si impediamur,

quò minus vti illis cæremonijs posſimus: vt ſi aliquo caſu non poſſet alicui contingere baptiſmus, is ſi verè crederet in Chriſtum, tamen ſine cæremonia ſaluus fieret. Videris Auguſt. Serm. ad infant. Lib. 4 de bapt. cont. Donat. cap. 22. D. Luther. in Poſtil. ſuper Euangel. Marci 16. quod exponi ſolet in quibuſdam eccleſijs in die aſcenſioni Chriſti dicato. Et D. Ioann. Oecolampadium, laudabilis recordationis, in Dialogo de Euchariſtia: vbi inter cætera ſic ſcribit: Nobis certum eſt, etiamſi ſacramenta accipiant impij, quia tamen fide & ſpiritualibus guſtibus reſpuunt, Iudas fore, & ad regnum Dei non pertinere, eóque cœleſti conuiuio eijci. Fideles verò etiam his non acceptis, modo abſit contemptus, in Chriſto eſſe, & Chriſtum in ipſis dicimus. Errarunt ergo patres qui hæc Chriſti verba ad ſacramentalem carnis Chriſti communicationem traxerunt, ideoque & ſacramentum altaris infantibus neceſſarium fecerunt. Sed & hinc manifeſtum eſt, non loqui Dominum hoc loco de ſacramentali carnis ſuæ eſu, ſed de eo qui in ſpiritu fit per fidem: quòd inquit, Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã. Nam alioqui plurimi ſunt, qui in ſacramentaria illa cõmunicatione non ſolum vitã non edant, ſed inſuper & iudicium & condemnationem,

tionem, inueniant, 1. Corinth. 11. Hoc enim discrimininis est inter sacramentalem perceptionem carnis Christi, & spiritualē, quod illa benè à pijs, malè ab impijs: hæc verò non nisi bene, & ad vitam à pijs fieri possit. Proinde curemus, vt nō solùm sacramento tenus, sed & spiritualiter ac fructuosè carnem Christi edamus & sanguinem eius bibamus.

Sacramentaliter edunt hanc & pij & impij: pij verò non solùm sacramentaliter, sed & spiritualiter, impij non spiritualiter, sed sacramentaliter tantùm, quia illi non ore tantùm corporis, sed & ore fidei, isti autem non ore fidei, sed tantùm ore corporis edunt: ideoque *illi* vitam, isti verò iudicium manducant, non dijudicantes corpus Domini. Vnde Diuus Augustinus in Iohann. Tractatu vigesimoseptimo: Multi modò nobiscum manducant & bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.

Quid est ergo comedere Christi carnem, & bibere eius sanguinem? Est cum participatione Christi ipsius (cuius caro, seu corpus nō ventris, sed mentis, seu fidelis animę, cib. est) eam vtilitatē percipere, quam ipse suę carnis & sanguinis precio (h.e. sua obedientia, q̄ tanta fuit, vt vitā pro nobis profuderit) nobis peperit. Est aūt ea vtilitas, venia peccato-

rũ & ſpiritus iuſtificus. Vel comedere Chriſtũ eſt Chriſti ſpiritum ſiue naturã (id quod fit credendo) comedere, hoc eſt, ex iniuſto iuſtum fieri, quæ res animæ eſt ſalutaris & vitalis. Nam in huius cibi perceptione ita res geritur, vt craſsiore exemplo vtamur, veluti ſi lupus ederet ouem, & ouis eſſet cibus tantæ virtutis, vt mutaret lupum, & faceret ex eo ouem. Ita nobis manducantibus Chriſti carnem, cibus ille tantam vim habet, vt in ſuam naturam nos immutet, & ex hominibus carnalibus peccato & morti obnoxijs faciat ſpirituales, ſanctos & immortales, quales etiam iam ſumus, quanquam in fide & ſpe, nec dum enim eſt reuelatum: in die glorioſi aduẽtus Chriſti, quem hîc nouiſsimum diem vocat, clarè id videbimus.

Ad vitam ergo nobis haudquaquam ſatis eſt, quòd carnem ſuam filius hominis in cruce pro mundi vita dedit, niſi hanc etiam edamus. Non enim fruſtra inquit Dominus Ieſus Chriſtus: Si quis ederit ex hoc pane (ſcilicet viuo, qui de cœlo deſcendit) viuet in æternum. Et, qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam ęternam. Et, qui ederit me, viuet ipſe quoque propter me: Hoc eſt (vt ſuprà dixit) Qui credit in me. habet vitam æternam. Nam edere panem

vitæ,

vitæ, edere ipsum Christum, edere carnem filij hominis & bibere sanguinem eius, nihil aliud est, quàm fide vera Christi ipsius, ac redemptionis per oblationem carnis, & effusionem sanguinis illius humano generi acquisitæ participem fieri. Etenim huic demum fidei iustitiæ coram Deo communicatio tribuitur.

Sic Apostolus Rom. 3, dicit, Iustificátur gratis per gratiá ipsius, per redemptionē quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Carnem hanc filij hominis edit, & sanguinem eius bibit, qui in filium hominis, tanquam vnigenitum Dei ac redemptorem mundi credit, quòd videlicet carnem ac sanguinē suum quorum nostri gratia nobis est conformiter particeps factus, in cruce pro nobis Deo patri hostiam reconciliationis ac redemptionis obtulerit, perque hanc oblationem vitam in se credentibus recuperarit.

Hæc fides, in carnem ac sanguinem filij hominis, quia non solùm promissionem vitæ, sed & vitam ipsam habet, quæ per carnem est & sanguinem illius parta, rectè edendi ac bibendi metaphoris exprimitur. Sicut enim vitam hanc corporis secundum vsitatum naturæ ordinem nemo mortalium, vel habere, vel retinere potest, nisi cū in vtero materno tum

in lucem æditus necessaria cibi ac potus potiatur alimonia, ita certè nemo veram & æternam vitam habebit, nisi cœlestis huius alimoniæ, carnis videlicet ac sanguinis Christi virtute & efficacia pascatur, qua nemo potiri potest, nisi hanc fideli mente credendo ac fidendo apprehendat. Sic Cyprianus in sermone de cœna Domini, de carnis ac sanguinis Domini esu & potu scribit, dicens, Potus & esus ad eandem pertinent rationem: quibus sicut corporea nutritur substantia & viuit, & incolumis perseuerat: ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur, & quod est esca carni, hoc animæ est fides: quod cibus corpori, hoc verbum spiritui, excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agũt alimenta carnalia temporaliter & finaliter. Et Augustinus Tractat. 25. in Ioannem (de Physica & crassa, quam Capernaitæ somniabãt, manducatione loquens) Vt quid paras dentes & ventrem? Crede & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare. Idem de doctrina Christiana libro tertio capite decimo sexto. Si præceptiua inquit, loquutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut vtilitatem & beneficentiam iubens, non est figurata locutio. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficentiam vetare, figurata est.

Nisi

Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur iubere (Nam vtidem Augustin. scribit lib. 2. cap. 9. cont. aduers. leg. & proph. horribilius videtur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere.) Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Vtinam huius ingentis beneficij nulla nos vnquam capiat obliuio, Amen.

CONCIO XXXI.

Iohan: 8 Cap.

Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.

I

Magnam esse virtutem sermonis Domini nostri Iesu Christi, ostendit hæc sententia, atque vsque adeo magnam, vt qui seruauerit illum, mortem non sit visurus in æternum. Vt enim sermo ille, semen est

immortale & in æternum manens: sic etiam renati ex eo in æternum non morientur. Hoc esse verissimum nullus dubitare debet. Quoniam Christus, qui veritas est, & in hoc natus, vt testimonium ferat veritati, ipse dicit: Amen amen dico vobis, si quis (hæc particula omnes mortales comprehendit, neminem excludit,) orationi meæ paruerit, morte non videbit in æternum. Hoc qui crediderit, non solùm libenter accedet sanis sermonib. Domini nostri Iesu Christi, sed etiam, multis alijs à Christo desciscentibus, dicet syncero ac vero corde cum Simone Petro, Ioan. 6. Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.

2 Quoniam autem hanc virtutem sermonis, id est, doctrinæ Domini non experiuntur, nisi seruantes illum: quid est illum seruare? Est illum non solùm audire, sed etiam credere, diligere, et vitam iuxta eum instituere. Nemo enim seruat atq; custodit illum tanquam summum thesaurum, nisi eundem diligat. Quod namque odit quis, hoc non retinet, sed reijcit. Nemo aũt diligit illũ, nisi ei credat. Quomodo aũt quis crederet in illum, nisi eum audiret? Fides. n. est ex auditu, Rom. 8.

Vel, seruare Domini sermonem, est seruare eum non in libro tantùm, nõ auribus duntaxat: nec solùm in memoria, sed in corde fideli

deli ac firmo, & seruare præceptum Domini. Et hoc est præceptum eius, vt scriptum extat 1. Iohann. 3. vt credamus nomini filij Dei Iesu Christi, & diligamus nos mutuò. Hinc Chrysostomus super hæc verba Christi: Hîc non modò, inquit, fides intelligenda est, sed vitæ etiam puritas.

3 Cęterum mortem non videre in ęternum, non vno modo intelligi potest. Si enim (vt verisimile videtur) mors æterna, vel secunda qua homo separatur à Deo vita sua, intelligitur, non videre mortem in æternum, erit liberari à morte æterna, nec damnationem experiri, sed ab ea tutum esse. Sin autem corporea illa & temporaria mors intelligitur, non videre ipsam, erit potentiam & amaritudinem illius non sentire, & ab illa non terreri, sicut impij terrentur, vel non curare illam. Quoniam pij, spe iam nunc saluati, reputant, non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur erga nos, Rom. 8. Et mortem corporis experiri, illis non est experiri veram mortem, sed magis obdormire: sicut corpore in hac vita viuere, non tam est verè viuere, quàm vmbram quandam vitæ gestare. Ergo Christiani verè viuunt, nec vnquàm moriuntur, quantumuis in hoc seculo mortuis quàm viuentibus similiores appareant, & perinde atque reliqui corpore mo-

riantur. Vt & nos omnes verè & semper viuamus, det nobis Dominus Deus noster corda honesta & bona, vt in ijs sermonem Christi (qui sermo vitæ est, & non, nisi retinçatur, viuificat) possimus retinere, & fructum afferre per patientiam, ad gloriam & laudem Dei in Christo Iesu, Amen.

CONCIO CXXXII.

Ioann: 10.

OVES meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea.

1

VIta nostra præsens breuis, incerta, & çrumnosa est. Nullus enim vnquam vixit mille annos: quanquam & mille annos viuere non est diu viuere. Sunt enim mille anni apud Dominũ vt vnus dies. Hinc non frustra comparatur vita nostra vmbræ, bullę, vapori, flori &c. Quàm verò instabilis, quoti die experimur. Morien dũ enim est, sed quando, vbi & quomodo, ignoramus. Adhæc quãtis & quot miserijs obnoxia est vita nostra?

Si quis

Si quis vnam horam suauiter viuit, cogitur postea decem aut plures cum molestia consumere: imò nihil tam suaue est, quod nõ habeat aliquid amaritudinis aspersum. Nunc foris affligimur, nunc intus tentamur &c.

2 Hæc cum ita sint, quare non quærimus aliam vitam, quæ sit æterna, adeoque beata? & quare non subijcimus nos pastori Christo & reddimur eius oues? Hisce enim promittitur vita æterna: Ego, inquit Christus, cognosco eas (scilicet oues meas) & ego vitã æternã do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquã (etsi maximè velit ac conetur) de manu mea &c. Id est, ego non solum noui earũ cor, os & manus, sed etiã curo eas, & me illis familiarem præbeo, eas nutrio, seruo, beo, vinifico, securos reddo, ita vt nemo queat illarum gaudiũ ab eis tollere. Ipsę sunt illi benedicti patris mei, quibus dicturus sum in die iudicij, venite, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi. O quàm felices sunt qui donum vitę æternæ accipiunt, nec perire possunt: quãuis multa externa bona, ipsamq; præsentem vitam amittant?

3 Quid aũt requiritur ab ijs, qui oues (nõ errore aut stoliditate, sed) Christi esse volũt? Audire vocem Christi pastoris (.i. doctrinã euangelij) & sequi eum. Ad fidem. n. in Christũ Iesum est necessarium, vt vocę eius audiamus,

Primum enim ea demum vera & syncera fides in Christum est, quæ & voci illius respondet, & ex ea oritur. Deinde & ipsa vitæ institutio, ad vocem est præceptoris nostri disponenda. Etenim non solùm ad se nos vocat voce sua dulcissima, superante omne m musicam, Christus, quidque, & in quem credere, sed & quid viuere debeamus, docet. Itaq; qui vocem Christi non audit, nec rectè credere, nec vitam suam legitimè ac piè instituere potest.

Vt autem nos non modò præcipientem Dominum, sed etiam exemplo suo ad virtutis fastigia prouocantem haberemus: Christus dominus ipse nos non solùm doctrinæ auxilio & gratiæ, sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accendit. Nostrum igitur est exemplar eius intueri ac sequi, id est, ambulare, sicut ille ambulauit, vt in eo manere & vitam æternam habere possimus. In quibus autem sequi? vtique in obedientia & dilectione erga Deum, in facienda non nostra, sed patris voluntate, in quærenda non propria, sed patris gloria: item in amore hominum, in quærenda non propria vtilitate, sed proximi salute: in humilitate, innocentia, patientia, &c. Hæc enim omnia & Christus Dominus fecit, per quem fideles non solùm in futurovitá æternam possidebunt, sed etiam in hoc

in hoc seculo ius & obsignationem illius fide accipiunt. Huic igitur sit gloria in omnes ætates seculi seculorum, Amen.

CONCIO CXXXIII.

Ioann. II.

POST hæc dicit eis: (Iesus) Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius, at illi putauerunt quòd de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis quòd non fuerim ibi. Sed eamus ad eum, &c.

1

QVid sit sentiendum de morte hominũ & præsertim piorum, docet Christus, cùm illá vocat somnum: quemadmodum & alijs locis quàmplurimis Scriptura de mortuis tanquam de dormientibus loquitur, vt Matth. 9. 1. Corinthior. 7. 11. 15. 1. Thessal. 4. Act. 7. 13. Dan. 12. Deuteron. 31.

Hinc est quod veteres locum sepeliẽdis mortuis deputatum κοιμητήριον, id est, dormitorium, sic loquendo, vocarunt. Et nonnulli somnum fratrem mortis appellitarunt. Cicero autem & Ouidius, imaginem mortis: Mortem contrà esse dicit Chrysostomus Hom. 5. ad populum Antiochien: somnum consueto longioré: eò quòd similia ferè accidant, cùm sopitis, tùm defunctis. Principiò enim sicut nemo potest animaduertere, quando incipiat dormire: ita homo nescit finem suum. Est ergo semper ita viuendum, vt cupimus vitam nostram esse tempore mortis.

Deinde sicut homo lassus desiderat somnũ: sic homo laborioſus & repletus miserijs mortem.

Tertiò vt dormiens quiescit ab omni labore & cura, quam, dum vigilat, habet: sic mors finis est omnium miseriarum huius seculi, & cessatio ab operibus. Ac propterea operandum, dum tempus habemus.

Quartò sicut in dormiente vigilat anima: sic etiam homine mortuo iuxta corpus, anima manet immortalis. Quod igitur Christus dicit, Lazarus mortuus est, verum erat secundum corpus, non secundum animam. Secundum hanc enim adhuc viuebat, & etiamnum viuit Lazarus. Et tamen rectè, non dicit, corpus Lazari mortuum est, sed Lazarus mortuus

tuus est. Ea quippe est eorum indiuiduorum conditio, quæ ex diuersis naturis constant, vt toti dicatur accidere indiuiduo, quod vni tantum ex naturis illius accidit.

Quintô, sicut dormientium alij sentiunt læta somnia, alij torquentia: ita mortuorum alij solatio fruuntur, alij torquentur, Luc. decimosexto.

Sextô, vt de dormiente spes est fore vt expergiscatur: sic de mortuis, vt resurgant. Vnde Iudęi Cœmiterium vocant בית חיים hoc est, domum viuentium, quia qui ibi dormiunt, in die nouissimo reuiuiscent.

Septimò, quemadmodum dormiens quando resurgit, aptior & robustior efficitur quàm fuerit antea: vnde & discipuli, Si dormit, inquiunt, saluus erit: solet enim esse somnus ægrotantium salutis indicium, & Menander, ὕπνος δὲ πᾶσίν ἐστιν ὑγιεία βίου: item, ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία · ad eundem modum homo mortuus resurget incorruptibilis & in potentia.

Octauò sicut dormiens ab altero excitari facilè potest: sic etiam facile, imò multo facilius à Christo excitari potest mortuus. Nec difficilius est illi multos voce virtutis suæ excitare, quàm paucos: sicut & nobis aliquando accidit, vt plures eodem loco dor-

mientes vna inclamatione perinde ac paucos excitemus.

2 Ex verbis Christi prælectis discimus etiam remedium contra scandalum crucis. Dicit enim, Lazarus amicus noster dormit. I. mortuus est Multi enim cum aliquem bonum & Deo acceptum, mali aliquid, vt morbum, vt paupertatem, & huiusmodi perpeti vident, perturbantur, sanè ignari hoc maximè Dei amicis contingere, quemadmodum Chrysostomus monet.

3 Sunt & alia obseruatione digna in his verbis: nempe, Eam demum esse veram & sanctam amicitiam, quæ nec morte dissoluitur, qualis inter Christum & Lazarum fuit, quem ille vocat amicum, etiam cum mortuus esset.

Hac amicitia poterimus & nos potiri, si desiderio illius teneamur, & voluntati amici nos accommodemus. Sic enim Iohann: 15: dicit, vos estis amici, si feceritis quæ ego præcepi vobis.

Item Christi amicos esse etiam discipulorum illius amicos, & vice versa.

Et, Christi sermones à nondum baptizatis spiritu sancto, non rectè intelligi posse: Esse resurrectionem carnis: Christum habere potestatem excitandi mortuos: Opera

ra eius excitare fidem. Ait enim Gaudeo propter vos, quòd ibi non fuerim, vt credatis, quasi dicat, Si adfuissem, eius morbum sanassem: nunc eum in vitam reuocabo, quæ res fidem mihi apud vos magis conciliabit.

Item, fidem tantum emolumenti adferre ijs qui credunt, & credendo in cognitione filij Dei confirmãtur, vt propter eos Christus gaudio afficiatur. Fieri posse, vt in vna & eadem causa pius & contristetur & lætetur, varijs tamen respectibus. Si moritur frater, humanum est vt contristemur. Si ex ea morte vtilitatis aliquid, vel ipsi mortuo, vel alijs quibusdam acciderit, charitatis fuerit illo nomine gaudere. Hic enim Christus non simpliciter dicit, Gaudeo: sed addit, propter vos. Deinde non solùm dicit, Gaudeo propter vos, sed subiungit, Quòd ibi non fuerim. Ergo non gaudebat, quòd mortuus esset Lazarus, & contristatæ illius sorores: sed quod id in absentia sua fuerat factum. Respectu aũt vtilitatis, quam discipuli ex futuro miraculo acceperi erant, non propter suam ipsius gloriam gaudebat. Charitas hæc Christi erga discipulos notanda est hoc loco. Non potest non gaudere, si occasio detur, qua in salutis causa promoueamus, qui profectus salutis nostræ est ex fide in ipsum. Non est putandus hunc exuisse charitatis affectum. Ipse

ergo debetur laus, gloria & benedictio in secula, Amen.

CONCIO CXXXIIII.

Iohannis 11

DIXIT Martha ad Iesum: Domine si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quod quæcunq; poposceris à Deo, daturus sit tibi Deus. Dicit illi Iesus, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quod resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit ei Iesus, Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi, Etiam Domine. Ego credo quòd tu sis Christus ille filius Dei, qui in mundum venturus erat, &c.

1

EX hoc dialogo Christi & Marthæ discimus primum, esse resurrectionem omnium hominum. Dicit enim Iesus Mar-

Marthæ, Resurget frater tuus, scilicet Lazarus, iam mortuus & quatuor dies in monumento agens: quod verbum cõsolationis notandum est omnibus illis, qui propter decessum suorum ex hac vita, mœrore adflictantur. Cogitent & illi audire se ex ore Christi, resurget frater tuus, Resurget filius tuus, Resurget pater tuus &c.

Rursus dicit Martha Christo, Scio (est verò huiusmodi scientia, nempe futurorum, non talis, quam colligamus ex causis: sed quá animis credentium fides ac spes in Deum generant. Sic & Iob dicebat, capite decimo nono: Scio quòd redemptor meus viuit, &cæt.) quòd resurget (Ex fide generalis omnium resurrectionis, argumentum etiam de speciali, quæ fratris futura sit, sumit. Ad hunc modum colligamus & nos: Resurgent omnes, resurgam ergo & ego: Resurgent ad vitam æternam qui credunt in Christum: igitur & ego, &c.) in resurrectione (cum scilic. resurgemus omnes: Nam hanc resurrectionem futuram credebant plerique Iudæi, præsertim qui factionis erant Pharisaicæ, Actor. 24. Si ergo hæc mulier Iudæa credidit resurrectionem carnis, multò magis nos credere debemus) in nouissimo die (credidit ergo futurum aliquando diem, qui sit nouissimus, quo scilicet cursus huius mundi terminetur. Hanc fi-

dem irrident filij huius seculi, qui sentiunt mundum hunc duraturum in sempiternum, vide secundæ epistolæ Petri caput tertium.)

2 Deinde discimus hic, per quem & cuius virtute resurrectio omnium sit futura, nempe per Iesum Christum, qui dicit: Ego sum resurrectio & vita: quasi dicat, per quem tunc resurget frater tuus, potest & modo, quia sicut Adam est ruina & mors (in Adam enim omnes moriuntur) sic ego sum resurrectio & vita: in me namque omnes viuificantur: ego sum virtus illa Dei ad resuscitandum & viuificandum: ego sum, qui non solùm à Deo potest precibus impetrare vitam mortuo, quod & ab alijs sanctis viris factum legitur, vt Elia, Elisæo, Petro, Paulo, &c. sed ipse sum fons simul & author omnibus vitæ & datæ & reddendæ: per me reuicturi sunt qui resurgent in nouissimo die, nec quisquam omnino viuit, nisi dono meo: nec quisquam reuiuiscit, nisi per me, non solum iuxta mortem corporis, quæ non magnopere formidanda est (sicuti nec captiuo liberatio ex carcere, quæ fit per ruinam carceris formidabilis existit) sed iuxta mortem animæ, quæ omnium maximè est metuenda.

3 Postremò & hoc discimus, quid sit faciendum ei, qui resurgere voluerit, ita nó vt amplius

plius moriatur, sicut Christus resurrexit, imò vt in æternum non moriatur. Est autem credendum in Christum filium Dei propter nos missum in hunc mundum. Tantam enim Deus fidei gratiam præstitit, vt mors, quam constat vitæ esse contrariam, instrumentum fieret per quod transiretur ad vitam. Vnde Christus, Qui credit in me (inquit) etiamsi mortuus fuerit (temporaria morte, seu carne) viuet tamen (æterna vita, siue in anima, donec resurrectura est & caro, nunquam postea moritura. Est enim Dominus Deus non mortuorum, sed viuentium, Credens igitur etiam mortuus viuit: sicut non credens etiam viuus mortuus est.) & omnis qui viuit (neminem enim excludit hęc gratia, nisi incredulum) & credit in me, non morietur in æternum, id est, participes erit æternæ vitæ. Neque enim corpoream hanc & caducam vitam, sed æternam credentibus in se Christus pollicetur: nec à corporea morte, sed ab æterna suos liberaturus aduenit.

Ipsi debetur honos & gloria in æternum, Amen.

CONCIO CXXXV.

Ioann: II.

IESVS ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis impositus erat ei. Ait Iesus, Tollite lapidem, Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine iam olet: quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus, Nonne dixi tibi, quod si credideris, visura esses gloriam Dei? Sustulerunt ergo lapidem à loco, vbi is qui mortuus fuerat, erat positus. Iesus autem attollens sursum oculos, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quòd semper me audis, sed propter turbam quæ circunstat dixi, vt credat quod tu me miseris. Atque hæc cum dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. Et prodijt qui fuerat mortuus, manus & pedes habens reuinctos fascijs sepulchralibus, et facies illius sudario erat obuincta. Dicit eis Iesus, soluite eum, & sinite abire, Mul-

re. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & viderant quæ fecisset Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecisset Iesus.

I

QVomodo Iesus excitauerit Lazarum in hac narratione primùm commemoratur. Postquam enim ad monumentum venit, & lapidem tolli iussit, principiò patrem alloquutus est, à quo totus pendebat, vt nimirum calumniam inimicorum retunderet, qua cunctis persuadere conabantur, esse ipsum hostem Dei, & portenta facere non Dei, sed Satanæ virtute. Postea mortuo imperauit & voce sua viuificauit, vt opere ipso doceret quod prius verbis docuerat, nempe se esse resurrectionem & vitam: adeoque Dominum mortis & vitæ. Verè igitur Apostolus testatur Romanor. 6. Donum Dei esse vitam æternam per Christum Iesum dominum nostrum.

2 Secundò narratur, quomodo sit hoc miraculũ à circumstantib. & spectantibus Iudęis exceptum. Multi aũt ex illis crediderunt in Christum, moti signo hoc antea inaudito. Nonnulli verò adeo fuerunt peruersi, vt ex

eo vnde debebant ad credendum moueri, materiam prodendi Dominum acceperint: quod ex eo liquet, quod non simpliciter quibusuis, sed Phariſæis tanquam pertinacibus Chriſti inimicis, quæ Dominus feciſſet, indicarunt.

3 Quæritur autem, cur Chriſtus ipſe non mouerit lapidem, aut vinctum ſoluerit? Reſpondet Eraſmus cum Chryſoſtomo, vt excluderetur omnis præſtigij ſuſpicio. Poterat ipſe lapidem eadem virtute tollere, qua mortuum erat vitę redditurus: verùm malebat ad omnia quæ huiuſmodi erant eorum opera vti, qui præſentes aſtabant, ſola ſuſcitandi mortuum virtute ſibijpſi reſeruata, quò cuncta ad maiorem miraculi euidentiam ſimpliciter ac manifeſtè gererentur.

Quæras item, quomodo Lazarus proceſſerit ligatis pedibus? Sed quare hoc miraris: & non miraris, quia ſurrexit quatriduanus? In vtroque potentia Domini erat, non vires mortui. Tu magis expende hic quas opes, & quem ornatum reportemus ex hoc ſeculo: ſcias videlicet ſepulchrales & ſudaria. Admoneamur dicti Apoſtolici, 1. Tim: 6. Nihil intulimus in hunc mundum, nihil etiam ex illo reportabimus. Deinde cogita, ad quid mortuorum manus ac pedes reuinciantur, cum nihil amplius poſsint. Dum ſic mortui vincimur &

mur & ligamur, veluti iudicio sistẽdi, carceri in cludimur. Tertiò & illud cõsidera, ad quid mortuis facies confestim obtegantur & obuinciantur. Pars hæc corporis sicut dum viuimus præ alijs omnibus viuida est & iucunda, sic dum mortui sumus præ cæteris mortis habet & obijcit spectantibus horrorem. Cogitent hoc, qui facies suas studiosè componunt.

Præterea sciscitetur quispiam, Quur euangelista de monumento Lazari commemoret, quod fuerit spelunca impositio lapide clausa, ac pro more sepeliendi munita? Respondetur, Ne quis rem istam fraude aliqua gestam esse suspicetur. Iuxta tamen hîc expendendum est, qua ratione mortui non modo sepeliantur, & non instar bestiarum abijciantur, sed & sepulchra eorum impositis lapidibus communiantur. Hoc genus seponendi mortuorum corpora omnino innuit, in futurum illa recondi, non tanquam prorsus nunquam reditura abijci. Quorum nullus vnquam spe randus est vsus, ea solent temerè proijci ac negligi, corpora verò mortuorum non proijciuntur, sed studiosè ac diligenter conduntur. Ergo indicat ipsa consuetudo sepeliẽdi mortuos, spem esse residuam denuò illos restituendi: ideoque impositis lapidibus caueri, ne qua illis iniuria vel à bestijs vel prauis homi-

bus inferatur. Superstitiosas interim, supervacuas & sumptuosas sepulturas non laudamus.

4 Porrò cum dominum excitasse legamus tres mortuos, filiam archisynagogi, filium viduæ, & Lazarum: per quos Augustinus tria genera peccatorum significari testatur, Serm. 44. de verbis Domini: sciendum est, Lazarum tenere figuram eorum, qui sunt in peccato malæ consuetudinis, id est, qui faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, vt ipsa consuetudo mali non eos sinat videre, quia malum est: fiuntque defensores malorum factorum suorum, & irascuntur cum reprehenduntur. Tales consuetudine maligna pressi, tanquam sepulti sunt.

Ac de ijs primùm dici potest, habere eos velut magnum lapidem supra se positum, scilicet ipsam malam consuetudinem. Moles enim illa imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Ideo tales difficile surgunt, sed Christo nihil est impossibile, vt hoc miraculum in Lazaro factum probat: Mortuum sub lapide, dicit ille, esse etiam reum sub lege: at lapidem remouere, esse legis pondere remoto, prædicare gratiam.

Deinde potest de ijs verè dici, quod iam fœteant: quia natura eorũ quasi corrupta est, adeò, vt

eò, vt eis sapiant, quæ debuerant desipere, & rursum eis desipiant ea, quæ debuerant sapere. Vnde fœtidi sunt olentes hircum, corrupti & abominabiles coram Deo, angelis & pijs hominibus: quemadmodũ corpora corrupta & carnes non conditæ sale nobis fœtere solent.

Tertiò de inueteratis in sceleribus & peccatis dici potest, quod sint quadriduani (nam & mortuis, dies, anni, & tempora numerantur: Iurat autem angelus Apoc. 10. aliquando tempus non fore amplius) eò quòd ad malam consuetudinem quarto quodam progressu peruenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde: secunda consensio: tertium factum: quarta consuetudo.

Præterea de mortuis in peccatis dici potest, quod & ipsi manus ac pedes habeant peccatorum consuetudine veluti fascijs quibusdam reuinctos, vt nec operari nec ambulare possint in via Dei. Vnde Augustinus: Ligatus eram, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate.

Postremò dicitur de eis, quòd velatam sudario faciem habeant, eamq; sic obstinatione obuinctam, vt nec audire, nec videre queant, eò quòd diu in tenebris peccatorũ versati, spiritualem visum amiserint. Sed Christo saluatori nostro, qui lux mundi est, & sua vir

tute omnes tenebras dispellere potest, vitæque restituere mortuos, ac vocare ea quę non sun tanquam sint, deb tur meritò omnis honor, gloria & potestas, Amen.

CONCIO CXXXVI.

Ioann. 12.

ERANT autem quidam Græci, ex his qui ascenderant vt adorarent in festo. Hi ergo accesserũt ad Philippum qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ. Andreas rursum & Philippus dicũt Iesu. Iesus autem respõdit eis, dicens: Venit hora vt glorificetur filius hominis. Amẽ amen dico vobis, nisi granũ frumenti decidum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si verò mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam, Et qui odit animam suã in hoc mundo, in vitã æternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat

nistrat, me sequatur: Et vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, cohonestabit eum pater.

I

DVo habet narrationis huius contextus. Vnum est, desiderium Græcorum quorundam, dominum Iesum videre, & forsan etiam alloqui cupientium, quia de ipso & miraculis eius, præsertim suscitatione Lazari audiernat. Ita sumus natura comparati, vt magna teneamur auiditate videndi ea, quorum admirationem fama prænuncia mentibus nostris indidit. Magna est oculorum curiositas, vt non frustra dictum sit, Non satiatur oculus visu. Et ista curiositas plerunq; incautis magnorum malorum est occasio, quod patet in Dina filia Iacob, Gen. 34. Nonnunquam etiam magno bono cedit, sicuti reginæ Sabæ accidit, cum Salomonem videndi gratia accessisset, 3. Reg. 10. Et credibile est, istis quoque Græcis accidisse. Cum igitur istanos auiditas, quę præclara nunciantur videndi, communiter omnes teneat, quî fit quòd tam pauci sunt, qui (cum Simeone Lucæ secundo:) Iesum hunc filium Dei, de quo nobis tam multa summa admiratione digna quotidie prædicantur, & ęternas illas mansiones, quas se no

bis paraturum dixit, videre gestiant? Paucorum scilicet est ea fides, qua prædicationi & vocationi cœlesti ex animo creditur: sine qua non contingit hęc admiratio, qua oculi ad videndum incitantur.

Quòd autem hunc gentes videre gestiebant, quem Iudæi extinguere conabantur, indicium erat brevi futurum, vt regnum Dei auferretur à Iudæis, & daretur gentibus.

2 Alterum est, Christi responsum. Nihil autem addiscipulos suos de petitione Græcorũ, sed de morte sua differit. Sic volebat eos ab inani terrenæ glorię expectatione auocare. Magis enim considerabat quò discipulorum suorũ animus propenderet, quàm quid Græci peterent. Gloriam affectabãt ante crucem, & affectabant non veram & cœlestem filio Dei destinatam, sed vmbratilem & terrenam, quę plerunq; pessimis etiam hominib. contingit in hoc seculo. Mortem Christi non modò intelligebant, sed sic horrebant etiam, vt vix mentionem illius patienter ferrent. Carnalem hunc discipulorum suorum animum repressurus de morte sua disputat. Admonemur igitur & nos, vt quoties in hoc seculo terrenæ gloriæ desiderio corripimur, inducta mortis memoria, carnalis animi typhũ deprimamus. Facilè enim contemnit omnia (inquit Hieron.) qui se semper cogitat esse mori-

moriturum. Nam mors quasi ad oculum demonstrat contemptibilia esse quæcunq; quæruntur in hoc mũdo, nempe delitias diuitias & gloriam: & vanum esse laborem eorũ qui talibus intendunt. Labor quærentium delitias vanus ostenditur, quando corpus nutritum in delitijs vermibus esca datur. Tunc enim apparet eos quasi corpus vermium fuisse, qui delicatè vixerunt. Labor etiam eorũ, qui quærunt diuitias, vanus esse ostenditur, quando homo nudus in terram reuertitur: quoniam cum interierit (inquit Dauid) non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Sic & labor quærentium super alios esse inanis esse probatur, quando ambitiosus qui volebat esse super alios sub terra ponitur, & à iumentis conculcatur.

Porrò notandum hîc est, quòd Dominus mortem suam glorificationem vocat, non quòd illa in se gloriosa futura esset, sed quòd per eam ad glorificationem hanc esset ingressurus. A morte siquidẽ confestim illustrari ac declarari cœpit, quòd filius Dei esset, Rom 1. Phil. 2. Heb. 2. Ad hunc modũ nobis etiam de nostra morte sentiendũ est. Nam & illa quasi porta quædam est, ad glorificationem illã futuram, quam filijs suis Deus inde ab initio mundi parauit.

Et sicut glorificatio Christi certum tempus

diuinitus destinatum habuit: sic cogitemus & nostrę glorificationi horam esse constitutam, illamq; patienter expectemus.

2 Audiamus aũt quid Dominus de vsu acnecessitate mortis suę, per quã erat glorificationem sui acquisiturus, loquatur. Hanc enim rem non leuiter, sed cum graui asseueratione: nec apertis verbis, sed per similitudinem profert, inquiẽs: Amen amen dico vobis, nisi granum, &c. q.d. Nisi pro salute generis humani moriar, nemo seruabitur ex omnib. mortalibus, sed ego solus manebo, nec quisquã mecum veræ vitæ ac felicitatis particeps erit. Si verò mortuus fuero, ita resurgã fœcundus ac frugifer, vt innumeros mecum sim, ad cœlestem & æternam vitam perducturus.

3 Postquam verò de sua loquutus est, consequenter & de discipulorum suorum conditione subijcit, q.d. Non solum mihi hoc incũbit, vt per passionem & mortẽ glorificer: sed & vestra hæc erit cõditio, vt nisi vitam vestrã regno Dei impendatis, seruare illã nequeatis.

Ac ne quis graue putet, animam suã pro regno Dei impendere, arguit ab exemplo suo, innuens non debere iniquum videri ministro, vt herum suum sequatur.

Demùm adijcit consolationem: inquiens: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, &cæt. Quid autem requiret amplius à Domino

suo

suo ministeri, quàm vt cum illo sit vbicunq; fuerit? & insuper cœlesti honore ornetur ab omnipotente patre? Non dubitemus ibi esse regnum, vbi ipse rex agit: ibi esse salutem, vbi seruator est: ibi vitã, vbi omnium viuificator est. Paulus non desiderabat alibi esse, quàm cum Christo, Phil. 1. nec maiorem felicitatem fidelib. expectandam proponere potuit, quá vt simus in sempiternum cũ domino, 1. Thes. 4. Est autem dominus Iesus in cœlis, Ioan. 3. (illucanima & mente transferemur ante resurrectionem, teste Chrysost.) ad dexteram Dei, Rom. 8. apud patrẽ suum & Deum suũ, Ioan. 20. in regno Dei, Luc. 22. in paradiso, Luc. 23. vt & nos ibi cum Christo Iesu possimus esse & manere in æternum, oremus singuli cum latrone in cruce, Domine memento mei, quum veneris in regnum tuum, vel potius, qui iam es in regno tuo, Amen.

CONCIO CXXXVII.

Iohannis 12.

ADHVC ad breue tempus lumen vobiscum est. Ambulate donec lucem habetis, ne vos tenebræ occupent. Et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lu

çem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.

Christus dominus, quem oportuit exaltari & vitam hanc caducam cum cœlesti ac stabili commutare, vt in æternum manere, & omnibus in se credentibus salus esse posset, hoc loco non solùm Iudæis, sed etiam omnibus gentibus ambulandum esse dicit: quo nobis indicat, nos adhuc viatores esse, atque ibi non manendum vbi sumus, sed illuc tendendum, imò currendum, vbi nondum sumus. Ita enim Paulus Apostolus domini inquit, 1. Cor. 9. *Sic currite, vt cõprehendatis.* & iterum Phil. 3. *Fratres ego me ipsum nondum arbitror assequutum esse. Vnum autem illud ago, ea quidem quę à tergo sunt obliuiscẽs, ad ea verò quæ à fronte sunt, enitens iuxta præfixum signum insequor ad palmam supernæ vocationis Dei, per Christum Iesum, &c.*

2 Quòd si ambulare oportet eos, qui iã sunt in via iustitiæ, multò magis castra mouenda atq; ducenda sunt illis, qui adhuc in mũdo, & terra, & peccato existunt, in quo concepti & nati sunt, veluti in patria sua, quã Abrahami exemplo relinquere oportet, vt veniri possit ad cœlũ, ad Christum, ad verã & beatã patriã.

2 Esse autem ambulandum in tempore quoque monet. Dicit enim: Ambulate donec lucem ha-

cem habetis. &, Dum lucem habetis, credite in lucẽ. Vbi ſimul oſtendit, quomodo ambulandum ſit, nempe in fide. Quicquid. n. ſine hac fit, peccatũ eſt. Nam vt malè ambulat etiam in plana via, qui ſpinã geſtat in pede (ſemper enim ſpinam, quam ſecum fert, calcat:) ſic quoq; carens fide, quicquid facit, perperã facit propter ſuam incredulitatem. Cęterũ notandum eſt, quòd ſicut fides generat filios lucis: ſic per opera lucis declaramur eſſe filij lucis. Vnde Paul. Eph. 2. Nã ipſius (Dei. qui lux eſt, i. Ioh. 1.) ſumus opus, conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quę præparauit Deus, vt in eis ambularemus. & Gal. 6. Itaq; dum tẽpus habemus, operemur bonũ, cum erga omnes, tũ verò maximè erga domeſticos fidei. Item Chriſtus Mat. 5. Habeto beneuolentiã cum aduerſario tuo citò, dum es in via cũ illo, &c.

3 Sed quare ambulandum, idq; dum tẽpus habemus? quia adhuc ad breue tempus lumẽ nobiſcum eſt: vel, quia (vt Ioh. 9. inquit) venit nox, quando nemo poteſt operari? Per breue illud tẽpus intelligendum eſt non tẽpus corporalis preſentiæ Chriſti, ſed tempus gratię, quo p̃dicatio euangelij apud Iudęos tãtiſper durauit, dũ prorſus excęcati, regno dei planè ſunt priuati, quod poſt eiectionẽ Apoſtolorũ eſt factum, quo tẽpore illi ad gentes tranſierunt. Obſeruandum aũt eſt hoc, et metuendũ

Iudęorum exemplum, in quo videmus regni Dei lumen, ne apud eos quidē manere, quib. erant oracula Dei cōcredita, et fœderis gratia conceſſa, ſimulq; innumerę promiſsiones facte, ſi illud per incredulitatem à ſe reiecerint: vt meritò nobis timeamus, qui ex gentib. ſumus, Rom. 11. Eſt igitur nobis tēpus illud acceptum, redimendū et bene collocandum, atq; dies ille ſalutis et gratię, exortus per Chriſtū Ieſum eiusq; euangeliū, minimè negligēdus, ſed cognoſcendus. Ac ſi nollemus in lucē credere vt filij lucis efficeremur, i. Dei filij & hæredes: ſaltē idcirco, donec lucē habemus, ambulare deberemus, ne nos tenebrę & interiores et exteriores occuparent. Miſerrima. n. eorum conditio eſt, qui in tenebris verſantur: ſicut Chriſtus hîc oſtēdit, quum ait: Et qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat. itē Apoſtolus eius, 1. Ioh. 2. Qui odit fratrē ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ obcęcarūt oculos eius. Eſſe aūt captum oculis, res eſt valde triſtis & miſerabilis: vt prouerbia iſta Germanica, vulgò vſurpata teſtātur, Ein blind man/ein arm mā. Blind ſein/iſt ein herte pein. Sirac. inquit c. 22. Super mortuū plora, caret. n. luce. Et ſuper fatuum plora, caret. n. intellectu. Dulcius plora ſuper mortuū, quia requieuit. nam fatui ſuper mortem vita mala. Luctus mortui 7. dies, fatui au-

tui aũt & impij omnes dies vitæ illius. Si igitur miſera res eſſe videtur, priuari luce oculorum, cũ vel moriendũ nobis eſt, vel dũ adhuc in hoc mundo viuimus, quanto & quot nomi nib. eſt miſerius, deſtitui luce oculorũ mentis in hac vita, & luce æterna, quæ deus eſt, in altero ſeculo? Nam ſi beati ſunt, qui habent cor mundum, quia Deum videbunt: vtique miſerrimi ſunt, qui habent corda obcæcata, quia Deum non videbunt. Det nobis Dominus Ieſus, qui lux eſt mundi, illuminatos oculos mentis, vt hic per fidem ambulare poſſimus, & olim per ſpeciem: nunc per ſpeculum in ænigmate cernere: tunc autem facie ad faciem, Amen.

CONCIO CXXXVIII.

Iohannis 17.

HAEC loquutus eſt Ieſus, & ſublatis oculis in cœlum, dixit: Pater glorifica filium tuũ, vt & filius tuus gloirficet te: Sicut dediſti ei poteſtatẽ omnis carnis, vt quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verũ, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

1

QVemadmodum Christus Iesus moriturus, locutus est cum discipulis suis docendo, admonendo & consolando eos: sic etiam nos ante mortem nostram decet officio nostro fideliter fungi, & nostros sana doctrina instituere, vt & Patriarcha Iacob fecit, Gen. 49.

Et sicut Christus inuocauit patrem: sic & nos oculos nostros, non corporis modò, sed & animi tollere oportet in cœlum, quando in afflictione & anxietate sumus: & sic nos gerere, vt possimus deum verè appellare patrem, hoc est, verbum eius audire, eique credere: præmeditari horam mortis: rogare dominum vt nos resuscitet per gloriam suam, ad confitendum nomini sancto eius, quemadmodum ipse Christus mediator & viuificator noster fecit.

2 Porrò quoniam hæc vita, temporalis & breuis est, ac mox omnibus deserenda: idcirco debemus quærere aliam vitam, quæ semper est duratura: quam Christus hîc æternam vitam vocat, & in hoc sitam esse dicit, vt cognoscamus Deum patrem solùm Deum verum, & quem misit Iesum Christũ. Ego enim & pater, inquit alibi, vnum sumus. Debet autem vita hæc in isto seculo initium habere. Habenti enim datur, id est, credenti,

& pri-

& primitias ſpiritus viuificantis habenti. Eſt verò Deus cognoſcendus in Chriſto, qui bonus, iuſtus, verax, ſapiens, omnipotens & ſanctus eſt. Qui ſic videt Deum mundo corde, beatus eſt. Et tanto magis viuere tendimus, quanto magis in hac cognitione proficimus, inquit Auguſtinus.

3 Res itaque præclariſsima & ſaluberrima eſt cognoſcere Deum. Quòd ſi crederemus, omnes cuperemus ac ſtuderemus eam cognitionem aſſequi. In hac enim conſiſtit vita ſempiterna & beata: nam beati mundo corde, inquit Dominus, quoniam ipſi Deum videbunt, Math. 5. Et Sapiens ait capite decimoquinto: τὸ γὰρ ἐπίστασθαί σε, ὁλόκληρος δικαιοσύνη, καὶ εἰδέναι τὸ κράτος σου, ῥίζα ἀθανασίας, id eſt, Nouiſſe enim te (ô Deus noſter benigne, atque vere, lentè, & omnia clementer adminiſtrans) abſoluta iuſtitia eſt: & tuam ſcire poteſtatem, radix immortalitatis. Quàm felicem ſe eſſe putaret homo, ſi videre ac cognoſcere poſſet omnia quæ ſunt in terra? Sed quæſo, quid iſtud foret reſpectu cognitionis Dei, qui eſt omnia in omnibus: quem qui non videt, nihil videt, ſed & cæcus & miſer eſt: quia non videt eum, de quo Eccleſiaſticus capite quadrageſimo quarto: τὸ πᾶν ἐστιν αὐτός.

4 Poteſt autem Deus cognoſci ex creatu-

ris & Scripturis: quemadmodum id videre est, Rom. 1. Sapien. 13. Ioan. 5. Hinc est quod Dominus iubet nos aspicere volatilia cœli, & lilia agri, & mores formicæ, &c. item, scrutari Scripturas, attendere lectioni, &c.

Verùm in nullo melius, apertius, clarius, ac felicius cognosci Deus pater potest, quàm in verbo incarnato, id est, filio eius Iesu Christo, propter nos & nostrâ salutem misso in hunc mundum. Est enim expressa imago inconspicui Dei, quem qui videt, cognoscit & habet, patrem habet, cognoscit & videt, Ioan. 14. In hoc Deus ostendit suam iustitiam, veritatem, odium ac iram erga peccatum, gratiam & misericordiam in homines, sapientiam, potentiam, &c. Quæ qui cognoscit, Deum timebit, amabit, laudabit, eique credet, obtemperabit, gratias aget & habebit, &c. Denique vt in Christo cognoscemus, quomodo Deus erga nos animatus sit, quia filius Dei est & cum patre vnum: sic ab eodem quoque discemus, quo pacto debeamus affecti esse erga Deum, quia est filius hominis, & hominum vitæ perfectissima imago. Huic, quia potestatem habet omnis carnis, debetur

omnis laus, honor & imperium
in secula seculorum.
Amen.

CON-

CONCIO CXXXIX.

Actorum cap. 5.

VIR autem quidam nomine Ananias cum Sapphira vxore sua vendiderat possessionem & sepofuera de precio conscia etiam vxore sua: & allatam partem aliquam ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus, Anania, cur impleuit Satanas cor tuum, vt mentireris Spiritui sancto, & fraudares de precio agri? Nônne prorsus tibi manebat, & vænundatus in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem istam? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, collapsus expirauit. Et ortus est timor magnus super omnes qui audierant hæc. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, elatumq; sepelierunt, &c.

1

Historia illa de Anania & vxore eius Sapphira docet nos quoque, vnde sit mors, nempe

pe à peccato. Hoc enim est veluti serpens a-cedentes ad se mordens: quandoquidem dentes eius sunt dentes leonis, interficientes animas hominum, Ecclesiastici 21. Hoc interfecit primos nostros parentes, priscum mundum, Sodomitas, Israelitas in deserto, &c. Cur igitur non expellimus ipsum? Quare enim coniuges isti (vt redeamus ad Ananiam & Saphiram) mortui sunt? quod eorum fuit peccatum? num quid venditio agri, aut oblatio precij ad pedes Apostolorum? minimè. Idem enim & Ioses, & cæteri fideles fecerant. Sed simulatio, dolus cordis, mendacium, ambitio, sacrilegium, cupiditas pecuniarum (per quam, vt dicit Augustinus, Diabolus, cuius inuidia mors in mundum introijt, Sap. 2. in homine regnat, & cor eius tenet) denique incredulitas & diffidentia. Timebant enim, ne si in commune conferrent totum precium agri, postea egrent si aliqua forte necessitas ingrueret in ecclesiam. Hinc D. August. in fine lib. 7. de Mirabilib. Scripturæ. Ideo prius Ananias & Saphira in conspectu Ecclesiæ citò mortui sunt, vt Apostolica authoritas, quanta esset ostenderetur: & quàm magnum peccatum esset, quod oblatum est, iterum ab ecclesia retrahere, monstraretur, & cæteri exemplo huius castigarentur.

2 Quare autem insolita & non communi morte

morte sinat dominus nonnunquam aliquos morte perire, discimus ex illis verbis. Et ortus est timor magnus super vniuersam congregationem, id est, cœtum credentium euangelio, seu ecclesiam, & super omnes qui audiebant hæc, id est, super hostes & contemptores euangelij, qui sunt extra visibilem ecclesiam. Verè enim pij timebant, ne & ipsi imbecillitate humana ducti, & malitia diaboli impulsi, in similia aut grauiora scelera inciderent: vnde monet Apostolus 1. Corinth. 10. Qui sibi stare videtur, videat ne cadat. Est enim magna omnium hominum imbecillitas & multiplices diaboli doli, malitia & potentia. Deinde impij timore fuerunt perculsi, vt agerent in tempore pœnitentiam, ne simili modo punirentur: Luc. 13. Hinc & Deut. 17. legimus: Et auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Timendum igitur nobis est, audientes talia exempla, ne idem nobis eueniat, quod accidit illis propter peccata sua, si eadem perpetrauerimus. Neque etiam putemus, quando hoc non fit, vt è vestigio sequatur supplicium, impunita relinqui. Multi peccant qualia hi qui in Sodomis, sed ignis pluuia non descendit. Igneum enim flumen paratum est. Multi ea quæ Pharao ausi sunt, sed non eadem passi sunt quæ

Pharao, neque submersi sunt in mari rubro. Expectat enim illos pelagus abyssi. Deniq; non est Deus προσωποληπτης, aut iniustus: quia omnes peccantes & perseuerantes in sceleribus contra conscientiam similiter punit omnibus ætatibus: etsi interdum pœnam differt, quæ si homines lenitatem Dei contemnũt (Rom. 2.) infertur grauior, sicut inquit scriptor ethnicus: Lento quidẽ gradu ad vindictam sui, diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij grauitate compensat.

3 Scientes igitur, qua via coniuges isti se in mortem præcipitarint, abstineamus ab ea via, & ingrediamur per contrariam viam, quæ ducit ad vitam: ac simus veri, non fucati Christiani: sermonem Christi non solùm audiamus, sed etiam seruemus. Sacramenta enim & externa professio Christianismi (vt Lucas Lossius scribit) nihil prodest ijs, quiveram fidem non habent, neq; eam operib. dilectionis & alijs testãtur: sicut Ananiæ & Sapphiræ nihil profuit recenseri in externo seu visibili cœtu ecclesiæ, seu Christianorum, cùm hypocrisi & alijs occultis peccatis, quæ hypocrisin & fucum comitantur, essent obnoxij. Dominus Iesus fidem nobis adaugeat, & sui amoris in nobis ignem accendat, vt à morte in vitam transire valeamus, Amen.

CON-

CONCIO CXL.

Actor. 7.

ET lapidabant Stephanum inuocantem, ac dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meũ. Positis autem genibus, clamauit voce magna: Domine ne statuas illis peccatum hoc. Et cum hoc dixisset, obdormiuit.

1

QValẽ se Stephanus in passione sua & morte gesserit, Euangelista Lucas hîc ostendit. Duas autem in eo virtutes, quib. summa Christianismi continetur, & quæ ab omnib. qui feliciter mori cupiunt, requiruntur, prædicat: fidem scilicet & dilectionem erga proximum, quæ à fide separari nequit.

2 Fidem eius probat inuocatio nominis Domini. Dicit enim, Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Habet hæc oratio (quæ directa est ad Christum, non ad Abrahamum, non ad D. Petrum, non ad S. Mariam, &c.) veræ fidei confessionem, & ingentis spei argumentum. Nam terroribus mortis vndique oppu-

gnatus Christum adhuc Dominum & Iesum agnoscit, ac suum spiritum, id est, vitam suam Iesu commendans, confidit se minimè moriturum.

Tria autem hic discimus: Primum, animã hominis, non esse spiritum euanidum, id est, quæ post mortem, vt vita bestiarum dissipetur & euanescat in aera: sed esse spiritum essentialem, & separabilem à corpore & immortalem. Deinde animam non dormire vsque ad extremum iudicium: sed reuera esse & manere spiritum intelligentem & viuentem post mortem. Tertiò, animas piorum statim post mortem susci pi à Deo, & ad eius æternam & dulcissimam consuetudinem, & lætitiam cœlestem deportari ab angelis: damnatorum aũt animas deportari à diabolis post mortem ad inferos, Luc. 16.

3 Charitatẽ suam declarat Stephanus, quòd orat pro suis aduersarijs, idq; flexis genibus, & magna voce, secundum præceptum & exemplum Christi, Mat. 5. Luc. 23. Dicit autem, Domine, ne statuas illis peccatum hoc, id est, ne imputes illis hoc ad damnationem, sed clementer remittas, adeoq; pœnitentiam & fidẽ dones. Et cum hoc dixisset, inquit Lucas, obdormiuit, sc. corpore. Ergo cum bona ratione decessit ab hac vita, id quod magnum Dei beneficium est. Quanquá ob hoc nemo temere iudi-

iudicandus. Discimus autem hìc Christianorum mortem nõ esse mortẽ, sed somnum. Mortis enim tyrannis (inquit Chrysostomus hom. 17. ad Heb.) & mors reuera est illa, quando nunquam permittitur mortuus ad vitam reuerti. Quando verò post mortem viuendum erit, & vitam meliorem, non est mors illa, sed dormitio. Vt enim dormiens cubat in spe, quòd iterum sit surrecturus: sic etiam fidelis homo sub hac spe moritur. Et vt in capiente somnum vigilat anima: sic mortuo corpore, manet anima immortalis. Dominus Iesus custodiat nos ab æterno somno, atque illuminet oculos nostros, ne obdormiamus in morte, Amen.

CONCIO CXLI.

Actor. 9.

IOPPAE autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis & eleemosynis quas præstabat. Factum est autem in diebus illis, vt infirmata moreretur. Quam cum lauissent, posuerunt in cœnaculo. Cùm autem vicina

esset Lydda Ioppæ, ac discipuli audissent, quòd Petrus esset in ea, miserunt ad eum duos viros, rogantes, ne grauaretur venire vsque ad se. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes tunicas vestesq; quas faciebat, quum esset cum ipsis Dorcas. Eiectis autem omnibus foràs, Petrus positis genibus orauit, & conuersus ad corpus dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, visoq; Petro resedit. Data autem illi manu, erexit eam: & cum vocasset sanctos ac viduas, exhibuit eam viuam. Id autem innotuit per totam Ioppen, & crediderunt multi in Dominum.

I

Historiam hanc de Tabitha distribuemus in tres partes: quarum prima sit de illius vita & conuersatione. Credidit autem illa in Dominum Iesum. Huius enim discipula fuit, id est, Christiana. Declarauit quoque suam fidem bonis operibus & eleemosynis, neque dedita fuit ocio, sed fecit tunicas & vestes, proculdubio non tam pro se, quàm pro alijs, sobria Dorcas & vigilans, & ocu-

& oculis fidei cœlestia bona prospiciens. Accidit tamen vt infirmaretur: neque mirum: quia omnem hominem castigat Dominus, quem diligit. Si aũt iustus in terra patitur, impius & peccator vbi comparebit?

2 Altera pars est de illius morte: quæ, sicut omnes afflictiones piorum ad gloriam Dei, & ipsius salutem cessit: nec non ad fidelium viduarum consolationem. Postquam Tabitha diu infirma fuit, mortua est. Etsi enim fidelis erat: tamen ob reliquias peccati corpus obnoxium morti habuit. Fuit autẽ post mortem lota ex more, & posita in cœnaculo seu superiore parte domus, nec statim sepulta. Res delata est ad Petrum, Lyddæ, nõ procul à Ioppa (id est, circiter tria miliaria Germanica) versantem: qui cum aduenisset, ductus est in cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes. Nam hoc naturale est, flere scilicet ac dolere ob amissionem charorum amicorum: modò non doleamus sicut gentes: & plus defleamus eos, qui in peccatis mortui sunt. Mors enim peccatorum pessima est. Sed & opera quæ fecit Dorcas in vita sua, commendantur post mortem eius, & ostenduntur Petro à viduis circumstantibus. Manet enim memoria sanctorum in seculum seculi, Psalm. 111.

3 Tertia pars est de resurrectione Tabithæ.

Petrus enim eiectis omnibus, exemplo Christi, foras, ne lacrymis conturbetur, vtque esse posit ardentior in inuocatione, & doceret ostentationem vitandam, positis genibus, vt humilis Christi seruus, preces (quæ multum valent) fudit: & conuersus (iam robore spiritus confirmatus) ad corpus, dixit, Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, visoque Petr, resedit, &c. Hoc miraculum etsi ad confirmationem sermonis euangelici (hodie satis firmati) factũ est: tamẽ interim docet immortalitatem animarum, ac spem facit nobis futuræ resurrectionis â mortuis, cuius specimen in hac Tabitha editum est: & probat verum esse illud: Eleemosyna liberat à morte: & ducit ad regnum, Tob. 12. Math. 25. Cuius regni faciat nos participes rex regum, & dominus dominantium Christus Iesus. Amen.

CONCIO CXLII.

Actor. 13.

DAVID quidem quum suæ ætati inseruisset consilio Dei, dormiuit: & appositus est ad patres suos, viditque corruptionem. At is quem Deus suscitauit, non vidit

vidit corruptionem.

I

DOcuit Apostolus Paulus ante hæc verba, Iesum Christum non solùm mortuum esse & sepultum, secundum Scripturas: sed etiam tertio die resurrexisse à mortuis, secundum Scripturas, quarum nonnullas allegauit: inprimis autem 16 Psalmum, in quo scriptum est inter cætera: Non permittes vt sanctus tuus videat corruptionem. Iam ne quis obijceret, illic agi de Dauide, maturè occurrit Paulus, non conuenire hoc omni ex parte Dauidi, cuius cadauer putredine in sepulchro consumptum fuerit: restare ergo vt singulare sit istud Christi priuilegium. Hic enim est qui corruptionem non vidit.

2 Dauidis autem mortem ita describit Apostolus, vt simul quæ omnium nostrûm in morte sit conditio, exponat. Nam primò illum consilio Dei seu voluntate obdormiuisse ait. Non ergo ab incertis fortunæ euentib. aut hominum voluntate mortis nostræ hora dependet, sed in Dei consilio continetur, qui vt capillos nostros, ita etiam vitæ nostræ dies numeratos habet. Atqui vnum hoc aduersus pericula & mortis terrores consolari poterat. Deinde illum obdormiuisse dicit. Somnum enim Christus quoque mortem appellat: eò

quòd in hac omnibus vitæ molestijs defuncti, sub futuræ resurrectionis spe requiescimus à laboribus nostris, Apocalypsis decimo quarto. Hæc de ipsa morte Dauidis, de qua plura tertio lib. Regum capite secundo.

3 Quid autem hanc antecesserit? Paulus dicit ipsum Dauidem ætati suæ inseruijsse, vel hominibus sui temporis, ecclesiæ & politiæ Iudaicæ, idque docendo & præliando. Fuit enim propheta, rex & gubernator à Deo constitutus.

Vetus interpres Latinus, quem secutus videtur Germanus, sic legit: Dauid in sua generatione (id est, suo tempore) cum administrasset voluntati Dei, dormiuit. Hinc monemur, quorsum homines viuant in mundo, vt scilicet alij alios mutua communicatione iuuent. Neque enim sibi quisque natus est, sed inter se quasi sacro nexu colligatum est humanum genus. Ergo nisi legem naturæ euertere libeat, meminerimus non priuatim nobis viuendum esse, sed proximis nostris. Sed quæritur, an non curanda sit etiam posteritas? Respondetur: Piorum quidem ministerium posteris etiam vtile esse: quemadmodum hodie sentimus, Dauidem mortuum plus nobis prodesse, quàm magnâ eorum partem, qui nobiscum viuunt. Verùm simpliciter intelligit Paulus, fideles toto vi-

tæ cur-

tæ cursu proximis se & sua officia impendere: mortem verò illis esse quasi metam, quia tunc perfuncti sunt, quum eos Deus è mundo euocat. Nihil ergo defunctis commercij est cum viuentibus, Iesa. 63.

4 Porrò mortem Dauidis sequuta sunt duo. Collectus enim est ad patres suos, id est, reconditus est sicut Patres cæteri in sepulchro. Hæc locutio in Scripturis frequens est, & certas quoq; defunctorum animarum sedes destinatas esse, docet, de quibus Luc. 16. Ezechiel. 32. Esaiæ 14. 30. Deinde, corruptionem vidit. Ea enim Dei irreuocabilis sententia est, vt qui ex puluere originem ducimus, in puluerem conuertamur. Sed ei, qui non solùm omnipotenti sua manu cœlum & terram condidit, & omnes mortuos ex puluere terræ euocare, verùm etiam transfigurare potest corpus nostrum humile, vt conforme reddatur, corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua etiam potest subijcere sibi omnia, sit gloria in ecclesia in omnes ætates seculi seculorum,

Amen.

CONCIO XLIII.

Actorum 17.

ET tempora quidem huius ignorantiæ quũ hactenus dissimularit Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique resipiscant: eo quòd statuit diem in quo iudicaturus est orbem terrarum cũ iustitia, per eum virum, per quem decreuerat, fide præstita omnibus, quum excitarit illum ex mortuis, &c.

1

NOn solùm ad agendam pœnitentiam, id est, ad renouandam corrigendamque vitam, verùm etiam ad bene felicíterque vitam finiendam, omnino multum facit, sæpius cogitare per fidem id, quod Paulus hoc loco dicit de iudicio Domini, futuro in die resurrectionis. In quod iudicium vocabit omnes ille, qui dicit & fit: de quo Iohan. 5. Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, &c. Tunc latere aut fugere erit impossibile, Iob 34. Psalmo 139. Matth. 10.

In quo

2 In quo iudicio accusabuntur homines nō solùm à lege & Mose, Ioh. 5. sed etiam à propria conscientia, iuxta illud Rom 2. simul attestante illorū conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiā excusantib. in eo die, cum iudicabit dominus occulta hominū. & Apoc. 20. Libri apertisunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Accusabuntur à diabolis. Sæpe enim socius furis accusat furem, de illo quod fecit cum eo. Apocal. 12. scriptum est de diabolo: Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante cōspectum Dei nostri die ac nocte. Accusabuntur ab angelis: qui Ieremiæ 51. inquiunt, Curauimus Babylonem, & non est curata, &c. Accusabuntur à creaturis omnibus & singulis. Vnde Iob cap. 20. Reuelabunt cœli iniquitatem eius & terra consurget aduersus eum. & Marci 6. Quicunque non receperint vos, neque audierint vos, exeuntes illinc, excutite puluerem qui est sub pedibus vestris in testimonium illis. Vides hîc exiguum ac vilem puluerem pedibus contractum, cuius nulla cuiquam est ratio, testem futurum in nouissimo die repudiatæ contemptæq; gratiæ. Si testari potest puluis pedum Apostolicorum, adfuisse oblationem cœlestis gratiæ,

& tamen repudiatam esse: quid quæso non facient tot signa & testimonia præsentiæ eorum qui gratiam Dei annunciarunt, vtpote tanti labores suscepti, tanta pericula tolerata, tantus sanguis effusus, ipsæ ministrorum Dei habitationes, ipsa loca in quibus prædicarunt, ipsa demùm vestigia, quibus terram presserunt. Audite quotquot temerè delinquitis, latebris delicta à facie mundi abscondentes, quasi nihil sit periculi, si non agnouerit acta nostra conscientia mortalium. Si puluis pedum testimonium feret de improbis in extremo iudicio, quis euadet insons? Quis non innumeros habebit huiusmodi testes? Illa externa, cum quibus agimus, per quæ delinquimus, testimonium iniquitatis nostræ dabunt in iudicio Dei. Vide Iacob. 5. Aurum & argentum vestrum eruginauit, & erugo eorum in testimonium vobis erit. Quin magis versa vice curemus, vt probitatis vbique testimonia post nos relinquamus. Si enim verum est, quòd creaturæ Dei de nostra iniquitate testabuntur, quomodo non verum est, quòd si bene vixerimus etiam de pietate nostra testaturæ sint? Constituamus bonos testes, opera misericordiæ ac veræ dilectionis. Testes nostri sint pauperes adiuti, captiui ac ægroti visitati, peregrini hospitio suscepti, nudi vestiti. Illi multò testãtur melius, quàm

aurum

aurum & argentum eruginatum, quàm vestimenta tineis consumpta, quàm sumptus in imagines lapideas ac ligneas impensus. Illi testes assument nos in æterna tabernacula.

Præterea accusabuntur homines in die iudicij, ab iniuriam passis. Nam, vt Dauid inquit, Dominus faciet iudicium inopum, &c. Item á malitia ipsoque peccato: quemadmodum scriptum est Ieremiæ 2. Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. & quarto Esdrę 16. Iniquitates erunt, quæ accusatores stabunt in die illo.

Denique à vulneribus Christi, adeoque ipso Christo: Apocal. 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt, &c.

3 In hoc iudicio reddenda ratio erit, de anima, quæ solicitè custodienda nobis mandatur, Deut. 4. de corpore, cuius membra iustitiæ arma exhibenda esse docet Apostolus Roman. 6.

De proximis, id est, patri de filio, prælato de subdito, principi de subiecto, domino de seruo, Ezechielis 33. Hebr. 13. De maleficijs commissis, nec non de quocunque verbo ocioso, Ecclesiast. vlt. secundæ Corinthiorum 5. Matthæi 12.

De bonis operibus prætermissis, Matth. vigesimoquinto. Lucæ decimosexto. De Dei

donis acceptis, Lucæ decimonono.

4 In hoc demùm iudicio accipienda erit vel hæc sententia, venite benedicti, vel ista, Ite maledicti. O hoc tonitru horrendum Christi venturi cum potestate & gloria, & cũ iustitia iudicaturi orbem terrarum, cum ad vocem morituri inimici eius ceciderint? Iohannis 18.

Si vocem illam terribilem, Discedite à me malefici, tunc audire nolumus, audiamus nunc illam amabilem, qua nos vocat ad pœnitentiam, dicens: venite ad me, Discite à me &c. hoc est, credamus in lucem, dum lucem habemus, operemur bonum, dum tẽpus habemus: Ioann. 12. Galat. 6. Deus enim iudicabit extrema terræ, per quæ D. Augustinus intelligit extrema hominis, lib. 17. de ciuitate Dei cap. 4. quoniam non iudicabuntur quæ in melius vel deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inuentus fuerit qui iudicabitur. Vnde est illud, Sicut te inuenero, ita iudicabo. Quocirca, fratres, ante iudicium examinemus nosipsos ac iudicemus: Deo & fratri citò reconciliemur, & per fidem Dei imitatores simus, id est, misericordes, vt misericordiam consequamur, nec, cũ iudicabimur, condemnemur, Ecclesiast. 18. Matth. 5. 1. Corinth. 11. Siquidem iudicium absque misericordia erit ei, qui non præstiterit

terit misericordiam, vt inquit Iacob. 2 Et gloriatur misericordia aduersus iudicium. In quo iudicio vtinam Christus iustus iudex, sit noster aduocatus & vindex, Amen.

CONCIO XLIIII.

Actorum 24.

CONFITEOR autem hoc tibi, quod iuxta viam, quam vocant hæresim, sic colo patrium Deum, credens omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, fore, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem mortuorum, iustorum simul & iniustorum. Quin in hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere erga Deum & erga homines semper.

QVoniam nemo non cupit salutem consequi: & corde quidem creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, Romanor. 10, necesse fuerit nos scire veram rationem confitendi, id quod exemplum Apostoli Pauli hoc loco nos docet:

qui primùm fidem, de qua accusatus fuit, ingenuè fatetur, & quidem coram ethnico iudice, nempe coram præside Felice. Dicit enim Christus dominus Matth. 10. Marc. 8. Lucæ 12. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui est in cœlis. Deinde fidem suam quatuor articulis comprehendit, quibus omnes alij continentur.

Primò patrium Deum se colere ait, eum intelligens, qui cum patribus egit, & quem illi coluerunt. Est hîc præcipuus fidei articulus, vt vno vero Deo contenti, nullos nobis vel nouos, vel alienos deos faciamus. Est autem verus Deus, qui cum patribus olim agens filium promisit, & in hoc salutem hominibus contulit.

Secundò formam & modum sui cultus exprimit, dum se credere dicit omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt. Atqui omnium horum finis Christus est, de quo Mosem & prophetas testatos fuisse constat. Fide ergo in Christum Paulus Deum coluit. Vbi iam omnes fidei nostræ articuli, qui de Christo sunt, comprehẽduntur. Simul verò Pauli exemplum monet, Dei cultum iuxta scripturas, non iuxta hominum traditiones instituí debere.

Tertius articulus, quem confitetur, est resurrectio

ſurrectio mortuorum, quam ideo allegat, quia in illa omnis noſtræ ſalutis ratio verſatur. Nam niſi hæc ſpes repoſita eſſet pijs omnibus, miſerrimi omnium hominũ eſſemus, 1. Cor. 15. Vniuerſalem verò reſurrectionem agnoſcit, nõ, vt fanatici quidam, qui hanc ad ſolos pios reſtringunt. Vt enim hos pietatis prędmia in nouiſsimo die accipere oportet: ita impios æternis pœnis ſubijci iuſtum eſt.

4 Quartò, ſe huius fidei ductu in hoc vnũ incumbere dicit, vt conſcientiam tum coram Deo, tum coram hominib. integram ſeruet, q.d. Quandoquidem veram & patriam religionem in via chriſtianiſmi ſector, do etiam operam, vt in ea religione tam purã conſcientiã habeam, & tam inculparam vitã agam, vt neq; coram Deo, neq; coram hominib. vllius criminis accuſari queam. Siue enim reſpicias fidem in Chriſtum, Paulus habuit purã conſcientiam coram Deo, quia credidit ſibi peccata per Chriſtum remiſſa eſſe, ſiue reſpicias miniſteriũ euangelij prędicandi, & eleemoſynæ colligendę, habuit Paul. puram & inoffenſam conſcientiam corã hominibus: quia nec euangelium mendaciter prędicauit, nec eleemoſynas indiligenter collegit, nec quicquã furto abſtulit. Qui germanus fidei fructus eſt. Hæc n. iuſtificat homines. At qui iuſti ſunt, iuſtitiam operantur, 1. Iohan. 3. Nec fieri po-

test, vt conscientiam suam scelerum fœditate polluant, quicunq; resurrectionem fore ex animo credunt. Nullus.n. est ad studium rectè sanctèq; viuendi acrior stimulus, quàm spes vltimæ resurrectionis, vt plurib. locis admonet Scriptura. Ideo Paul. dum efficaciter hortari vult fideles, ad eius memoriam ipsos reuocat. Quare non abs re hoc loco dicit, se hac fide subnixum operam dedisse, vt purè corã Deo viueret, & iustitiam coleret inter homines. Huc pertinet illud Augustini in Psal. 31. Enarrat: Qui vult, inquit, habere bonam spẽ, habeat bonã conscientiam: vt aũt habeat bonam conscientiam, credat & operetur: quia quod credit fidei est, quod operatur, charitatis est. Largiatur nobis misericors Deus hãc virtutem, vt iuxta Pauli exemplũ quoq; possimus patriũ Deum iuxta Scripturas vera in Iesum Christum fide colere: resurrectionis spem retinere, & cõscientię puritati erga Deum & homines studere, & tandem fidei nostræ finem, animarũ salutem consequi, Amẽ.

CONCIO CXLV.

Romanor. 5.

PROPTEREA, quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introïit, ac per peccatum

catũ mors: et sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus.

1

CVm Apostolus aperuisset arcani secreta mysterij, quòd cum inimici essemus Deo per mortem filij Dei reconciliati sumus: nunc & causas, vel cur inimici fuerimus, vel cur morte filij Dei indiguerit ista reconciliatio, cõsequenter exponit: vt intuentes quãta nobis pręstiterit Iesus, imò pro nobis quanta pertulerit, radicatiore erga eum fide, & inseparabili charitate teneamur.

2 Quare autem Paul. similitudinem præsentem non perfectè posuit? Non ob inscitiã grę canici sermonis, sed data opera suppressit, qđ alioqui subijciendũ erat, quia cõmodius iudicauit vtrunq; subaudiri, q̃ palam explicari, dicit Origen. Nam si adiecisset eam partẽ, quę respondet, Sicut per vnũ hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: sic per vnũ hominem venit iustitia in mundum, & per iustitiam vita in omnes homines pertransiuit: periculũ erat, ne qui hoc audito securiores ac negligentiores redderentur: aut iã nunc inciperẽt expectare, quod postea continget: aut ne putarent hic oscitantib. obtingere, quod non sine cura studioq; cõsequimur. Proinde in cęteris, alterã partem cõmutato tẽpore reddit per verbũ futuri tẽporis

Sicut in Adam omnes moriũtur, ita in Christo omnes viuificabuntur.

3 Discimus autem hîc, vtrunque nobis ab Adamo esse profectum, & peccatum & mortem. Peccatum ergo non est à Deo, qui illud odit, prohibet, ac punit: sed diabolus & hominis voluntas causæ sunt peccati, primæ Iohannis secundo, Iacobi 1. Genes. 3. Psalmo 5. Et quia per peccatum mors, animę scilicet, cuius mortis hanc corporalem mortem vmbram meritò quis dixerit, omnes odisse peccatum debemus, quia occidit nostros & nos ipsos. Item si peccatum & mors in hunc mũdum introiuit, & in hoc mundo habitat, certũ est alienos à morte & à peccato esse eos, qui per Christum & cum Christo mortui sunt huic mundo, & cum ipso resuscitati, cum ipso etiam in cœlestibus sedere meruerunt, conuersationem non in hoc mundo, sed in cœlis habentes.

4 Porrò si ante Adam mulier peccauit, vt est primę Timoth. secundo, Ecclesiast. vigesimoquinto scriptum: quomodo per vnum hominem & non magis per vnam mulierem Paulus dicit introijsse peccatum? Quia naturæ ordinem tenuit. Non enim ex muliere posteritas, sed ex viro nominatur, 1. Corinth. 11. Si enim Leui in lumbis Abrahæ fuisse perhibetur, multò magis omnes homines, qui in hoc

hoc mundo nascuntur & natisunt, in lumbis erant Adæ. Ideo sequitur: Sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Sed Deo gratia, qui dedit nobis victoriam contra peccatum & mortem, idq; per dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

CONCIO CXLVI.

Romanorum 6.

QVID igitur dicemus? Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit qui mortui sumus peccato, quomodo post hac viuemus in eodem? An ignoratis, quòd quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus vnà cum illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam si insitiij facti sumus illi per similitudinem mortis eius: nimirum & resurrectionis participes erimus, illud scientes, quòd vetus ille noster homo, cum illo crucifixus est, vt

aboleretur corpus peccati, ut posthac non seruiamus peccato. Etenim qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & viuemus cum illo. Scientes quòd Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Nam quod mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos, reputate vos ipsos, mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, per Christum Iesum Dominum nostrum.

I

CVm lex moriendi omnibus ex æquo incumbat, & resurrectio mortuorum futura sit, iustorum simul & iniustorum: atqui soli beati sint illi mortui, qui in domino moriuntur, & ad vitam æternam beatamque sint resurrecturi in nouissimo die, qui partem habent in resurrectione prima, Ecclesiast. secundo, Actorum vigesimoquarto. Apocal. 14. 20. nostrum erit, si sapimus, omne studium, inuocato nomine Domini, adhibere in hoc, vt postquam fide iustificati sumus gratis per Dei gratiam, subministremus in fide virtutem, peccatisque mortui, iustitiæ viuamus, secundæ Petri primo, & primæ Petri se-

tri secundo: & in nouitate vitæ ambulemus: atque sic partem accipiamus in prima resurrectione. Nam resurgat in prima, qui nō vult in secunda resurrectione damnari, inquit Diuus Augustin. lib. 20. de Ciuitat. Dei cap. 6.

2 Atque hoc esse officium iustificatorum per fidem seu christianorum, multis præclaris argumentis Apostolus hoc loco probat. Primùm enim arguit ab effectu fidei & natura hominis christiani. Huius enim vita meditatio est mortis peccati, & imitatio Christi, qui non peccauit. Secundò, à voto & promissione nostra in baptismo, cuius obliuiscì planè fuerit turpe. In Christum enim vel in mortem eius baptizari, est initiari & astringi ad id quod pristinæ vitæ mori, atq; nouam in fide per Christum velimus viuere. Tertiò, ab operatione nostra, quę non est nostra, sed Christi potius, q.d. Est in nobis Christus, cui implâtati sumus, qui operatur opus suum: & audes dicere, nos conuiuere ad flagitia? Hoc enim fuerit dicere, Christum ipsum peccare. Quartò arguit à spe nostra, q.d. Putás ne nos bona resurrectionis velle amittere ignauia? Amitteremus autem, nisi imitaremur Christum in similitudine mortis, id est, nisi ita nos defungeremur peccatis, sicut ipse defunctus est vita sua.

3 Quoniam igitur officium nostrum est, vt

peccato mortui, viuamus Deo per Christum Iesum dominum nostrum, agite fratres, meminerimus, sæpè, imò nunquam, si fieri potest, obliuiscamur nouissimorum nostrorum, quorum vnum etiam est resurrectio carnis nostrę: de qua Diuus Chrysostomus Tomo primo, pagina ducēteſimatrigesimaquarta: in hunc modum scribit: Nemo resurrectioni diffidat, diabolica nanque doctrina est, & hoc annititur diabolus, non ea tantùm gratia, vt resurrectio non credatur, sed vt virtutis opera amittantur & pereant. Homo enim nisi se resurrecturum, & operum suorum rationem redditurum existimauerit, non facilè vacabit virtuti, cuius qui nullam rationem habuerit, rursum resurrectionem non credet. Vtrunque enim inuicem confirmatur, malitia ab incredulitate, & incredulitas à malitia. Item Tomo quinto, pagina quatringenteſimaquadrageſima. Etenim vt nulla illi virtutis cura est, qui resurrectionem nō expectat, quiq; credit se non daturum rationem de his, quę hîc operatus est: sed opinatur res nostras tantùm intra angustos præsentis vitę limites contineri, neq; vltra se extendere (quomodo enim virtutis vlla cura esset ei, qui nullā laborum retributionem sibi reposi tam expectat, neque peccare desinit? & quomodo à peccatis desisteret, qui nihil supplicio-

plicio-

pliciorum imminere ſuis maleactis credit, ſed permittit ſeſe fœdis concupiſcentijs, & in nullum non peccandi genus ruit?) Ita & qui ſibi perſuadet futurum aliquando iudicium, & ante oculos ſtatuit terribile hoc tribunal, & indeclinabiles expoſtulationes, & inappellabilem ſententiam, is modis omnibus conabitur, vt ſtudeat temperantiæ & æquitati, atque alijs virtutibus, & effugiat intemperantiam, temeritatem, omniaque alia vitia, atque ita vt poſsit magna virtute repellere eos, qui diuinâ calumniantur prouidentiam, dicentes: vbinam prouidentia illa? aut, vbi iuſtum iudicium? ſobrius & innocens male habet, intemperans & corruptus feliciter agit, &c. Dominus Ieſus det nobis omnibus eam gratiam, quæ nos idipſum facere doceat, Amen.

CONCIO CXLVII.

Roman. 6.

QVEMADmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

I

CVm tam vtile sit atque necessarium, fidei nostræ articulum de resurrectione mortuorum credere: audire operæpretium est, quædam argumenta, quibus ea astruitur atq; confirmatur. Sumuntur autem illa à testimonijs Sacrarum literarum, à resurrectione Christi, ab eo quòd idem iam olim quosdam excitauit à mortuis, à cõfessionibus & martyrijs piorum, ab vsu sacramentorum, ex eo quòd mortui dicuntur colligi ad populum suum, quòd mors somnus dicitur, quòd peccatorum abolitio est (de quibus argumentis nunc aliquid dicemus) nec non ab omnipotentia Dei creatoris, à creaturis visibilibus, earumque natura & potestate, & vsu, à fine hominis, & super eos iudicio, &c de quibus aliâs.

2 Locos Scripturæ testantes mortuorum resurrectionem habemus, Exod. 3. Esa. 26. Ezech. 37. Dan. 12. Hos. 6. 2. Machab. 7. 12. 14. 4. Esd. 2. Iob. 19. Math. 22. Luc. 14. 20. Iohan. 5. 11. Actor. 17. 24. 26. Romanor. 4. 6. 8. 1. Corinthior. 6. 15. 2. Corinthior. 1. 4 Ephesior. 2. Philip. 3. Colos. 3. 1. Thessal. 4. 2. Timoth. 2. Apoc. 20.

Fidem resurrectionis Christi & nostrorum corporum cohærere sic, vt qui vnum neget, alterum etiam neget, probat Paulus 1. Cor. 15.

Cùm

Cum igitur Christus resurrexerit, necesse est vt resurgant etiá eius membra, i. omnes Christiani, quorum ipse caput est: imò non solùm illi, sed etiam omnes alij homines: quoniam ipse est primogenitus mortuorum, & primitiæ eorum qui obdormierunt. Idem etiam venit & carnem assumpsit, vt eam resuscitet, & de ea, tanquam medicamentum purgans, mortem expelleret.

Et cur incredibilis videatur, vel impossibilis resurrectio mortuorum, cùm iam olim nonnullos excitatos fuisse à morte legamus: vt filium mulieris Sareptanæ, 3. Regum 17. filium viduæ Sunamitis, 4. Reg. 4. hominem quendam in sepulchrum Elisæi proiectum, 4 Reg. 13. Lazarum, Ioan. 11. filium viduæ in ciuitate Naim, Luc. 7. filiam Iairi, Marc. 5 Dorcadem, Act 9. Eutychum, Act. 20. & alia multa corpora sanctorum, Mat. 17.

Resurrectionem carnis probant quoq; confessiones eorum, qui fortiter & constanter in illis perseuerarunt vsq; ad mortẽ, contemnentes vitam præsentẽ propter spem resurrectionis vitæ æternæ, quam Dominus promisit illis, qui oderunt animas suas in hoc mundo, sicut martyres illi, 2. Mach. 7. & cæteri. Nam quis perferre (vt inqt Chryso.) tot mortes velit, si resurrectio nulla sit, vita posthac nulla?

3 Cur insuper Christi carnem ederet & bi-

beret sanguinem eius Ecclesia, si non crederet se habituram vitam æternam? sique non speraret fore, vt à Christo suscitetur in nouissimo die? Et cur baptizaretur, nisi crederet resurrectionem carnis? Nam si nihil est resurrectio (inquit Chrysostomus) pro mortuis cur baptizaris, corporibus scilicet. Ob hoc enim baptizaris, quia mortuum corpus resurrecturum credis, & mortuum non mansurum. Et verbis tu quidem resurrectionem mortuorum sonas: sacerdos verò quæ tu credis, quæ voce confiteris, tibi velut figura quadam & rebus ipsis etiam ostendit. Si sine signo credas, hic tibi & signũ confert: si feceris quod est tuum, implebit sua te gratia Deus. Quo pacto inquis? per aquam. Nam aqua mergi, aquam subire, & hinc remeare, descensus ad inferos symbolum est, & ist hinc reuersionis: atque id est quod sepulchrum Paulus Baptisma vocat, Rom. 6. Hæc ille super hæc verba Apostoli, 1. Corint. 15. Alioqui quid facient ij, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt. Quæ verba variè ab interpretibus interpretantur: sunt enim quædam in Paulinis scriptis, teste D. Petro, δυσνόητα. Quidã pro mortuis baptizari dicunt idem esse, ac quasi mortuos baptizari, vt dicitur, ille est pro excluso, id est, exclusus. Alij ὑπὲρ νεκρῶν pro νεκρὸς exponunt, vt sit sententia,

tia, ſuper mortuos, id eſt, ſepulchra mortuorum baptizantur homines: quoniam in Baptiſmo continetur myſterium mortis & ſepulturæ veteris hominis. Nonnulli per mortuos mortalia corpora intelligunt, & baptizari lauari interpretantur: quoniam Iudæi & Gentiles ſolebant corpora mortuorum lauare. Actor. 9. ſignificantes eadem reſurrectura olim munda ac pura. Sunt præterea qui ſic explicãt, quaſi dicat Apoſtolus: Si nulla ſpes eſt reſurrectionis, nihil egerint iſti, qui licet ſuperſtitioſè magis quàm piè, vice mortuorum baptiſma accipiunt, metuentes, ne non inter iuſtos reſurgat, qui ſine baptiſmo deceſſit. Id ne fiat, ſubornant aliquem, qui mortui loco reſpondeat ſe credere, ac baptiſmum cupere. Fidem probo, factum non probo. Nam vt ridiculum eſt exiſtimare, mortuo ſuccurri baptiſmo alieno: ita rectè credũt reſurrectionem futuram. Neque enim metuerent mortuo, ſi crederent, eum non reuicturum. Alij denique qui ſentiunt reſurrectionẽ aliquando accipi pro publica mortalium omnium coram throno Chriſti comparitione, de qua Math. 25. aliquando pro mortuorum vita, quæ alibi agitur, vel animarũ duratione aut perſeuerantia, ſeu immortalitate, de qua Mathæi 22. ſic ſcribunt de baptiſmo pro mortuis. Occurrit, inquiunt, ad hunc modum Apo-

ſtolus ſciolis iſtis, qui nunc perinde atq; illius tempeſtate prorepunt, & dicunt, ſomno quodam animas ſepeliri ac teneri vſque ad vltimum iudicium, quod quid aliud ſit quàm animæ immortalitatem negare, non apparet. Mos ergo erat gentibus quoq; (nam & omnis fermè cura, quam nos pro mortuis geſsimus, à priſcis gentibus ad nos eſt tranſlata) non aliter pro mortuis tingi: atque nos eorum monumenta luſtrali liquore humectamus. Probat igitur ex eorum ritu, animas eſſe immortales. Nam ſi minus hoc permittant, iam contradicere publicæ conſuetudini, qua quidam pro mortuis ſeſe tingât: quòd ſi mortuorum animas crederent ſimul cum corpore extinctas, non baptizarentur pro eis. Non quòd Paulo probetur iſta baptizandi conſuetudo, ſed vt aduerſarium ſuo iugulet gladio, cùm ſe ritum obſeruare inficiari nequit, quo ſe putat mortuis prodeſſe. Vnde colligitur, Ergo mortuorum animę viũnt. Eſtis .n. pro eis ſoliciti.

Probatur quoq; reſurrectio mortuorum ex illis verbis Teſtamenti Veteris, quibus Dominus dicit ad Moſen, Num. 31. Et ſic colliges ad populum tuum: id quod de Iacob etiã legitur Gen. 49. Nemo enim apponitur (inquit Origenes) ad eos qui non ſunt. Vnde cõſtat eſſe aliquem populum, cui Moſes poſt vitæ huius exitum dicitur applicandus.

Eadem

Eadem probatur etiam ex eo, quòd mors somnus appellatur. Scimus. n. de capientibus somnũ, quòd spes sit, fore vt euigilẽt, & quòd facilè excitari possint è somno. Idem iudiciũ de mortuis. Hinc Chrysost. super illud 1. Corinth. 15. Quidam verò dormiuerunt, Non, inquit, mortui sunt: etiam hinc resurrectionem obiter confirmans.

Porrò si credimus esse remissionem peccatorum, credamus & carnis resurrectionẽ. Est enim multò, q̃ corpora suscitare, peccata remittere maius: quod etiã Christus docet: Vtrũ facilius, inquit, peccata tibi remittuntur dicere, an, grabatũ tolle & vade? Illud certè difficilius, inquit. quia verò mihi diffiditis velut ignoto, & quod facilius est, difficilius statuitis vos, etiã hoc meę potẽtiæ vobis argumentum exhibere non grauabor. Itaq; ait paralytico: Surge, tolle, &c. Et quoniã mors cũ peccato introducta est, necesse est, sublato peccato tolli etiam mortẽ. siccato fonte, nulla ratio est, quî cõsistere flumen inde veniens possit, aut radice extirpata manere fructus. Hinc est quòd remissionẽ peccatorũ cõfessi, mox corporũ resurrectionẽ subiungimus, quod ipsũ quoq; huc nos manu ducit. Vt verò gloriosã in die iudicij resurrectionẽ consequamur, adsit nobis in hoc seculo diuina gratia, vt sobriè iustè & piè viuendo accipiamus partẽ in prima resurrectione per Christum, Amen.

CONCIO CXLVIII.

Roman. 6.

Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & viuemus cum illo.

1

SI credimus Deum esse omnipotentem (quemadmodum est iuxta primum articulum symboli Apostolici) credamus eum posse etiam mortuam carnem viuificare. Nam D. Paulus non sine causa de resurrectione nostra scribens diuinam potentiam solet loco certissimæ probationis allegare, vt Phil. 3. Cum enim dixisset, corpus nostrum humile transfigurabit, vt conforme reddat corpori suo glorioso, & amplius quiddam quàm resurrectionem promisisset, iuxta virtutem, inquit, qua subijcere sibi etiam cuncta potest. Et, 1. Corinth. 6. Cum dixisset rem incredibilem, & quæ rationibus subijci nequit, incomprehensibilitati potentiæ ipsius Christi resurrectionem remittit, non paruam hanc contra eos afferens probationem: ait enim: Et nos suscitabit per potentiam suam, authoritate fortitudinis ipsius, qui hoc faceret, con-

ret, contradicentium os obstruens. Ideo & Christus contra Sadducæos, Erratis, inquit, nescientes Scripturas, & virtutem Dei. Resurrectionem ergo diffiteri eorum certè est, qui non magnopere sentiunt de diuina potestate, inuicta scilicet, & ad omnia sufficiente; id est, non Christianorum, sed Ethnicorum, qui nec mundum à Deo conditum credunt. Nam eorundem est, non concedere Deo potestatem aliquid è nihilo creandi, & negare, illum posse suscitare, quæ sepulta sunt. Qui igitur credimus, Deum esse creatorem cœli & terræ, quur non crederemus eum quoque resuscitare posse carnem? Illud enim hoc est difficilius: sicut difficilius est minimè apparens lumen ostendere, quàm extinctam lucernam accendere: & domum quę nunquam fuerit construere, quàm desertam instaurare. Difficilius autem dicimus, non Deo (cui nihil difficile est. πάρεστι γὰρ ἀυτῷ, ὅταν θέλῃ, τὸ δύνασθαι, Sap. 12.) sed secundum nostrarum rationum consequentiam: quemadmodum pulchrè scribit Ioannes Chrysostom. Tom. 1. pag. 1136. & 233. item Tom. 5. pag. 447. Et Diuus Augustinus Tom. 10. pag. 408. dicit: Vtique plus est facere, quod nunquam fuit, quàm reparare quod fuerit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, vt Deus qui hominem formauit ex nihilo, reformet? Quomodo nos

ſuſcitare non poteſt, conuerſos in puluerem, qui ſi etiam in nihilum rediremus, facere poterat vt eſſemus, ſicut & fecit nos eſſe, cum antea nunquam fuiſſemus? Et alibi: Maiora quidem miracula ſunt tot quotidie homines naſci, qui non erant, quàm reſurgere eos qui erant.

2 Cæterùm argumenta & rationes ad confirmandam reſurrectionem mortuorum, non ſolùm ab omnipotentia Dei in creatione mundi declarata, ſumuntur, verùm etiam ab ipſis rebus creatis, vt nimirũ à Sole, qui quaſi moritur & reſurgit, quando occidit & iterum oritur, ex cuius ortu & occaſu dierum & noctium interitus & mutatio.

Item à Luna, quæ ſingulis menſibus & perit & renaſcitur.

A reliquis aſtris, quæ nunc quidem nobis euaneſcunt, nunc verò apparent.

Ab arborum natura. Videmus enim hyemis tempore vel aduentu illas ſpoliari pomis nudariq́ue folijs, ſed eas iterum verno tempore ſpeciem reſurrectionis exprimere: quoniam ſecundum domini imperium occulta quadam vi, nobisq́ue inuiſibili, folia, flores & fructus proferunt.

Item à campis & pratis, quæ æſtate tranſacta herbis ſuis ſpoliantur ac florib. ſed iterum verno tempore reueſtiũtur. Certè herba quæ

antè

antè vixit & mortua fuit, rursus reuiuiscit ex semine: sic etiam corpus nostrum reuiuiscit ex puluere.

Item à seminibus & granis frumenti, aut sinapis, aut alicuius ex cæteris. Hæc enim in terram sparsa moriuntur & dissoluuntur, & tum demum nascuntur, & in culmum fructificantem assurgũt. Interdum passerculus, aut alia auicula deuorans semẽ mali, aut ficus, aut alterius rei, auolat in locum aliquem editum, saxosum, & in foueam aliquam per diuersam corporis partem emittit. Quid fit? Semen illud subcrescit, & in arborem magnam euadit quamuis deuorãtũ per tantum calorẽ transiuerit. Demum ab ipso homine, qui aliquando aduersa valetudine amisit carnes suas, & formam roburq;, & hęc omnia Dei beneficio recuperauit. Tota igitur huius mundi administratio testimoniũ est resurrectionis futurę vt veteres Theologi dicũt, & multis asserunt atq; probant. Neq; sunt similitudines & exempla, quibus articuli fidei illustrantur, & aliquo modo confirmantur, aspernenda. Quoniam & Christus & Apostoli eius, & ante illũ Prophetæ ijsdem vsi sunt, etiam in huius materiei genere versantes. Vide Matth. 13. 1. Corinth. 15. Ezech. 37. Esa. 26.

3 Sed & creaturarum diuturnitas, virtus & ars suppeditant nobis argumẽta, credibilem

& certam facientia nobis resurrectionem vita defunctorum. Neq; n. tanta feciſſet Deus, niſi nos eſſet ſuſcitaturus, ſed diſſoluturus et redacturus in nihilum. Neq; hoc cœlum extendiſſet, neq; ſtrauiſſet terrã, non cætera omnia quæ condidit, pro hac breui duntaxat vita feciſſet. Quòd ſi pro præſenti tantum fecit, quid faciet pro futura? Quæ ſi non erit, longè nos, quàm quæ propter nos facta ſunt, hac in parte deſpectiores eſſemus. Siquidé cœlum, terra, mare, flumina, quàm nos diuturniora ſunt nec non & bruta quædã. Nam & cornix & elephantorum genus, & multa alia, vt cerui, vt corui, longiori præſentis vitæ ſpacio fungũtur. Nobis aũt & breuis & laborioſa vita eſt: illis verò minimè, ſed longa & ab omni ignominia & cura liberior. Quid igitur dic quæſo, ſeruos meliores fecit, quã dominos? Quòd ſi vis & ab hominibus coniecturam capere, paulatim tuam poteris mentem extollere. A quibus hominibus? inquis. Nõnne vides figulos, quo pacto fractum vas & informe fingunt, & qui metallorum terram fundunt, quomodo terram aurum reddunt, & ferrum & æs? Rurſum alios qui vitrum faciunt, quomodo arenam in vnum corpus continuum & lucidum transferunt, &c. Si ergo homines tanta poſſunt, qui non niſi lutum ſunt: quid eorum poteſt figulus, hoc eſt, Deus, apud

pud quem etiam posſibile, quod hominibus eſt impoſsibile?

Porrò quod ad finem atque vſum creaturarum, & præſertim ipſius hominis attinet, vide an non ex eo quoque reſurrectio carnis aſtrui queat. Deus enim, cùm ſit ſapiens, nihil temerè condidit. Vt autem cætera omnia hominum cauſa creata ſunt: ita homines propter Deum. Qui igitur illa reparat & viuificat quæ hominibus ſunt neceſſaria, & per quæ in hoc ſeculo viuant, vt mortua & putrefacta grana ſeminum, &c. quomodo, aut cur ipſos homines, propter quos & alia reparare dignatus eſt, non reſuſcitaret, vt in æternum viuant? Non enim ſine cauſa, neque temerè aut fruſtra creatus eſt homo (nam, Faciamus, dixit Dominus, Geneſis primo capite, hominem ad imaginem noſtram, &cæt) neque item ob conditoris aut rerum conditoris vtilitatem: nullius enim indiget Deus, qui creauit hominem ob ſeipſum, ſuamque & bonitatem & ſapientiam, non propter vſum aut neceſsitatem. Aut ſi propinquiorem cohærentemque ipſis creatis hominibus cauſam explores, deprehendes, ideo hominem natum eſſe, vt viueret. Non autem vita eiuſmodi, quæ pauliſper caleſceret, mox deinde in perpetuum extingueretur. Reptilibus enim exiſtimo (dicit Athenagor. de Reſurrectio-

ne) volucribus item & natatilibus istiusmodi vitam attribuit Deus: illis autem qui illius imaginem in seipsis circumferunt, vnaque cum ea mentem rerum creatricem possident, iudicijsq; rationis instructi sunt, perpetuam diuturnitatem assignauit conditor, vt suo creatore cognito, eiusque potentiam & sapientiam legibus, iustitiamque imitantes, vnà cum illis virtutibus feliciter in æternitate perennent, quibus superiorem vitam, cùm adhuc in corruptibilibus & terrenis corporibus agerent, corroborauerunt. Si igitur vniuersitatis opifex hominem fecit, vt prudentia in agendo vteretur, & vt factus spectator magnificentiæ suæ, eiusque quam vbique exhibuit sapientiæ, vnà cum horum contemplatione permaneret, idque secundum propositum & voluntatem ipsius, naturamque, quam illi ingenerauit, certè creationis causa confirmat, credibilemque facit æternam perdurabilitatem, perdurabilitas verò resurrectionem, sine qua homo perdurare nequiuerit.

4 Vera item esse quæ de resurrectione dicuntur, ostendemus etiam ex conditoris super homines iudicio, quod de illis faciet, prout vixerint: quod iudicium nemo dubitauerit quin iustissimum futurum sit. Dictat autem iustitia, vt Cyprianus ait de Resurrectione

ctione Christi: vt pietas & impietas in operatoribus debitis stipendijs donentur: id quod non fit in præsenti vita, neque post mortem, quia iam non supereſt homo: quia anima sola non est homo. Oportet igitur vt eadem corpora animabus reddantur, idque per resurrectionem, vtque secundum Apostolum, corruptibile hoc induat incorruptionem, vt vnusquisque referat iustè ea quæ per corpus gessit, siue bona, siue mala. Extincta enim omnium hominum vita, nullus apparet hominũ respectus aut cura, neq; vllũ de bene aut malè factis iudicium destinatum videtur: ingruet autem denuò & inundabit, quicquid est ex legis vitæ, reliquæque absurditates, quas istiusmodi vita, quasi comitum examen secum trahit, & vnà cum ipsis impietas Dei negatrix, quæ princeps & caput est eius vitæ, in qua sine lege viuitur.

Adhæc quemadmodum Deo non est impossibile mortuos resuscitare: sic etiam non est indignum, neque iniustum. Etenim nulla iniuria fit intellectualibus creaturis, quia illorum essentia nihil impeditur: neque irrationalibus, quia post resurrectionem non superẽrunt: neque ipsorum resurgentium animabus, aut corporibus: denique nec ipsi Deo res indigna est, corpora resoluta in integrum restitui. Si enim mortale corpus condere

non indignum illi visum est (quanquam & de istius vsu atque præstantia multa dicuntur à multis: nec non à Diuo Chrysostomo in Homili. de Resurrectione:) multo minus immortale facere.

Ac quoniam testimonium ad confirmandam corporum resuscitationem nullum maius, nullumque fortius est, quàm testimonium Spiritus sancti, de quo 2. Corinthior. 5. Qui parauit nos in hoc ipsum, Deus est, qui idem dedit nobis arrabonem spiritus: rogamus te, ô pater cœlestis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt mittas illum de cœlis sanctis tuis in corda nostra, vt propter ipsum inhabitantem in nobis viuificentur & glorificentur mortalia corpora nostra in die nouissimo, Amen,

CONCIO CXLIX.

Roman. 6

CHRISTVS excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non ampltus dominatur.

Quan-

I

QVanquam non ideo de resurrectione inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit perfectè comprehendere non valeamus, teste Augustino lib. vigesimo, capite vigesimo de Ciuit. Dei: tamen quia idem eodem in libro: sicut & in vigesimo primo, & vigesimo secundo, multa non solùm de Resurrectione, sed etiam de eius modo disputat: idcirco & nos aliquid de eare dicemus.

Quomodo igitur resurgent mortui, & quali corpore venient?

Quemadmodum Iesus Christus, primæ Thessalonicensium quarto. Non enim resurgemus sicut resurrexerunt & iam olim, & ipso crucis tempore quidam, mortui rursum (de quo videris Augustinum, Tomo secundo pagina centesimanonagesima secunda: Tom. 8. pag. 1509, Tom. 9. pagin. 166. & Chrysostomũ Tomo primo, pagina trecentesima sexagesima secunda) sed sicut Christus dominus, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, qui excitatus à mortuis non amplius moritur, sed viuit in secula seculorum, Apocalypsis primo. Ideo etiam hoc additur in symbolo, Et vitam æternam, ne mortis vlla suspicio post resurrectionem illam relinquatur.

Et quemadmodum Iesus Christus idem corpus recepit, quod crucifixum & mortuũ fuit(id quod ex vestigijs clauorum, Lucæ vigesimo quarto, Iohannis vigesimo: intelligi potest: & ex figura Ionæ, Matth. duodecimo: Non alius enim absorptus, alius in terram expositus rursum Ionas est: & ex dicto ipsius Christi Iohannis secundo: Destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.) sic etiam nos eodem corpore, Iob. 19. sed aliter comparato resurgemus, Philip. 3. Hinc Paulus primæ Corinthiorum decimoquinto: Et hoc quod seminas, non corpus quod nascetur, seminas: non quòd alia res seminetur, alia resurgat, sed melior. Alioqui resurrectione quid opus foret, nisi prestantius quod cecidit rediret? Quid enim demoliri domum necesse sit, nisi extruere splendidiorem velis?

2 Sunt autem quatuor quæ resurgenti corpori præstabuntur, vt seminatum in corruptione, surgat in incorruptione: & seminatum in infirmitate, surgat in virtute: & seminatum in ignominia, surgat in gloria: & seminatũ corpus animale, resurgat corpus spirituale: non quòd ipsum corpus sit futurũ spiritus, sed quòd viuificante spiritu immortale atque incorruptibile sit permansurum. Ista sunt quatuor, quę virga arida corporis nostri in re-

in resurrectione germinabit, vt Augustinus loquitur Tom.10.pag.810.Idem Tom. 3.pag. 207. In resurrectione, inquit, sexus forma non mutabitur. & Tom.4.pag. 549. Quoniam angelica corpora, qualia nos speramus habituros, lucidissima atque ætherea esse credendum est, & multi motus animi nostri nũc agnoscuntur in oculis: probabile est, quòd nullus motus animi latebit, cum totum fuerit corpus æthereum, in cuius comparatione oculi isti caro sunt.

3 Etsi verò communis omnibus erit resurrectio & pijs & impijs, tamen maximo cum discrimine resurgent, de quo videlicet Daniel 12. Matth.25. Iohann.5. 1.Corinthior.15. Nam si ne supplicium quidem omnium est idem (vt Chrysost. dicit Tom. pag. 356. & ex Matthæo 11.23. Luc.12. colligere licet) nec gloria sanctorum corporibus promissa eadem, sed diuersa species claritatis, quia diuersa sunt merita charitatis (vt Augustinus ait, Tom.10.pag. 914.) multò magis peccatorum & sanctorum discrimen ingens erit. Hoc considerantes vel obstinatissimi peccatores, non tot peccata peccatis addent: pij autem & sancti non modò non deficient, sed potius in pietate amplius proficient. Vt verò & nos declinatis vitijs, in omni virtutum genere proficiamus, & in fide Iesu Christi ad finem

vsque perseueremus, adsit nobis nunc & semper spiritus eius, qui excitauit Iesum à mortuis, Amen.

CONCIO CL.

Roman. 6.

ETENIM autoramenta peccati, mors: donum autem Dei vita æterna, per Christum Iesum Dominum nostrum.

1

VNde mors sit, quidúe ipsam mereatur, ex his verbis cognoscere possumus. Ait enim: Stipendium enim peccati, mors est. &, 1. Corinthior. 15. Aculeus mortis peccatum. Nam hinc fit quòd creatura illa Dei excellens, id est, homo, qui secundum imaginem Dei conditus est, & propter quem cæteræ creaturæ factæ sunt, mori cogitur, quia non credidit verbo Dei, nec obediuit ei, sed peccauit, & transgressus est præceptũ Domini creatoris sui. Ergo iure & meritò debemus mori, quia peccauimus: atq; hoc non solùm Scriptura passim docet, sed docent idem etiam exempla Scripturæ, imò & cor nostrum & os proprium quando dicimus, hunc

huncaut illum debere puniri, occidi, atque indignum esse qui vitæ luce fruatur: quare? quia hoc aut illud scelus perpetrauerit. Stipendium enim hoc (der knoppel sold) iure debetur militi Satanæ, id est, facienti opus diaboli.

2 Vt autem culpa hominis est, quòd moritur: sic gratia Dei est, quòd homo viuificatur per Christum Iesum dominum nostrum. Vnde propheta inquit, Hoseæ 13: Pernicies quidem ex te est, Israel: salus autem, seu auxilium ex me, dicit Dominus. Et Apostolus Ephes. 2. Gratia, inquit, saluati estis, &c. Quòd igitur quidam vitam æternam consequuntur cum Christo & in Christo Iesu, hoc verò est non ipsorum meriti, sed gratiæ diuinæ.

3 Hæc credentes, primùm odio habebimus peccatum: eò quòd non appellat nos illud quidem, verùm efficit ex nobis, cadauera: Macht vns zůschelmen/& occidit nos. Atque haud dubiè tantus est fœtor in cadaueribus humanis, vt admoneat nos de peccato, & excitet in nobis odium erga peccatum, quod causa mortis est & aliorum malorum innumerabilium, quibus oppressus est homo. Deinde amore prosequemur eum à quo vitam habemus & omnia bona dona & perfecta. Vt ergo fidem nostram testemur ac de-

declaremus, quæso fratres, fugiamus peccatum, vt serpentem, & Deum amemus, vt summum atque pulcherrimum bonum, eiq; seruiamus. Peccatum enim multum, imò omne genus detrimenti nobis infert: Deus verò optimus Max. multùm beneficij, atq; adeò omne bonum donum ipsámque æternam & beatam vitam, per conciliatorem Dei & hominum dat, qui Christus Iesus est, qui dedit semetipsum ἀντίλυτρον, id est, precium redemptionis pro omnibus: cui sit gloria in omne æuum, Amen.

CONCIO CL.

Romanorum 7.

MISER ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum, &c.

I

NOstram miseriam, & diuinam misericordiam sæpè considerare debemus, vt sic excitaremur, tùm ad fundendas preces, tùm ad agendas Deo gratias. Ista consideratio quoque efficeret, vt tantò libentius contem-

contempta præsente vita pergeremus ad alteram vitam, etiamsi per portam mortis ingrediendum sit.

2 Collegerunt quidam contra timorem mortis duodecim solatia, quorum aliqua ex his etiam verbis Apostoli sumpta sunt.

Primùm est, quòd ipsa mors hostem nostrum familiarem occidit, scilicet corpus siue carnem (concupiscentem aduersus spiritum) cum suis cupiditatibus, aduersus animam militantibus, Galat. 5. 1. Petri secundo. Nulla autem pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris inimicus.

Secundum est, quòd ostium nobis efficit in carcere immundo, in quo capti, alligati & constricti detinemur, in corpore scilicet. Vnde Dauid Psalm. 142. Educ de carcere animã meam. Et Paulus Philip. 1. Desiderans dissolui. Seræ & repagula ab incarceratis odio solent haberi, & non liber exitus.

Tertium est, quòd nos expedit ab onere cophini immunditia pleni. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, dicit Sapiens cap. 9.

Quartum, quòd nos expedit, vel finem imponit peregrinationi laboriosæ & amaritudinibus plenæ. Quid est enim vita mortalis, nisi via, idque propter vniuscuiusque generati festinationem ad finem, teste Basilio,

Hom.1. in Psalm.1. & quale sit fratres mei (inquit Gregorius) perpendite in via lassari, & viam nolle finiri? Idem ait, vita præsens laboribus plena est: cum luctu agitur, & tandem cum lachrymis dimittitur. Et Augustinus Serm.17. de verbis Domini: Quid est (dicit) diu viuere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu viuere, nisi malos dies, malis dieb. addere? Cæterùm teste Siracida cap. 30. melior est mors, quàm vita amara.

Quintum est, quòd lentum equum omni genere vitiorum vitiosum nobis occidendo, dextrarium optimum nobis restitui facit. Equus vitiosus corpus est. *Ab hoc equo expediri desiderabat Paulus, inquiens hîc: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* 2. Mach. 7. dixit vnus de septē fratribus: De cœlo ista possideo, sed propter legem Dei ista despicio, quia ea me recepturum spero.

Sextum est præsentis vitæ periculum. Mors portus est periculosæ nauigationis in mari huius mundi.

Septimum est mortis necessitas. Nonne contemneres eum qui inter morituros constitutus, beneficij loco peteret vltimus cruicem amputari? Idem facimus, si magni æstimamus tardius mori. Nullum maius solatium

tium mortis, attestante Seneca, quàm ipsa mortalitas.

Octauum est moriendi continuitas. Quotidie enim morimur: tota die aliqua pars vitæ demitur: & tunc quoque cùm crescimus, vita decrescit. Quid verò times, quod quotidie experiris?

Nonum, mortis propinquitas. Erras enim si in nauigatione sola putas minimum esse, quò morte vita diuiditur. In omni loco çquè tenue interuallum est. Non vbique se mors tam propè ostendit, vbique tamen propè est. Nemo autem est tam timidus, qui malit semper pendere, quàm semel cadere.

Decimum est mors Christi, qui pro nobis mortuus est & resurrexit. Estque magna consolatio membris ex capite: quòd Christus, qui est sapientia Dei patris, proposito sibi gaudio sustinuit crucem, Hebræorum duodecimo: gaudium mundi fugit, & ad mortem voluntariè venit, certissimum argumentum est, quòd mors seruis Dei timenda non sit.

Vndecimum est amantissimi & sapientissimi patris potestas. Magna enim consolatio est filijs Dei, quòd persecutionis virga est in manu patris eorũ: patris, inquam, misericordiarũ, cuius sapientiam nihil latere potest, cuius potẽtiam nihil potest superare. Vnde ve-

risimile est quòd persecutor non affliget filios eius, nisi quantum pater videbit eis expedire. Nónne enim, dicit Christus Mat. 10. duo passeres asse veneunt. & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?

Duodecimum est sequens immortalitas. Mors enim porta gloriæ seruis Dei est, per quam & Christus intrauit, cui sit honos, gloria & imperium, Amen.

CONCIO CLII.

Roman. 8.

QVOD si spiritus eius, qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: is qui excitauit Iesum à mortuis, viuificabit et mortalia corpora vestra, propter ipsius spiritum inhabitantem in vobis.

1

VIdemus sine discrimine omnes mori, siue sint viri, siue mulieres, siue iuuenes, siue senes. Corpora enim nostra sunt mortalia, imò mortua, propter peccatũ. Hoc scire & sæpe cogitare, multum prodest: de quo aliàs. Credimus autem resurrectionẽ carnis. Deus enim & Dominum suscitauit, & nos

& nos suscitabit per potentiam suã. 1. Cor. 6.

2 Quia verò non omnes eadem conditione resurrecturi sunt, vt testatur Scriptura, Daniel. 12. Iohan. quinto. & præfiguratum est in filijs Noe, Genes. 9. in ijs qui audiuerunt resurrectionem Christi, Matthæi 28. & colligere est ex eo, quòd etiam inter beatos ipsos ordo erit, 1. Corin. 15. & inter damnatos discrimen, Matt. 11. Luc. 12. Idcirco erit operã danda, vt tales fiamus, qui resurgere possimus ad vitam æternam, id est, vt mortalia nõstra corpora, quæ seminãtur in corruptione, ignominia, infirmitate, viuificentur, & conformia reddantur glorioso corpori Christi, Phil. 3. Quod quidem fiet, si habitauerit in nobis spiritus Dei, qui excitauit Iesum à mortuis: si obsignati fuerimus spiritu sancto: si oleum illud lætitiæ in nobis fuerit: si templũ & tabernaculum fuerimus spiritus Christi.

3 Vnde autem cognosci poterit, in nobis spiritum eius qui excitauit Christum ex mortuis, inhabitare in nobis? Ex fide, Galat. 3. Iohan. 7. & eius fructibus, vt confessione, Matt. 16. 1. Corinth. 12. inuocatione, Galat. 4. Zach. 12. ex vero desiderio earum rerum, quæ in oratione Dominica petuntur, Matth. 6. ex impulsu & inclinatione ad bonum, id est, ad id quod Deus & Christus est, & ad legem seu doctrinam eius, Psal. 1. Rom. 7. ex resurrectio

ne prima & nouitate vitæ, Apoc.20.Rom.6. ex proprietatibus olei, aquæ, ignis, venti, columbæ, &c. cum quibus ſpiritus ſanctus aliquo modo comparatur. Sed & ſic vnuſquiſque (dicit Origenes) habere in ſe probatur ſpiritum Chriſti. Chriſtus ſapiens eſt: Si ſit ſapiens ſecundum Chriſtum, & quæ Chriſti ſunt ſapiat, habet in ſe per ſapientiam ſpiritum Chriſti. Chriſtus iuſtitia eſt. Si quis habet in ſe iuſtitiam, per iuſtitiam Chriſti habet in ſe ſpiritum Chriſti. Chriſtus pax eſt. Si quis habet in ſe pacem Chriſti, per ſpiritum pacis, habet in ſe ſpiritum Chriſti. Sic & charitatem & ſanctificationem, & ſingula quæcunque Chriſtus eſſe dicitur: qui habet hæc, ſpiritum Chriſti in ſe habere credendus eſt, & ſperare quòd mortale corpus ſuum viuificabitur propter inhabitantem in ſe ſpiritum Chriſti.

4 Hæc cum ita ſint, neceſſarius eſt omnibus ſpiritus ſanctus. Huius vt participes fiamus, opus eſt, vt audiamus verbum Dei, Actorum 10. vt credamus, Epheſ.1. vt humiliter petamus, Lucæ vndecimo. Deus pater cœleſtis eundem quoque nobis largiatur in nomine Ieſu Chriſti,

Amen.

CON.

CONCIO CLIII.

Romanor. 14.

NVLLVS *nostrûm sibi ipsi viuit, & nullus sibi ipsi moritur. Nam siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, domino morimur. Siue igitur viuamus, siue moriamur, Domini sumus. In hoc enim Christus, & mortuus est, & resurrexit & reuixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur. Tu verò cur iudicas fratrem tuum? Aut etiam tu, cur despicis fratrem tuum? Omnes enim statuemur apud tribunal Christi, &c.*

1 Quoniam vtile est, sæpe meminisse quatuor nouissimorum nostrorum, Siracid. 7. ideo non temerè Scriptura nos illorum admonet. Mortis & iudicij Apostolus hoc loco mentionem facit, ex quibus & reliqua duo facilè colligi poterunt, nempe resurrectio carnis, quæ mortem est sequutura: & vita beata, quæ iudicium.

2 In illis verbis, Nullus enim sibi ipsi viuit,

&c. multa notanda veniunt. Redditur autem causa, cur quisq; nõ sua, sed ea quæ Dei sunt, & Deo placent, spectare debeat: quia non nostri iuris sumus, sed domini, qui nos & creauit & redemit, 1. Corint. 6.

Discimus etiam, nos Christo debere, si viuimus pietati, & si morimur vitijs. Item, dilectos Dei & vocatos sanctos (cum his enim loquitur, Rom. 1.) domino viuere, si viuunt: & domino mori, si moriũtur: quemadmodum seruus si viuit aut moritur, non suo vel alieni, sed Domini sui commodo aut incommodo viuit aut moritur.

Item, fideles etiam mortuos, domini esse, & dominum illorum Deum, Esa. 26. Matth. 22. cum alia mancipia desinant esse domini, posteaquam mortua sunt: sicuti vxores mortuæ desinunt esse vxores virorum. Demùm, Christum esse Dominum omnium.

3 Quæ cum ita sint, nemo nostrûm timeat mortem: sed Dominum Iesum, dicatq; cum D. Ambrosio: Mori non timeo, quia bonum dominum habeo. Nemo iudicet, neq; spernat alium, sed pro virili studeat quisq;, quo pacto apud dominum, qui idẽ iudex est, pro se rationem reddat. Dicit enim Apostolus Christi Paulus: Omnes statuemur apud tribunal Christi, hoc est, vt alibi scribit: Omnes nos manifestari oportet corã tribunali Christi, vt

sti. vt reportet vnusquisq; ea quę fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Ergo certissimè futurum est iudicium Domini: cuius species, vt notior hominibus fieret, iudicandi forma ex ijs, quę inter homines geruntur, assumpta est. Quocirca nemo nostrûm posthac sibi vicem domini vsurpet, aut in rebus indifferentibus quenq; temerè iudicet, sed potius quæ charitatis & pacis sunt, sectetur. Deus autem pacis & charitatis sit cum omnibus nobis, Amen.

CONCIO CLIIII.

1. Corinth. 11.

PROPTER hoc inter vos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos dijudicassemus, haud quaquam iudicati fuissemus. At cum iudicamur, à domino corripimur, ne cum mundo condemnemur.

CAusam, seu radicem, seu fontem omnium malorum, vt morborum & ipsius mortis, esse peccatum, discimus hîc ex Apostolo, vt etiam ex Deuter. 28. Nu-

mer. 12. Gen. 2. Matth. 9. Ioan. 5. Roman. 6. In primis illud genus peccati, de quo hîc loquitur Paulus, multis causa infirmitatis & obitus est. Propter hoc enim, inquit, inter vos multi imbecilles & inualidi sunt, & dormiũt, id est, mortui sunt multi. Propter quod? præcedentia ostendunt, quòd propter abusum Dominicæ cœnæ: quia indignè manducabant, id est, sine pœnitentia & fide, perseuerantes interim scientes in delictis contra cõscientiam: alij in odio, alij in ebrietate, alij in alijs sceleribus: quę per se quidem offendunt Deum, sed hæc offensio noua, tristio re offensione cumulatur, quia non discernitur corpus Domini, sed velut alius cibus quilibet, aut remedium aduersus corporis morbos, indiscretè, negligenterq; sumitur, imò contumelia afficitur.

2 Quæ cum ita sint, odio habeamus omne peccatum, & sumpturi cœnam (quam multi ignaui & ingrati christiani ferè nunquam accipere solent, nisi quando ægrotant: cum tamen vsus & consyderatio, vt promissionum Dei, sic & sacramentorum, quibus illæ obsignantur, per omne tempus militiæ, id est vitæ huius, etiam sanis hominibus, imò fortissimis militibus, multum conducat ad excitandam & sustentandam suam fidem: primo Reg. 14. & 17.) prius probemus nos ipsos, cuius

cuius fidei, & corporis simus, & sumamus dignè. Non enim refert parum, quomodo quis accipiat. Sunt qui quouis modo sumptum, modò sumatur, satis esse putant, sed isti vehementer errant. Multi enim iudicium sibi ipsis edunt & bibunt.

3 Quomodo autem effugere licet hoc iudicium, id est, longos morbos, & immaturas mortes? Apostolus inquit, Si dijudicaremus nosmetipsos, id est, vt Chrysost. exponit, si nostra voluerimus peccata cognoscere, si condemnare nosipsos, liberaremur vtiq; & ab huius & futuri seculi supplicijs. Vel si nosipsi errores nostros corrigeremus, non iudicaremur à Domino.

4 Quomodo autem de illis sentiendum, qui hîc iudicantur? non malè: quia corripiuntur à domino, ex amore, Heb. 12. non vt pereant: sed vt resipiscant. Præterea futurum cruciatum leuius atque tolerabilius præsentis temporis pœna constituit, quemadmodum D. Chrysost. scribit libro primo de Prouidentia Dei: Ea enim quæ nobis in hac vita inferuntur supplicia, diuinitus futurorum cruciatuum partem haud exiguam succidunt. Hæc ingens consolatio afflictis est. Cæterùm impœnitentes, etsi sani sunt, tamen olim tanto grauiorem pœnam dabunt, quanto diutius ea fuerit dilata, iuxta illud Rom. secundo:

Sed iuxta duritiam tuam, & cor pœnitere nescium, colligis tibi ipsi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est vnicuique iuxta facta sua. Vt ab hac ventura ira liceat nobis fugere, pœnitentiam agamus, & fructus qui deceant pœnitentiam faciamus, necesse est. Sed ad hoc præstandum adesse dignetur nobis suo auxilio & spiritu is, qui potest auferre de carne nostra cor lapideum, & dare nobis cor carneum, per Christum Iesum dominum nostrum, Amen.

CONCIO CLV.

2. Corinth. 5.

SI vnus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt, & pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, posthac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.

1

MIretur quis, cur adhuc omnes homines moriantur: cùm tamen dicatur, Christum sua resurrectione restituisse id, quod Adamus perdidit: & cum hîc sit scriptum, Iesum pro omnibus mortuum esse.

Respon-

Respondetur, quòd hoc fiat propter peccatum, cuius debitum, stipendium & supplicium mors est, iuxta illud Romanorum vocata uo: Corpus quidem mortuum est propter peccatum.

2 Cùm autem per Christum peccata remittantur, rursum quæritur, cur moriamur? Respondetur: Vt odium aduersus peccatum concipiamus: Dann brente kind schewend das feuer. Sic Deus puniuit Adamum, Mosem, Mariam, Dauidem, Israelitas, quamuis peccata ipsis erant dimissa. Quanquam & hoc verum est, fore aliquando tempus, quo nonnulli non morientur, iuxta illud, 1. Corint. 15. Ecce mysterium vobis dico: Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam.

Deinde non ideo aufertur vita per Christum reddita, quia differtur: sicut non propterea Christus resurrecturus non erat, quia primo statim die non resurrexit. Gut ding muss zun zeiten auch lang weil haben. Iam quidem vita nostra abscondita est cum Christo in Deo: olim verò manifestabitur in gloria, Colos. 3. Vnde Theophylactus in Enarration. cap. 9. epistolæ ad Hebræos: Morimur quidem nunc: sed non ita (inquit) morte detinemur, vt antehac, sed per spem resurrectio-

ctionis, cuius dux & princeps factus est qui pro nobis mortem subijt Christus. Et Chrysostomus libro primo de Prouidentia Dei: Quæ promissa sunt nobis, regnum cœlorum est & vita æterna, & incorruptio, & infinita illa bona atque immortalia. Quæ autem interim contingunt, valde ab his remota atque aliena sunt. Mors enim nos & corruptio sequitur & pœna & tentationes variæ.

Cuius ergo rei gratia hoc facit Deus, permittitq; contraria promissis aduenire? Non planè absque ratione, verùm ex hoc duo maxima bona elicit, dum ex altero certissimum potentiæ suæ argumentum capimus, quòd scilicet possit desperatissima promissa sua, spe atque opinione melius perficere. Ex altero autem nostros animos erudit, cuncta sibi credere fideliter, & si dictis facta contraria videantur emergere: quippe spei virtus eiusmodi est, vt eum qui se syncerè substineat, nunquam confundi permittat.

Præterea sciendum est, diuersa esse credere & sentire. In hoc seculo, credimus vitam æternam: in futuro possidebimus. Per fidem enim ambulamus, non per speciem, 2. Corinth. 5.

Adhæc dissolutio animæ & corporis nostri propriè non dicitur, neque est, mors, sed somnus, Iohan. 11. imo profectio seu transitus ad Chri-

ad Christum, zu vnserem herr gott, qui est via, veritas, & vita. Ideo nihilominus verè canit Ecclesia:

Christ lag in todes banden / für vnser sünd gegeben:
Erist wider erstanden / vnnd hat vnß bracht das leben ca.

3 Pro hoc ingenti beneficio quid debemus? Sequitur in cantilena:

Das wir sollen frölich sein /
Gott loben vnnd danckbar sein /
Vnd singen halleluia / halleluia.

Grati autem erimus, & Deum verè laudabimus, si iuxta Apostolum, posthac non nobis ipsis & peccato vixerimus, sed iustitiæ, sed Christo Iesu, qui pro nobis mortuus est & resurrexit: cui sit honor, laus & gloria, in secula, Amen.

CONCIO CLVI.

Philippen. 1. cap.

COARTOR enim ex his duobus, desiderans dissolui, & esse cum Christo, multò longe ꝯ melius est. Caterum manere in carne magis necessarium propter vos.

1

PRincipiò sciendum est, quis ille sit, qui hæc verba locutus fuit. Non enim omnis homo verè sic loqui aut scribere potest: sed Paulus potuit (sicut & Simeon, Lucæ secundo, & cæteri eius similes) qui Paulus de cœlo vocatus & conuersus est, & impletus sapientia & Spiritu sancto, denique verè fidelis fuit, nobisque ad imitandum propositus.

2 Sensus verborum est: Duæ sunt res, & neutram esse malam puto: vna est vita: altera mors: sed nescio vtram illarum eligam. Nam mihi vita Christus, & mors lucrum. Coarcor igitur ex his duobus, id est, ex vtraque parte sunt, quæ me attrahunt. Est enim cur mori cupiam, est cur non recusem viuere: ideoque coarctor & vtrinque teneor. Cupio enim dissolui, & ex hac vita, quæ carcer est, discedere, & liberari de mortali hac carne, & esse cum Christo, in luce, apud Patrem, in paradiso, regnoque cœlesti, & vita æterna (versari enim apud Christum dominum, non est non esse, aut ex. ingui, sed viuere quadam diuina vita apud dominum) & propius coniungi Christo Iesu, id quod mihi multò melius esset, quàm diutius in hac misera vita & mortali corpore versari. Sed manere in carne magis necessarium est propter vos, vt amplius vos instituam,

tuam, doceam, consoler, & plures lucrifaciam Christo, &c.

¶ Hinc discamus hæc quatuor: primùm, fidei magnam esse potentiam. Vincit enim timorem mortis, & hanc quæ infidelibus est terribilis, delectabilem facit credentibus in dominum Iesum. Siquidem per fidem iustificamur & super niuem dealbamur, similesque cygnis reddimur, atque ita cum voluptate & gaudio morimur.

Deinde, charitatis non minorem esse virtutem. Hæc enim facit, vt quis libenter propter alios sufferat molestias & labores.

Præterea, hanc vitam non esse magnifaciendam, neque vlla quæ in ea sunt, & prompto animo amittendam, Domino sic volente. Non enim malè, sed bene, Fridericus Imperator aliquando interrogatus, Quid homini optimum esset contingere? respondit: Bonus ex hac vita exitus. Et Anacharsis, interrogatus, quænam esset nauis securior, Ea, inquit, quæ in portum appulerit.

Postremò, vitam quæ in Christo est, summè expetendam & quærendam, & nihil præ illa eligendum. Hanc donet nobis Dominus Deus noster, Amen.

CONCIO CLVII.

1. Thessal. 4.

CAETERVM nolo vos ignorare fratres, de ijs qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes spem: nam si credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus eos qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quòd nos qui viuemus, & reliqui erimus in aduentum Domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt: quoniam ipse Dominus cum hortatu & voce archangeli, ac tuba Dei descendet de cælo, & mortui in Christo resurgent primùm: deinde nos qui viuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera: & sic semper cum Domino erimus. Proinde consolemini vos mutuo sermonibus his.

Quid

1

QVid de illis sentiendum sit qui in Domino moriuntur, docet Paulus, vocans illos dormientes, quoniam suo tempore resuscitabuntur, illius nimirum virtute, qui caput est Ecclesiæ: qui & ipse mortuus est & resurrexit. Hoc autem fiet, quando Dominus cum præconio, cum summi genij voce, cumq; diuina tuba, quæ est vox filij Dei Ioan. 5. descendet de cœlo.

Nihil autem hîc loquitur, neque alibi, quid pro mortuis faciendum sit: neq; de impiorũ resurrectione, quia nihil hoc ad piorum consolationem, in qua nunc versatur.

2 Cæterùm illi qui viui erunt, & ad Domini aduentum supererint, non anteuertent (inquit) eos, qui obdormiuerint. Tam velox erit & celerrima resurrectio electorum, vt scribit Haymo: nam mortui in Christo resurgent primùm: deinde nos viuentes, qui erimus superstites, vnà cum eis rapiemur in nubibus obuiam Domino, in aerem, atque ita semper cum Domino erimus: id est, corpus & anima perpetuò gaudebit, viuet, & Deo ipso, summo videlicet bono, fruetur: iuxta illud Iohannis 17. Pater volo vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus.

3 His verbis nos mutuò admonere & consolari debemus: nempe de vera Christi resur-

rectione, deque membrorum Christi, id est, corporum nostrorum resuscitatione, & de certa spe salutis æternæ: non anniuersarijs, vt leges pontificiæ docent: non sanctorum meritis & intercessione, non legationibus & testamentis, non sacrificiorum lectionibus, orationib. vigilijs & officijs pro defunctis: sed sermonib. diuinis de aduentu Christi, inquam, & de certitudine resurrectionis mortuorum quę sumitur à certitudine resurrectionis Christi. Quod enim capiti conceditur, idem & de reliquis membris erit commune. Cumque mors nostra non nisi somnus sit: non putandum est, eos qui moriuntur perdi, sed sperandum nos breui iterum conuenturos: adeoq; non ita lugendum, sicut gentes & incredulí solent, qui vt immortalitatem animarum ponunt in dubium: ita resurrectionem corporum planè negant. Item recordari mortis debemus, quotiescunq; dormitum imus. Et cũ nonnulli sint superstites futuri in aduentu Christi, nec omnes sint morituri, vt ex symboli Apostolici septimo articulo etiam scimus, fortasse quispiam ob id securus esse volet, & sic cogitare: Fortè ego non sum moriturus: non igitur me ad mortem præparabo. Qui sic cogitat, is sibi sciat non minus opus esse præparatione & vigilijs ad vltimum diem mundi, quàm ad suam mortẽ. Adde quod & Paulus

lus hoc loco in prima persona loquẽs se quasi vnum facit ex eorum numero, qui vsq; ad diẽ extremum victuri sunt. Quare hoc? Præter id quòd docẽdi gratia id facit, eo vult etiã Thessalonic. in expectationem erigere, adeoq; pios omnes tenere suspensos, ne sibi tempus aliquod promittant. Nam vt demus ipsum ex peculiari reuelatione sciuisse venturum aliquanto serius Christum, hanc tamen ecclesiæ communem doctrinam tradi oportuit, vt fideles omnib. horis parati essent. Beati sunt serui illi, dicit Dominus Luc. 12. quos cum venerit Dominus (vel in vniuersali consummatione mundi in gloria patris, vel in vniuscuiusq; propria morte) inuenerit vigilantes. Vtinam nos omnes ita inueniat D. Iesus, amen.

CONCIO CLVIII.

1 Timoth. 2.

ADAM enim prior formatus est, deinde Eua: & Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni, salua tamẽ fiet per generationẽ liberorũ, si manserint in fide ac dilectione, & sanctificatione cum castitate.

1 Miretur quispiam (ignorans causam) quod sexus muliebris tantis miserijs subiectus sit

præ virili: quanquam & ipsi viri satis miseri sunt: sed tamen Petrus non frustra σκεῦος γυναικεῖον appellat ἀσθενέστερον, 1. Pet. 3. Mulieribus non permittitur docere, neque authoritatem vsurpare in viros, & illos ad suum cogere affectum, legesque præscribere authenticas, sed præcipitur, vt in ecclesijs sileant, & vt suis maritis subditæ sint. Mulierum dolores tanti sunt, vt Christus comparet illis suorum discipulorum & martyrũ afflictiones in hoc mundo, Iohan. 16. Mulieri enim dixit Dominus Genes. 3. Multiplicando multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.

2 Quare autem hoc? Apostolus inquit: Nam Adam prior formatus est, deinde Eua. Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro. Adde quod & in adiutorium viri à Deo condita est, vt portio verius viri sit, quàm caput: non è capite, sed latere viri sumpta. Neque enim conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum, 1. Corint. 11. Et Adam non fuit deceptus (scilicet prior, vt mulier à serpente) sed mulier seducta obnoxia facta est transgressioni. Nam à muliere initium est peccati, & propter illam morimur omnes, Ecclesiastici vigesimo quinto. Vir enim neque serpentis promissionibus, neque pomi illecebra

cebra decipi potuisset: sola charitas vxoris pertraxit ad pernitiosum obsequium. Adhæc Adam homo à quo nihil humani alienum non saxum rigidum erat, vt nihil dicant qui obijciunt, virum debuisse constantiorem fuisse, quàm quem illecebræ fregissent vxoris. Fons ergo præuaricationis à fœmina exiitit. Hinc non temerè ad mulierem Tertullianus de habitu muliebri, Tu, inquit, es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit, tu imaginem Dei hominem tam facilè elisisti, propter tuum meritum, id est mortem, etiam filius Dei mori habuit, &c. Quando ergo magisterium Euæ non vni Adæ, sed toti mortalium generi semel cessit pessimè, subesse post hac & iure ad virum respicere iubetur mulier quæ libet: atque omnino nulla fit iniuria mulieribus, in eo, quòd non priores, sed posteriores partes habent in hominum genere.

3 Cæterùm ne mulieres his auditis pusillanimes fiant, ac nimis animo consternantur, addit Paulus, Salua tamen fiet per generationem liberorum. Quantæcunque enim sint peccatrices, & maledictioni obnoxiæ, tamen saluari possunt: & earum maledictio atque miseria in benedictionem verti potest, ita vt liberorum generatio, quæ fit μετ᾽ ὠδῖνων καὶ λύ-

πως, id est, cum dolore & tristitia, non modò nihil noceat, sed multum etiam promoueat atque proficiat illis ad salutem. Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ergo & illud, quod nonnunquam videmus accidere mulieribus in partu, vel puerperio, hoc est, quòd moriuntur. Sed beatæ sunt, si moriátur in Domino, id est, si manserint (scilicet vsque ad finem) in fide (quæ fundamentum salutis dicitur) ac dilectione (quæ semper comitatur veram fidem) & sanctificatione, qua quotidie mulier sanctior fit, id est, crescit fide & dilectione, adiuncta castitate, vel modestia, id est, morum integritate, pudicitia & sobrietate in dictis, factis, &cæt. Glorificandus enim Deus in corpore & in spiritu, quæ Dei sunt, primæ epistolæ Corinthiorum capite sexto.

Rectè autem addit Apostolus illud, Si manserint in fide, &cæt. (quod de viris etiam verè dicitur) ne putemus τεκνογονίαν, id est liberorum procreationem (quæ communis est omnibus hominibus, etiam non Christianis, immo & ipsis animantibus rationis expertibus: sed non item educatio atque disciplina) per se tanti momenti esse, vt per illam saluentur mulieres, virgines autem, vel steriles non saluentur. Fides enim ἀνυπόκριτος καὶ ἀγάπης ἐνεργουμένη in Christo Iesu valet, hominem

minesque & iustificat & saluat. Hanc adaugeat nobis Dominus, inque ea vsque ad finem nos conseruet, Amen.

CONCIO CLIX.

1. Timoth. 5.

QVAE verè vidua est ac desolata, sperat in Deo, & perseuerat in obsecrationibus ac precationibus noctu dieque. Porrò quæ in delitijs versatur, ea viuès mortua est.

DIxerat ante hæc verba Apostolus, eas viduas esse honorandas, *i.* liberalitate ecclesiæ alendas, quæ verè essent viduę. Nunc quænã illæ sint, demonstrat: nempe quæ sint desolatæ, i. solæ relictæ, & nõ solum maritis, sed & liberis & parentib. & omni auxilio & solatio humano destitutæ, quęq; à solo Deo pendeant, & in hunc omnẽ spem fixam habeant: deniq; dies noctesq; precib. sacris impendant. Quæ tria requiruntur etiã ab omnib. qui viuere volunt, etiamsi moriantur. Debent. n. pauperes spiritu esse, in Deo sperare, & nomen eius inuocare, nec nõ in his ad finẽ vsq; perseuerare, Mat. 5. 10. Ps. 2. Rõ. 10.

2 Fucatæ autem viduæ sunt, quæ in delitijs versantur, quæ scilicet non abstinent ab iterado matrimonio, nisi vt liberius voluptuentur & delicatius viuant, à cura domestica & mariti imperio se subducant, liberè quod lubet faciant: denique viuant, non vt Deo, sed ventri seruiant, vt Acolastus & dives, Lucæ decimo quinto, decimo sexto. Sed tales, inquit Paulus, sunt viuentes mortuæ: ergo non fideles, nec hæredes futuræ vitæ. Qui enim credit in Christum, etiamsi mortuus fuerit, viuet, Iohan. 11.

3 Quomodo autem viuentes carni, & Deo mortui, ad vitam redeunt? Si per fidem surrexerint à mortuis, Eph. quinto, irreprehensibiles sint, erga omnes bonum operati fuerint maximè autem erga suos & domesticos. Qui enim hoc non fecerint, fidem abnegarunt, quemadmodum Apostolus loquitur, vel, circa fidem naufragium fecerunt, vt alibi dicit. Dominus Deus illuminet oculos nostros, ne obdormiamus in morte: sed in tempore expergiscamur à somno, atque à mortuis surgamus, vt illucescat nobis Christus, qui dux est fidei, & lux æternæ vitæ,

Amen.

CON.

CONCIO CLX.

1 Timoth. 6.

NIHIL enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus: sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus.

1

TRes propositiones continentur his verbis, Vna est: Nos iam in mundo esse, adeoque in periculoso loco & instabili. Altera, Nos in mundum nihil intulisse. Tertia, Nos è mundo nihil elaturos, sed nudos & solos exituros.

2 Quid Paulus inde colligit ac docet? Esse quæstum magnum, pietatem μετ' αὐταρκείας, id est, cum animo sua sorte contento. Et nos contentos esse debere, quando habemus alimenta & tegumenta.

Cum Apostolo consentiunt & Iob. capite primo, & Dauid Psal. 49. Quorum ille sic dicit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Alter verò ad hunc modum canit: Relinquent alienis diuitias suas. Et, cum interierit (homo) non sumet o-

mnia, neq; descendet cum eo gloria eius. Hoc valet contra auaritiam, quæ est radix omniũ malorum. Si enim habuisses 100000. florenorum, quid tibi prodessent, cum nullum te cum acciperes, & omnes post te relinqueres? Vnde legitur quòd quidam rex Franciæ laborans ad mortẽ, & à medicis desperatus, vocari fecit omnes principes & p̃latos, dicens: Ecce ego qui fui ditissimus, nobilis, & potentissimus, pro omnib. diuitijs meis & potentia, & omnib. amicis non possum extorquere à morte inducias ab hac infirmitate per vnum diem, vel per vnam horam: quid ergo valent omnia ista temporalia: & hoc dicens omnes astantes concitauit ad fletum.

3 Quid amplius colligitur ex Apostoli verbis? Prudenter ambulandum esse in mundo, ne nos decipiat.

Gratias agendas Deo pro suis beneficijs & pane quotidiano. Nam si ipse nihil nobis daret, quid haberemus?

Omnia bona mundi non esse propria hominis, sed aliena (vt Christus vocat Luc. 16.) quia oportet eum illa post se relinquere. Vnde Ambrosius: Bona hominis non sunt, quæ secum ferre non potest.

Mundo vtendum tanquam non vtamur, 1. Corinth. 7.

Faciendos amicos ex mammona iniquo, dum ad-

dum adhuc sub manu nostra habemus, Luc. 16. Gaudia mundana & illicita nunc relinquenda, non in agone demùm, quando oportet nos ab his separari, velimus nolimus. Impossibile est enim, vt quis de delitijs transeat ad delitias.

Et quia homo recedit solus hinc (nihil enim efferre ex mũdo poterimus) ita vt nullus amicorum eum iuuare possit, decet nos, & verò etiam expedit, quærere amicitiã Christi & sanctorum angelorum, qui nobis tunc subuenire, & animas nostras in requiem deportare poterunt, Actor. 7. Luc. 16. cum nos amici nostri relinquunt. Si ergo offensus est Deus per superbiã, tunc placandus est cum humilitate, & sic de cæteris. i. agenda pœnitentia, vt gaudio afficiantur angeli, iuxta illud Christi, Lucæ 15. Ita dico vobis, gaudium erit corã angelis Dei super vno peccatore resipiscẽte. Vt & singuli nostrum exhibeamus tale gaudiũ sanctis illis & electis spiritib. faxit deus op. Amẽ

CONCIO CLXI.

Hebræor. 2.

POSTEAquam igitur pueri cõmercium habent cum carne et sanguine, et ipse similiter particeps factus est eorundẽ, ut per

mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti.

I

QVis ille sit, per quem liberati sumus à tyrannide diaboli, & terrore mortis, ostendit hîc Apostolus: nempe Christus Iesus Dei & Mariæ filius, qui propter nos homines factus est homo, & particeps carnis & sanguinis, id est, verus homo, anima & corpore constans, *Phil. 2.*

2 Causa igitur incarnationis dominicę est, vt ipse dominus per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium (idque per peccatum) hoc est, diabolum, id est, vt huius opera, cuius inuidia mors intrauit in mundũ, dissolueret, 1. Iohannis 3. Mors enim non poterat fieri, nisi in vero homine. Quoniam autem integrum hominem assumpsit, resurrecturus est homo, non solùm spiritualiter per Christum, secundum animam, sed etiam corporaliter secundum carnem. Præterea assumpti hominis causa est, vt liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti, id est, vt absolueret & liberatet omnes eos qui peccatorum iugo oppres-

oppressi, nihil aliud quàm peccati autoramentum, ipsam videlicet æternam expectabant mortem, Nam æterna illa mors peccatorum nostrorum mulcta, corporali & innocenti morte Christi deuicta est, Hoseæ 13. 1. Corinth. 15. eaque nobis per Christum spes data, ac etiamsi semel corpore migrandum & moriendum sit, æterna tamen morte simus liberati: quòd corpus etsi nunc in sinum terræ, seu agrum domini, veluti granum frumenti, deijcitur, & in corruptione, ignominia & infirmitate seminatur: tamen olim resurget in incorruptibilitate, in gloria, in potentia.

3 Hæc cum ita sint, meritò gratias agimus Christo, qui tanto precio nos redemit, & terribilem mortem amabilem fecit, vt in Simeone & Paulo cernere est, Luc. 2. Phil. 1. Nam vt Augustin. ait in Serm. 174. de Temp. muscipula diaboli, crux domini: esca qua capere tur mors domini. Nemo iam itaq; (dicit Chrysost. Hom. 69. ad pop.) plágat aut ploret, nec Christi meritum afficiat calumnia: mortem etenim vicit. Et ibid. Cogita quòd Dei filius mortuus est, & *ille* quidẽ propter te, tu verò propter teipsum: & postq̃ dixit: Si possibile est, transeat calix iste: tristitiam q; pertulit, & agoniam, mortem tamen nõ effugit: verùm & ipsam multa cum amaritudine sustinuit. Nec enim simpliciter mortem passus est, sed

turpissimum: & ante mortem flagella, & ante flagella opprobria, derisiones atque conuitia, te docens, vt omnia generosè feras. Verumtamen postquam mortuus est, & corpus deposuit, rursum ipsum maiori cum gloria resumpsit, & hinc tibi bonam spem prætendens. Huic igitur sit laus, honor & gloria in sempiternum, Amen.

CONCIO CLXII.

Hebræor. 4.

METVAmus igitur, ne quando derelicta promissione introeundi in requiem eius, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus, &c.

1 AD vitam & requiem æternam consequendam, non solùm necessarium est, credere esse vitam æternam, & scire quæ sit via huius vitæ, & per eam velle introire: verùm necesse est quoq; vt introeamus per illam. Quòd vtinam faceremus omnes, tùm propter Deum, tũ propter salutem nostram.

2 Iustum enim est Deo obtemperare, vtpote pa-

te patri, domino & magistro nostro, dum dicit: Quęrite Dominum, dũ inueniri potest: inuocate eum dum propè est. item: Hodie si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra. &, Ambulate dum lucem habetis, &c.

Bonum etiam est Deo in hac re obedire: quia nihil melius, quàm statim in principio morbum curare: ruinam instaurare: in viam redire: arborem secare aut flectere, &c. Scimus enim quid acciderit fatuis virginibus: & quid multis sit euenturum, qui pœnitentiam differunt de die in diem, Lucæ tertio, Prouerbiorum primo. Ergo dum tempus est (vt Chrysostomus etiam monet, Homil. vigesimaquarta in Ioannem:) seminemus, vt metamus antequam hyems adueniat, dum mare nauigari potest, dum huius negotiationis sumus domini. Sed quando erit hyems? Quando magnus ille & tremendus dies aduenerit, tunc non amplius mare hoc spaciosum & immensum nauigare nobis licebit. Mari nanque præsens hæc vita comparatur. Nunc serendi tempus est, tunc messis & prouentus. Qui non sementis tempore, sed in messe seminarit, est sanè ridiculus. Sementis tunc tempus: non igitur nunc colligendum, sed dispergendum est. Dispergamus, vt congregemus: non congregemus, vt messẽ amittamus. Hoc.n. tempus ad serendũ nos vocat,

vt distribuamus, non colligamus, erogemus, non recondamus. Nolimus tempestiuum tempus contemnere, sed vbertim semen iaciamus, &c.

Cæterùm vt in tempore corrigamus vitam nostram, prodest cognoscere breuitatem temporis, quo ambulare licet, propinquitatem hyemis & sabbati, longitudinem viæ, qua adhuc distamus à Deo, vita nostra: qui dignetur nos trahere ad se in Christo Iesu domino nostro, Amen.

CONCIO CLXIII.

Hebræor. 9.

ET QVATENVS illud manet homines, vt semel moriantur: post hoc autem iudicium: ita & Christus semel oblatus, vt multorum peccata tolleret, rursus absque peccato conspicietur, ijs qui illum expectant in salutem.

PRimùm quòd hîc obseruare debemus, est illud, quod de morte nostra dicit Apostolus. Huic enim omnes obnoxij sumus, sicut & Siracides testatur cap. 8. 25. 41.

Paulus

Paulus Roman. 5.1. Corinth. 15. Nam vt omnes stellæ ab oriente venientes ad occasum tendunt: & omnia flumina ad mare: sic omnes homines ad mortem, quæ domus est omnium viuentium, Iob. 30. Genes. 3. secundo Regum 14.

Prodest autem sæpe meminisse, nobis moriendum esse. Nam si hoc crederemus, nempe, mortem certam esse, (vt Augustinus in Psam. 38. præclarè probat) & necessariò omnibus incumbere, primùm omnium, timeremus Deum. Nam timenti dominum, benè erit in extremis, Eccl. 1.

Deinde non peccaremus, Ecclesiast. 7. Vt enim mors sanctorum est preciosa, ita peccatorum pessima, Psalm. 116. 34. Nemo autem vult malè mori.

Tertiò nos ipsos humiliaremus, vt Achab 3. Reg. 21. Nã quid superbit terra & cinis? Ecclesiast. 10.

Quartò, pœnitentiam ageremus, vt Niniuitæ, Ion. 3. Nisi enim, inquit dominus, Luc. 13. resipueritis, omnes simul peribitis. & Ecclesiast. 18. In tempore peccatorum ostende conuersionem.

Quintò, oraremus Dominum flentes, vt Ezechias, Esa. 38. & diceremus cum Iobo, capite 10. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte ergo me, vt plan

gam paululum dolorem meum, antequam vadam, &c.

Sextò, omnia temporalia facilè contemnemus, vt Esau, Genes. 25. vt contra, se diu victuros opinantes, thesaurizant in terris, Lucæ duodecimo.

Quid autem faceremus, si crederemus genus, locum & horam mortis incertam esse, teste Scriptura, Genes. vigesimoseptimo, Ecclesiast. nono, Marci 13. & quotidiana experientia? Principiò si de hoc non dubitaremus, citò amicis benefaceremus. Nam antequam obeas, amico benefac, ait Siracid. capite 14. Postea, citò iustitiam sectaremur: quoniam idem inquit capite 18. Ne tui iustificationem ad mortem vsque differto, quasi dicat, alioquin iniustè ages quoque in morte. Fit enim plerunque vt tractent morientes ea, quę tractare solebant viuentes, quemadmodum ea ferè somniare solemus noctu, quæ interdiu cogitauimus. Præterea citò fratri reconciliaremur, Matthæi quinto. Ait enim dominus Iohannis duodecimo: Ambulate dum lucem habetis.

Postremò semper vigilaremus, vtpote fragiliores quouis vitro, omni tempore precantes cum Dauide Psal. 39. & 90. Notum fac mihi Domine finem meum, &c. Luc. 21. Morientes enim difficulter orare possunt: quoniá, vt in-

vt inquit Psaltes Psalm. sexto: non est in mor te, qui memor sit tui. Hinc Iosua Sirachi filius capite decimooctauo, μὴ ἐμποδίσῃς τοῦ ἀπο δοῦναι δίκῃ ἐνκαίρως: καὶ μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι, &c. item Esaiæ 55. Inuocate Dominum, dum propè est.

2 Secundum est, quod Apostolus hîc scribit, & nobis obseruandum venit: Post hoc autem, inquiens, iudicium. Non dicit, post hoc autem purgatorium: vel post hoc autem nihil erunt homines, sicut bestię rediguntur in nihilum: sed, post hoc autem iudicium illud extremum, quod æterna præmia decernet, siue pijs, siue impijs, Eccl. vlt. Matt. 12. Ioan. 5. 2. Corinth. 5.

Et huius sæpe recordari vtile est, ne vitam dissolutam, sed potius pœnitentiam agamus, Actorum decimoseptimo. Hinc Chrysostom. Hom. 38. super Iohan. Hoc iudicium (inquit) semper præ oculis habeamus, ita semper virtuti vacare poterimus. Nam sicut qui diei illius obliuiscitur, tanquam freno abiecto in præcipitium defertur, Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, & causam affert: Auferuntur iudicia tua à facie eius: Ita quem continuus hic percellit timor, modestè viuendi viam ingreditur. Recordare, inquit, nouissima tua, & in æternum non peccabis. Qui enim dimittit nobis peccata nunc misc-

rando, is tum iudicando pandet, &c.

3 Tertium, & quod præcipuè tractat Paulus, est: quòd de sacrificio Christi scribit, quod semel factum est. & semper valet: nec vlla alia victima expectanda est: & nequaquam Missa pro sacrificio pro peccatis, vel viuorum vel mortuorum habenda est. Dicit enim: Ita & Christus semel oblatus (ipse à seipso. Etiamsi enim pontifex, est tamen etiam sacrificium & victima) vt multorum peccata tolleret, rursus absque peccato conspicietur, ijs qui illum expectant in salutem.

Hìc discimus duos aduentus Christi esse secundum carnem. Prior est in carnem, quò peccata nostra in se transtulit & expiauit, factus pro nobis peccatum, qui tamen peccatum nouerat, secundæ Corinthiorum quinto. Posterior in iudicium, quo iam non expiabit peccata: apparebit autem, vt iudex ad salutem expectantibus ipsum, hoc est, credentibus in ipsum, & sperantibus eius aduentum: perspicuum autem est quòd & dignè aduentu ipso viuentibus, de quibus Lucæ duodecimo: Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ accensæ, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, &c. item ad Titum secundo: Expectantes beatam illam spem & illustrationem gloriæ magni Dei & seruatoris no-

ris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis: vel, pro multis, vt alibi scriptum est: & hoc in loco. Dicit enim: vt tolleret peccata multorum. Quur autem non dicit omnium? Quoniam non omnes (inquit Theophylact. cum D. Chrysost.) crediderãt. Mors enim eius fuit æquiualens, adeoq; remedium omnium interitus: ac quantum in ipso est, pro omnibus mortuus est. Non omnium autem peccata sustulit, eò quòd noluerint ipsi: proinde inutilem sibijpsi filij Dei mortem feceruut, quæ res est sanè horrenda. Ne nos eandem committamus, seruet nos Deus optimus Max. propter misericordiam suam, Amen.

CONCIO CLXIIII.

Hebræor. 13.

Non enim habemus hîc manentem ciuitatem. sed futuram inquirimus.

1

Vbi, & quid simus hîc, id est, in præsenti seculo, discimus ex illis verbis.

Sumus enim non in manente ciuitate, sed transeunte: quia in mundo, qui transit cum sua concupiscentia, primæ Corinthior se-

ptimo, primæ Iohannis secundo. & quia in tabernaculo corporis istius mortalis, propediem sub terram deijciendi. Qualis enim est vita nostra? Peregrinatio est & παροικία, Genes. 47. primæ Petri primo. Nos verò qui sumus? peregrini & aduenæ, sicuti omnes sancti confessi sunt, Hebræor. 11. Psalmo 119.

Bilger auff erden/ Burger im Himmel/

2. Corinth. 5. Phil. 3.

2 Quid igitur agendum? futura ciuitas quærenda: sicuti verè christiani omnes quærunt, & in cœlum oculos conuertũt, ac toto studio cœlestia meditantur, idq; nunc, hoc est, in tẽpore, dum inuenire licet. Nam olim multi (vt ipse Dominus ait Luc. 13.) quærent intrare, & non poterunt. Ac si tantùm à suis ciuibus terrena dilecta est patria propter hominum gloriam (quemadmodum Augustin. scribit lib. 5. de Ciuitat. Dei) quanta dilectio debetur supernæ patriæ propter vitam æternam. Quisquis verò inuenire voluerit futuram illam ciuitatẽ, hic, iuxta Apostolum, exire debet ad Iesum Christum extra castra, opprobrium eius portans. Mundum enim relinquere oportet eum, qui ad regnum Dei venire cupit, & abijcere affectus carnis: imò mundo crucifixum esse oportet, & per multas tribulationes ingredi, vt regnum cœlorum accipere queat: quemadmodum & Christus dominus ingressus est:

sus est: per quem solùm ad patrem venire licet. Ipse enim est via: quæ quærenda est, in qua ambulandum, in qua vsq; ad finem perseuerandum. Imitemur saltem filium prodigum requirentem suum patrem, Lucę 15. & prudentem dispensatorem, Luc. 16. vt recipiamur in æterna tabernacula. Neque enim res nostræ (teste Ioanne Chrysostom. Hom. 48. in Genes.) intra hanc vitam totæ conclusæ sunt, neque semper in aliena hac regione erimus: sed non multò post in propriam remeabimus patriam. Omnia igitur faciamus, ne alibi egeni simus. Nam quæ vtilitas, in aliena regione multas diuitias relinquere, in propria autem & in patria necessarijs carere? Itaque oro, festinemus dum adhuc tempus est, vt illuc transferamus etiam quæ in hac aliena habemus. Enimuero licet multum inter se distent, facilis tamen est transuectio. Et securè illuc transferimus, & in thesauro indeprædabili reponimus quęcunque per pauperum manus præmittimus. Eorum enim manus in cœlestia promptuaria sibi data reponunt. Quoniam igitur tanta & facilitas & securitas: quare moramur, & non omni studio hoc facimus, vt ibi ea inueniamus: vbi eis maximè opus erit?

3 Cæterùm quæ & qualis illa futura ciuitas sit passim docent literæ sacræ. Nomen il-

lius, Dominus ibidem, Ezechielis vlt. Idem illi murus igneus est in circuitu, Zach. 2. Idem eius opifex & conditor est: habet enim fundamenta: est cœlestis, glorioſa, æterna, magna, plena omnium bonorum, Hebræor. 11, Psalmo 27. 84. 87. 4. Esd. septimo. Introitus autem eius est angustus, Matthæi septimo: sed ducens tandem omnes credentes in Christum ad amplissimum gaudium & sempiternam gloriam: cuius vtinam etiam participes fiamus in Christo Iesu Domino nostro, Amen.

CONCIO CLXV.

Iacob. 1.

GLORIETVR autem frater, qui humilis est, in sublimitate sua: contra qui dives est, in humiliatione sui, quoniam veluti flos herbæ præteribit: exortus est enim sol cum æstu, & exaruit herba, & flos illius decidit, et decor aspectus illius periit: sic & dives in vijs suis marcescet. Beatus vir, qui suffert tentationẽ, quoniam quũ probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit dominus ijs, à quibus dilectus fuerit.

Duo

I

DVo præcipuè his verbis Apostolus docet. Primum est, quo pacto se humilis frater, i. Christianus, gerere debeat: alterum, qua ratione diues. Humilis enim, id est, spretus à mundo, tenuis fortunæ, ac pauper, non solùm non debet animum despondere, aut impatiens esse in humiliatione sua: sed potius hoc nomine gaudere ac gloriari, quòd apud mundum contemptus, & in mundo pauper, apud Deum non sit contemptus, sed diues in fide, diues erga Deum: qui quos diligit, sic subuehit ad gloriam. Nam in humiliatione consistit Christianorum exaltatio. Sic enim & Christus caput nostrum humiliatum est, vt aliquando exaltaretur super omnes cœlos.

2 Cæterum Iacobus ipse rationem reddit, cur humilis frater in sublimitate sua gloriari debeat. Beatus enim est vir, non qui habet multa aurea vasa, sed qui suffert tentationem (in hac vita quæ πειρατήριον est, Iob. 7.) quoniam cum probatus erit (& vsque ad mortẽ fidelis manserit, Luc. 22. Apoc. 2.) accipiet coronam vitæ (id est, vitam æternam, quæ sola est vera vita, & certantibus atq; vincentibus dabitur, 2. Timoth. 2.) quam promisit (ex sua gratia, qua saluamur, credentes in nomine le-

ſu)dominus ijs, à quibus fuerit dilectus, primæ Corinth.2, Diligunt autem eum, dilecti ab eo, iuxta illud 1.Iohan.4. Nos diligimus eum, quoniam ipſe prior dilexit nos.

Si vis autem ſcire quid ſit diligere Deum, & in quo dilectio Dei conſiſtat, vide quid in reliquis Scripturis requiratur ab ijs, qui futuri ſunt vitæ æternæ hæredes. Qui enim hanc deſiderat, non debet inſiſtere viam latam, ſed intrare per portam anguſtam, Matth.7. declinare à malo & facere bonum, Pſalm.34. 1.Petri3. quieſcere agere peruersè, & diſcere bene facere, Ieſ. 1. credere in Ieſum dominum noſtrum, Iohan.3. audire vocem eius & ſequi eũ Iohan.10. comedere carnem eius, & bibere eius ſanguinem, Iohan.6. ſcrutari Scripturas, Iohan.5. audire & facere ſermonem Dei, Lucæ.11. mortificare ſpiritu facta corporis, membraque terreſtria, Rom.8. Coloſ.3. & ſeminare per ſpiritum, Gala.6. odiſſe animam ſuam in hoc mundo, Iohan.12. qui mundus tranſit cum concupiſcentia ſua. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, 1.Iohan.2. Qui verò aduerſus eius voluntatem viuere pergit, à quo ipſam vitam accepit, indignus profectò eſt, qui in æternum viuat. Qui enim non tollit crucem ſuam (renunciando propriæ voluntati) non eſt me dignus, dicit ipſa vita, Matth.10. Sed nolimus aſpicere, quòd

via

via est aspera, sed potius, quò ducit, nempe ad eam vitam, quæ non est breuis, instabilis & calamitosa, qualis præsens vita est: sed perpetua, secundum illud Iohan. 16. & gaudium vestrum nemo tollet à vobis: sed secura & stabilis, iuxta illud, Apoc. 21. & mors vltra non erit, neq; luctus, &c. sed verè beata, in qua aberit omne malum, & aderit omne bonum. Iacobus enim dicit, Beatus vir, & cæt. Quur beatus? quia accipiet coronam vitæ.

3 Porrò diuitis officium est, non in diuitijs suis gloriari, Ierem. 9. sed in humiliatione sui, id est, ob ereptas opes, ob immissos morbos, ob crucem à Deo ipsi impositam. Bonũ enim illi est, quòd humiliatur, vt discat statuta Domini, Psal. 119. vt discat contemnere diuitias, & appetere thesauros cœlestes. Sunt enim diuitiæ terrestres incertæ, & per omnia floribus similes, quibus vt nihil quidem pulchrius in orbe videtur: ita nihil instabilius & diuturnum minus. Dominus Iesus cœlestis rex & princeps diuites nos in cœlis reddat per nomen & propter nomen suum sanctum & benedictum,

Amen.

CON-

CONCIO CLXVI.

Iacob. 4.

Quæ est enim vita vestra? vapor enim est, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit, &c.

I

AD piè rectèque viuendum, nec non ad feliciter moriendum, plurimùm valet, considerare sæpius quid & qualis sit præsens hæc vita nostra.

Est autem breuis, tanquam vapor, fumus, Psal. 102. ventus, Iob. 7. bulla, flos agri, Psalm. 103. Siquidem mediam partem vitæ nostræ ferè dormimus, teste Plutarcho. Est deinde mutabilis & incerta, vt somnium, fabula, vmbra, rota. Nunc enim sani sumus, nunc ægri: iam pauperes, iam diuites: nũc hilares, nunc tristes: iam ascendimus mõtes & exaltamur, iam descendimus valles & deprimimur.

Est deniq; misera & ærumnosa, habens ingressum flebilem, progressum debilem, egressum horribilem, Iob. 14. estque veluti militia, Iob. 7. peregrinatio, nauigatio, Sap. 2. cursus ad mortem: præcisa velut à texente, Iesa. trigesimo octauo.

Etsi

Etsi verò tres illæ præcipuæ conditiones præsentis vitæ notari videntur in similitudine vaporis: tamẽ apertissimè omnium significatur breuitas eius (quia dicit, exiguũ tempus apparet) atque fragilitas (est enim homo fragilior vitro) Interim finem vitæ ostendit esse certum. Ait enim: Deinde verò euanescit. Hinc quidam præsentem vitam comparat arbori, cuius radici assideant duo mures (id est, dies albus & atra nox) arrodentes eam, &cæt.

2 Cum ergo ceu vapor sit vita nostra, id est, citò nobis amittenda, & tempus contractum, superest, vt qui habent vxores, sint tanquam non habeant, & qui plorant, tanquam non plorent, &c. 1. Corint. 7. vt ambulemus, dum lucem habemus, Ioan. 12. vt cito fratri nostro reconciliemur Matth. 5. vt similes simus Domino habenti malum famulum cras discessurum, id est, sileamus, nec murmuremus ob afflictiones præsentes: vt non simus soliciti de vita hac, sed futuram inquiramus, quæ manens ciuitas est, Hebræorum decimo tertio capite.

Cùm deinde mutabilis sit & incerta vita temporalis, sequamur consilium Sapientis, qui ait, Ecclesiastici 18. Memento temporis famis in tempore copiæ: paupertatis & egestatis in diebus diuitiarum. A manè vsque ad

vesperam mutatur tempus, & omnia hæ sunt subita coram domino. & cap. 7. Ne derideas hominem existentem in amaritudine animæ suæ: est enim qui humiliat & exaltat. Cum item sit misera hæc vita, (quis enim in honore sine dolore? in prælatione sine tribulatione? in sublimitate sine vanitate?) certemus legitimè, vigilemus, ad futuram anhelemus.

3 Porrò vt potio illa bona est, quamlibet amara, quæ propulso morbo, reddit atque restituit homini sanitatem: sic & præsens vita, quantumuis contracta, instabilis & calamitosa sit: tamen est pretiosissima (quoniam donum Dei, Exod. 20.) imo ob idipsum quòd talis est, preciosa existit. Si enim esset longa, faceremus tale pactum cum anima nostra, quale fecit cum sua diues iste Luc. 12. qui tamen non habebat, sed habiturum tantum opinabatur diuturnam vitam. Dicebat enim, Anima habes multa bona reposita in annos multos, &c. essemus multò attentiores ad rem, ac colligeremus thesaurum in terra, quod nunquam non fit magno cum periculo, 1. Timot. 6. diu differremus correctionem vitę nostræ, &cæt.

Si esset constans, nimia luxuria diffluerent diuites, & nimio dolore consumerentur pauperes, nec illi horum, vt debent, miserentur

rentur, &c. Si esset beata, omnes in ea nidificarent, nec quisquam ad cœlestem vitam anhelaret, & Dei omnino nos caperet obliuio, iuxta illud Psal. 49. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, quæ intereunt. Si enim nunc (vt ait Chrysostomus Hom. 6. ad Antioche.) cùm sint tot tristia, & pericula, & timores, & curæ nos vndique circumeuntes, tam libenter præsenti nos immoramur vita, si nihil horum esset, & absque tristitia, & ærumnis omnibus tota foret vita nostra, quando unquam futura desideraremus? Sic & Iudæis Deus fecit. Volens enim & illos in reditus cupiditatem inducere, & vt Ægyptum odissent, persuadere, permisit eos lateritio opere & luto laborare, vt laborum & ærumnæ illius magnitudine cruciati, ad Deũ de reditu clamarent. Si enim egressi, quamuis hæc accidissent, Ægypti iterum meminerunt & pristinæ seruitutis, & ad grauem tyrannidem redire festinabãt: nisi tales fuissent experti Barbaros, quando vnquam alienam dimittere terram voluissent? At postea (vt alius quidam scribit) cùm Deus introduxisset ipsos in terram Chanaan eaque optima esset: ne in ea acquiescerent, & existimarent esse veram cœlestem promissã patriam, sed aliam inquirerent, ideò immisit in domos illorum plagam lepræ (Leuit. 14.)

& vt per hæc mala lepræ in domibus, veſtib. corporibus, tædium præſentis vitæ, & deſiderium alterius vitæ æternæ eis inijceret. Id autem fieri non poteſt, vt nos capiat huius vitæ tædium, & appetitio alterius vitę beatæ, ſcilicet ſi omnia ex animi ſententia ſuccederent.

Ergo cùm ſit miſera hæc vita, facit vt futuram, id eſt, veram & æternam quæramus per fidem, qua & Abrahamus cœleſtem inquiſiuit patriam, Heb. 11.

Cùm ſit inconſtans, facit vt nos mutuò nobis per charitatem ſeruiamus, & inuicem alij aliorum onera in hac peregrinatione portemus, Galat. 6. & pro eo quod alij dicunt, Hodie & cras eamus in hanc ciuitatem, & faciamus ibi annum vnum, & mercemur, & lucrũ faciamus: dicamus, quemadmodum debemus, Si Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciamus hoc aut illud.

Cùm denique ſit breuis, facit vt onus Chriſti nobis leue, & iugum eius commodum ſit: ita vt illud libenter & patienter feramus tam diu, quàm diu volet Dominus, ſcientes momentaneam leuitatem afflictionis noſtræ, mirè ſupra modum æternum pondus gloriæ parere nobis, dum non ſpectamus ea quę videntur. Huius gloriæ conſortes nos faciat Chriſtus Ieſus rex gloriæ, Amen.

CON-

CONCIO CLVVII.

1. Petri 4.

TEMPVS est, vt incipiat iudicium à domo Dei: quòd si primum incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non credunt Dei euangelio? Etsi iustus vix saluatur, impius & peccator vbi comparebit? Proinde qui affliguntur iuxta voluntatem Dei, tanquam apud fidelẽ conditorem deponant animas suas benefaciendo.

1

DIscimus hìc, neminem esse mortalium cui non sit ferendum iudicium Dei, id est, ira & pœna peccati. Si enim ipse Christus cruci subiectus fuit, cur cæteri homines expertes crucis esse deberent? Non est seruus maior Domino. Adhæc scimus, quòd oporteat nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei: &, quòd Deus omnem filium, quem recipit, flagellet.

2 Est autem magnum discrimen inter afflictiones domus, id est, gentis seu familiæ Dei,

qui est, vt Dauid inquit, in genere iustorum (ad quam domum pertinent etiam pueri, & innocentes iuuenes & puellæ) & inter afflictiones non credentium euangelio Dei, id est impiorum & peccatorũ, vt Petrus hîc ostendit: & idem ostenditur 2. Machabeor. 6. & 2. Thess. 1. Ierem. 49. Aduersi enim casus pijs accidunt non ad interitum, sed ad correptionem: neque luent interitum æternum à facie domini, quemadmodum impij.

3 Quomodo porrò se gerere debeant Christiani qui affliguntur, & verò etiam moriuntur, paucis indicat hoc loco D. Apostolus, quùm ait: Qui patiuntur iuxta voluntatem Dei (sine qua pijs nihil contingit) tanquam apud fidelem conditorem deponant animas suas benefaciendo, id est, Christum imitentur, magistrum & dominum suum. Sicut enim vita Christi debet esse exemplar vitæ nostræ: ita & mors eius debet esse exemplum mortis nostræ. Nam omnis Christi actio, est nostra instructio, teste Gregorio.

Vt autem moriamur, vt Christus mortuus est in cruce, oportet vt tradamus spiritum nostrum inclinato capite, id est, sine contradictione: & oremus creatorem & seruatorem nostrum, vt in hora mortis suscipiat animas nostras in manus suas: item vt precemur patrem tum pro nobis, tum pro alijs, etiam inimicis

micis, si non ore, saltem corde: & vt clamemus, id est, mentem nostram ab omnibus terrenis & corporalibus rebus eleuemus ad Deum, ad cœlestia æternaque gaudia, cupientes dissolui & esse cum Christo: denique vt ploremus, saltem corde, propter peccata nostra: quia & Christus lacrymas profudit, iuxta illud Hebræorum quinto cap. Qui in diebus carnis suæ, quum & precationes & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore valido & lacrymis obtulisset, & exauditus esset pro reuerentia, tametsi filius erat, tamen didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, ac perfectus reditus, omnibus qui sibi obedierunt fuit causa salutis æternæ. Huic igitur sit laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

CONCIO CLXVIII.

1. Pet. 5.

HVMILIEMINI sub potenti manu Dei, vt vos extollat, quum erit opportunum, omnem curam conjectam in illum. Nam illi cura est de vobis. Sobrij estote, vigila-

te, quoniam aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Cui resistite, solidi fide, scientes easdem afflictiones, vestræ quæ in mundo est fraternitati, consummari.

1

QVoniam omnes cupimus esse sublimes & alti, idcirco iustum videtur, vt discamus etiam viam, qua ad summam licet peruenire sublimitatem, id est, vsque in cœlum, vbi Christus sedet ad dexteram patris. Ea autem est humilitas, quæ nascitur ex cognitione nostri & Dei. Neque est vt vehementer humiliati ac prostrati soliciti simus de modo exaltationis nostræ, sed potius omnem curam conijciamus in eum, qui potentem & benignam manum habet, & semper de nobis curat.

2 Interim verò dum hic sumus in exilio, sobrij simus ac vigilemus. Qui enim ebrij sunt & dormiunt, non sunt idonei ad boni aliquid agendum, & diabolo resistendum: qui diabolus noster aduersarius est, & tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret, vt Petrus inquit. Quibus verbis nostram & omnium fratrum nostrorum vitam in terris depingit. In his enim habitamus

tanquam

tanquam peregrinus quispiam in diuersorio pleno prædonum & raptorum: quod qui cõsiderat, non multum porrò delectabitur hac vita, sed potius cupiet dissolui & esse cũ Christo. Scitis (inquit Chrysostomus Homilia sexta in Genesin) quòd hostem habemus perpetuum, & fœderis nescium. Vnde nobis magna vigilantia opus est, ita vt eius fraudes vincere, & superiores eius telis constitui possimus. Imo si vel parum excitari voluerimus, omnes illius insidias quasi puluerem repellemus. Neq; enim vi sua & necessitate nos vincit, sed deceptione sola. Non autem decipiemur, si parum esse vigiles voluerimus, & nosmet ipsos attenderimus: non quòd nostra sit tanta potestas, sed quia tunc superna gratia nobis affulget. Nam si quæ à nobis sunt fecerimus, sequẽtur & omnia quæ Domini sunt. Sobrij igitur simus obsecro, scientes artes maligni, perpetuò vigilemus, & oremus, vt nos adiuuet certare nostrum certamen.

3 Si autem in uita nostra diabolus nos tentat, multò magis id faciet in agone mortis. Constat enim dæmoni astutissimo, quòd omnes homines affectant & desiderant bonum finem & bonam mortem: idcirco conatur impedire hominem, ne in bono fine decedat. Nouit etiam, quòd si euadat homo in morte potestatem dæmonum, nunquam am

plius timebit eos, sed dicere potest cum Psalte: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem seu prædam dentibus eorum: Anima nostra sicut auis erepta est de laqueo aucupis, Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Deinde scit, quòd si obtinebit eum in agone, amplius nunquam potest eum perdere: sicut iam in præsenti potest ante agonem, si videlicet homo pœnitentiam agat.

Sunt autem potissimum quinque tentationes, quibus diabolus nititur hominem in extremis agentem à salute sua impedire. Vult enim inducere hominem vel ad deuiandum à fide: vel ad desperandum de misericordia Dei: vel ad impatientiam: vel ad complacentiam suiipsius: vel ad nimiam occupationem rerum temporalium. Idcirco resistamus illi solidi fide. Hæc est enim victoria, quæ vicit mundum, vt Ioan. ait, fides nostra. Hanc confirmet nobis Dominus Iesus, Amen.

CONCIO CLXIX.

2. Petri 1.

Attamen iustum arbitror, quàmdiu sumus in hoc tabernaculo. excitare vos per

per commonitionem, cùm sciam breui futurum, vt deponam hoc tabernaculum meum: quemadmodum & dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Quin & dabo semper operam, vt vos post exitũ meum, horum mentionem facere possitis.

I

PRÆter cæteras doctrinas, quæ in his Petri verbis continentur, discimus quid agendum sit nobis, dum in hac vita sumus. Iustum est enim vt, quamdiu sumus in hoc tabernaculo, excitemus nos mutuò per commonitionem, id est adhortemur inuicẽ, idque hoc magis, quòd videmus appropinquantem diem, vt Apostolus ad Hebræos 10. etiam scribit. Et Dominus Petro Luc. 22. dixit: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Salubris enim est commonitio omni tempore, etiamsi in pietatis summa, & doctrina Christiana nihil, aut parum deesse videatur. Fieri namque potest, vt qui nunc vigilat, mox obruatur à somno: & vt qui iam rei bene meminit, cito obliuiscatur. Semper igitur excitandi ac monendi sumus, imò & obiurgandi: id quod amicorum est, teste Cicerone, nedum fratrum & Christianorũ. Hinc Apost. Colos. 3. scribit: Sermo Christi inhabitet in vobis opulentè cum omni sapientia.

Doceteque & commonete vos inuicem cantionib. & laudibus, & cantilenis ſpiritualib. Item 1. Theſ. 5. Adhortemini vos mutuo, & ædificetis ſinguli ſingulos, ſicut & facitis. Et Heb. 3. Videte fratres, ne quando ſit in vllo veſtrûm cor prauum, obnoxium incredulitati, vt deſciſcat à Deo viuente: ſed exhortemini vos inuicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur ſeductione peccati. Quod hîc inquit, quoad appellatur dies hodiernus: hoc Petrus ſic effert, quandiu ſum in hoc tabernaculo: & Chriſtus Matt. 5. dum es in via cum illo: & Eccl. 12, antequá reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deũ qui dedit illũ.

2 Deinde diſcimus corpus noſtrum vocari tabernaculum, vt & Sap. 9, 2. Corinth. 5. aliàs templum, 1. Cor. 6. vt & Chriſti corpus, Ioan. 2. Tabernaculum (vt ſcribit Auguſtin. in Enarrat. Pſal. 26.) peregrinantium, & quodammodo militantium, & aduerſus hoſtem pugnantium eſt. Quando ergo tabernaculum eſt in hac vita, manifeſtum eſt, quia eſt & hoſtis. Et Pſalmi trigeſimi: Erit enim in cœlo domus tua æterna, ſi modò bene in hoc tabernaculo vixeris. Rectè dicit in hoc tabernaculo, quia, teſte Paulo, vnuſquiſque reportabit ea quæ fiunt per corpus: quod, vt Chryſoſtom. ſcribit ſuper cap. 5. ad Gal. & Hom. de

Reſur-

Resurrect. instrumentum est animæ, & innumerabilium bonorum causa. Imaginare (inquit) sensus extinctos esse, & videbis animam omni cognitione destitutam, neq; quicquam eorum quę nunc nouit, nosse. Etenim si potentia Dei, dum ex opificio mundi per res conditas intelligitur, conspicitur, quomodo videre poterimus absque oculis? Quòd si & fides ex auditu est, quomodo sine auribus audiemus? prædicare verò & circumcursare, linguæ pedumque constat adminiculo. Quomodo enim, inquit, prædicabunt, nisi mittantur? Et scribendi munus peragitur manibus. Vides vt innumerabilium causa bonorum est carnis ministerium? Satis enim manifestum, quòd per oculos & aures manuducitur anima, vt agnoscat Deum, qui illam fecit.

Est autem discrimen inter domum (inquit ille) & tabernaculum. Etenim tabernaculi nomen sæpe ostendit tẽporarium quiddam. Ideo dicit: In domo patris mei multæ mansiones sunt. Si autem alicubi tabernacula vocat etiam sanctorum quietem, non simpliciter dicit tabernacula, sed addit æterna. Lucæ 16.

3 Postremò discimus quid mors fidelium sit, nempe depositio tabernaculi mox futura, & exitus. Vnde exitus? de hoc mundo. Quo?

ad patrem, Iohannis decimotertio: vbi Christus est, Philip. 1. Hinc D. Chrysostomus Homil. vlt. in Genes. Nunc (inquit) propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus, & consummatio quies, & certa multaque sunt resurrectionis indicia, quasi de vita in vitam transferendi, sic exultemus & lætemur. Et quid dico de vita in vitam? de deteriori ad meliorem, de temporali ad æternam, de terrena ad cælestem. Sic impij non dicunt. Quomodo igitur? Ich stirb (inquiunt) vnd weiß nicht wenn: Ich far vnnd weiß nicht wahin: vnnd nimpt mich wunder daß ich so frölich bin. Cæterùm pij sciunt se breui morituros, sed non absque voluntate patris. Spiritus item sanctus testatur vnà cum spiritu eorũ, quòd sunt filij Dei, atque adeo hæredes Dei, & cohæredes Christi. Itaque bono animo sunt semper, & sciunt, quòd quum domi sunt in corpore, peregrinantur à Deo, per fidem enim ambulant, non per speciem (id est, certa spe, non ipsa re.) Confidunt autem & probant magis, peregrè abesse à corpore, & præsentes adesse apud Deum. Quapropter contendunt, siue domi præsentes, siue foris peregrè agentes, vt illi placeant. Omnes enim nos manifestari oportet corà tribunali Christi, vt reportet vnusquisque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum.

malum. Dominus Iesus adsit nobis suo spiritu, quò ipsius aduentum diligamus, & in illo die reportemus coronam iustitiæ & vitę sempiternæ, Amen.

CONCIO CLXX.

Apocalyp. 1.

ET CVM vidissem eum (filium hominis in maiestate sua) cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et posuit dextram suam super me, dicens mihi: Noli timere, Ego sum primus, & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, Amen. Et habeo claues inferorum & mortis.

1

CHristus Iesus dominus & Deus noster tam splendidus & augustus est, vt de se dicat: Non viderit me homo, & viuet, Exodi 33. Ideo & Iohannes viso eo cecidit ad pedes eius tanquam mortuus. Vetus enim & terrenus homo non tolerat aspectū Deì: imò neque nouus homo plenè Deum videre & cognoscere potest in hac vita, pri-

mæ Corinth. 13. Corpus enim terrenum aggrauat animam multa cogitantem. Quis ergo hæc considerans non libenter deponeret hanc mortalem carnem? Si autem corpus morti obnoxium impedit à nobis Dei aspectum, multô magis caro peccato obnoxia hoc facit.

2 Sed quid? est ne desperandum seruo Dei deiecto ad pedes Iesu? Minimè. Dicit enim Ioan. Dominum posuisse dexteram suam super se (quæ confirmator spiritus est, & dextera illa roborans, de qua Psal. 63.) & dixisse sibi: Noli timere. Vtinam hanc vocem quoque audiremus hora mortis nostræ, ab eo, qui hîc dicit: Ego sum primus (per quem pater mundū hunc molitus sit) & nouissimus (per quem pater omnia sit restauraturus) & viuus (apud patrem, vt & meis vitam largiar) & fui mortuus (propter peccata mundi) & ecce sum viuens in secula seculorum, id est nunquam amplius moriturus, Romanorum 6. Amen. Et habeo claues inferorum & mortis, id est nomen super omne nomen, Philip. secundo. & omnem potestatem, Matthæi vigesimo octauo.

3 Quoniam igitur Christus frater noster inferni & mortis claues habet, quis non omnem metum de aduersis rebus deponat? quis in posterum diabolum timeat? & non potius eum,

eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam? Matth. 10. qui denique potest non solùm perdere, sed etiam seruare & viuificare, quos vult, Iacob. 4. Iohan. 5. Huic sit laus, honor & imperium in sempiternum, Amen.

CONCIO CLXXI.

Apocalyp. 2.

ANGELO Ephesinæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quod non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces, & tulisti, & patientiam habes, & propter nomen meum laborasti, & non defecisti. Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin minus, veniam tibi citò, & mouebo candelabrum

tuum de loco suo, nisi resipueris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesijs. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio paradisi Dei.

1

PER septem ecclesias, quibus Ioannes scribit, intelligitur vna ecclesia catholica propter septiformem gratiam. Angeli ecclesiarum sunt ministri & doctores à Deo missi, Malac. 2. Et quod vni ecclesiæ scribitur ac dicitur, hoc est, Ephesijs (quos interpretantur desiderabiles) quibus & Paulus epistolam scripsit, hoc omnibus dicitur. Facit autem mentionem authoris epistolæ statim in exordio, his verbis: Hæc dicit (non ego: sed dominus Iesus) qui tenet septem stellas in dextera sua (per quas Augustinus ecclesiam intelligit. In dextera enim Christi est spiritualis ecclesia, cui ad dexteram positæ dicit: Venite benedicti patris mei, Matth. 25. Iohannis 10. Alij per stellas angelos (Apocalyp. 1.) hoc est, euangelij ministros intelligunt: quia lucem cœlestis doctrinæ afferre, & innocentis vitæ lumine alijs prælucere debent, Matt. 5. Dan. 12. Has stellas Christus dicitur complecti dextra, id est, potentia omnia admi-

administrante, quas aduersus omnem contrarium potentatum defendit, Luc. 21.) qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum, id est, qui non otiatur, sed præsens in ecclesia omnia vigilanter per angelos administrat. Candelabra enim sunt ecclesiæ, quarum vniuersitas septenario, quieti sacrato numero, comprehenditur. Dicitur autem ecclesia candelabrum, quòd in ea lux mundi, id est, Messias luceat eiusque verbum, Matthæi 18.28. aureum verò, ob precium, quo redempta est, vel ob puritatem, Psalmo quadragesimoquinto: Astat regina à dextris tuis in vestitu deaurato.

2 Deinde quæ in ecclesia commendanda sint, indicat. Sic enim dicit: Scio (oculi enim eius sunt vt ignis flamma, Apocalyp. 1.) opera tua & laborem & patientiam tuam (id est, quantum, & fide operemini, & charitate laboretis, & spe toleretis, primæ Thessal. primo.) & quòd non potes sustinere malos (sustines enim laborem in pugna aduersus carnem, mundum & satanam, & aduersus tyrannos persecutores) & tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse (probauisti spiritus, an ex Deo sint, 1. Iohannis 4.) & non sunt: & inueniisti eos mendaces, & tulisti (toleratis patienter rebus aduersis, quæ tibi ab aduersarijs contigerunt) & patientiam habes (in qua pos

fidentur animæ, Luc. 21.) & propter nomen meum laborasti & non defeciſti (cum ſcias quòd labor tuus non ſit inanis in domino, 1. Corinth. 15.)

3 Poſtea de quibuſdam cum eccleſia expoſtulat, quòd ſcilicet non tanto amore ardeat, quanto olim, Matth. 24. quòd lumen cœleſtis doctrinę partim amiſerit, partim hoc, vbi lucet, non eo ſtudio, quo debet, amplectatur.

Huic morbo adhibendam eſſe pœnitentiam poſtmodum docet: & adhortationi ad pœnitentiam minas adiungit. Motio candelabri eſt, qua eccleſiæ priuantur euangelij luce, Matth. 22. Reprehenſioni ſubiungit laudem. Temporibus his reſtituti euangelij cõmendanda eccleſia eſt, quę damnatis noſtrorum Nicolaitarum in regno Antichriſti ſturpis & idololatria, liberum coniugium euangelij miniſtris permittit.

4 Tandem ſubiungitur præmium: quod dabitur Vincenti. ſcilicet in prælio aduerſus carnem & eius affectus, vt gulam, &c. idque tectus diuinæ ſapientiæ & fortitudinis armis, Epheſ. 6. Dabo, inquit, ei edere de arbore (id eſt, ligno, pane, fonte,) vitæ (quæ arbor vitam æternam donans ea veſcentibus per fidem, Meſsias eſt, Geneſ. 2. Iohannis 6. Luc. 22.) quæ eſt in medio paradiſi Dei (id eſt, quę diuina dulcedo eſt in horto voluptatis cœleſtis.)

lestis.) huius paradisi fructus incoruptus per seuerat, in eo est securitas & medela, 4. Esd. 7. 8. & nota quòd ad lignum vitæ transitus est de ligno crucis, Luc. 22. D. Augustin. per lignum vitæ intelligit fructum crucis: per paradisum ecclesiam, quòd omnia in eius figuram facta sint. Dominus Iesus det nobis vires vincendi, vt ligni vitæ in paradiso Dei participes fiamus, Amen.

CONCIO CLXXII.

Apocal. 2.

ET angelo Smyrnæorum ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus & viuit: Scio opera tua & afflictionem, & paupertatem (sed dives es) & blasphemiam eorum, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis afflictionem dierum 10. Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem au-

diat, quid spiritus dicat ecclesiis. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.

1

HÆc est altera, quam Ioan. iussus est scribere, epistola, in qua Smyrnæorum ecclesiam varijs afflictionibus vexatam (Smyrna autem idem est ac si dicas, Myrrha) consolatur, ad patientiam cohortans, propositis præmijs, quibus in cœlesti regno ornanda sit. Quod verò singulis dicitur ecclesijs, singulis hominib. conuenit in vna ecclesia constitutis. Nota, inquit Albertus Mag. quòd dominus prędicens fidelibus suis, quòd propter ipsum essent ex synagogis *eijciendi, ac interficiendi*, promittit se eis missurũ *spiritum veritatis*, qui eos consoletur, & qui testimoniũ perhibeat filio Dei, quòd militib. suis, qui bene certauerint, pręmium glorioſum sit daturus. Perhibet igitur spiritus S. testimonium filio Dei, quòd fidelib. suis septemplicem hostem vincentib, septiforme prędium largietur. Vnde in Apoc. 2. & 3. cap. Vbi dominus ponit prędia, quę dabit victorib. suis, prędmittitur semper præmio, vel subiungitur: Qui habet aures audiendi audiat, quid spiritus dicat ecclesijs. De prędio illius, qui vicerit gulam, habetur in 1. epistola: de prędio illius qui inuidiam vicerit, in hac secunda, quæ inuidia

uidia est quasi prima mors animę proprię: de præmio illius, qui iram, in tertia: illius qui ignauiá, in quarta: illius qui luxuriá, in quinta: illius qui auaritiam in sexta: illius qui superbiam, in septima.

2 Excitatur autem hac Messiæ descriptione in principio epistolæ posita, spes ecclesiæ afflictę, & hostilis principatus terretur. Si enim primus est, æternus Dei sermo est, per quem omnia condita sunt: Si nouissimus, ergo mansurus in omnem æternitatem, hostibus suis extinctis: Si mortuus, ergo sua morte nostram benedixit: Si reuixit, ergo & nos resurgemus ad vitam. Consolatione & hoc afficit afflictam ecclesiam, quod Dominus illius dicit, sibi non abscondita, sed nota esse omnia mala quæ patitur. Ait enim: Scio opera tua & afflictionem & paupertatem: sed dines es (diuitijs cœlestibus: quia in tenebris lucem, in morte vitam propositam habet ecclesia, quæ spiritu pauper est, & tamen omnia possidet, vt est 2. Corinthiorum sexto.) & conuicia, quibus afficeris ab ijs, qui se maximè pro veris Dei cultoribus haberi volunt, sed sunt cœtus Satanæ, & non Iudæi spiritu, quorum Christus rex est.

3 Adhortatur demùm Christus ecclesiam ad patientiá, fortitudinem & constantiam, adiũctis promissionib, quarũ nemo particeps erit

nisi legitimè, vt bonus miles Christi certauerit, & ad finem vsque perseuerauerit, secundæ Timoth. secundo, Matthæi decimo. Quis autem timere vellet eos, qui occidunt corpus, vel illum qui non aliter calamitates infert, quàm veluti quæstor & carnifex, neque plures machinatur, quàm Deo visum est, qui suos ad probandam fidem eorum tentari sinit, etiamsi calamitates illæ per decem dies (per quos, vel decem annos, id est, præcipuum aliquod tempus, quo ecclesia vexanda sit, intelligere licet: vel totum tempus, in quo populus Christianus per multas tribulationes intrat in regnum Dei: quia denarius perfectus numerus est, & numerorum summa) duraturæ essent: si consideret magnitudinem præmij, quod est corona vitæ, de qua etiam Paulus posterioris Tim. 4. & Iacob. capite 1. hoc est, corona regij sacerdotij, qua coronatus cum suo sponso in omnia victor, imperet? Nam qui vicerit, non lædetur à morte secunda, quę cernitur in ea morte, qua maledicti vnà cum corporibus excitatis è terra, in die iudicij ad letales inferni tenebras, Dei vita priuati damnabuntur. De hac morte (quę potius timenda, quàm prima) Apocalypsis vigesimo sic scribitur: Et infernus & mors coniecti sunt in stagnum ignis: Hæc est mors secunda, hoc est, æterna. Nulla autem ma-

tem maior (teste Augustino in fine lib. 6. de Ciuit. Dei.) & peior est mors, quàm vbi non moritur mors. Huius amaritudinem amarissimam & æternitatem vtinam sæpius seriò cogitaremus, vt affectus noster retraharetur à noxijs delectamentis. Solent nonnullæ matres, ablactare volentes filios, amara superlinire vberibus. Has imitemur. & vsque ad mortem fideles simus, vt nę lędamur ab hac morte pessima. Quemadmodũ enim in obsecratione perseuerandum est, Colos. 4. sic & in fide, iuxta illud prior. ad Corinth. 16. State in fide. Qui enim sustinuerit vsque ad finem, hic saluus fiet, id est, accipiet coronam vitæ.

4 Dicas: Si ecclesia iubetur fidelis esse vsque ad mortem: ergo fideles moriuntur? Quid igitur est illud quod sacræ literæ affirmant de iusto, quòd ex fide sit victurus? Audiamus Diuum Paulum super hac quæstione. In priori ad Corinth. decimoquinto capite: sic scribit: Ex quibus (fratribus) plures manent ad hunc vsque diem: quidam autem & obdormierunt. Audiamus & ipsum Christum Iohan. 11. ita loquentem: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Ecce fidelium mors dicitur somnus à Christo: in quem qui credit, etiamsi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui vi-

uit & credit in eum, non morietur in æternum. Ipse enim est resurrectio & vita.

Ex eo tamen quod videmus etiam pios ac fideles mori, discant increduli atque impij quid ipsi mereantur, & quod supplicium ipsos maneat. Non enim absque causa scriptum est, Prouerbiorum vndecimo, & in priori Petri quarto: Si iustus in terra recipit, quantò magis impius & peccator. Si in humido ligno, dicit Dominus Iesus, Lucæ vigesimotertio: Hęc faciunt: in arido quid fiet? Omnes ergo cogitemus nobis moriendum esse, iuxta illud Ecclesiast. octauo: Noli de mortuo inimico tuo gaudere (vt sæpe nonnulli solent, sed perperam) sciens, quoniam omnes morimur. Dominus Iesus, qui claues habet mortis, seruet nos à secunda & sempiterna morte, Amen.

CONCIO CLXXIII.

Apocal. 2.

ET ANGELO Pergamensis ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet romphæam vtraq; parte acutam. Scio opera tua, &

v

vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus meis, Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat. Sed habeo aduersus te pauca, quia habes isthic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat in Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere ex his, quæ simulachris immolantur, & scortari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, quod odi. Resipisce, alioqui veniam tibi citò, & pugnabo cũ illis gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs. Vincenti dabo edere ex manna abscondito: & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

I

IN hac tertia epistola, ecclesiæ, quæ est in Pergamo (id est, si interpreteris, Altitudine) scripta, primò describitur Christus: deinde virtutes ecclesiæ laudantur, & vitia notantur: tertiò illam ad pœnitentiam hortatur, propositis & supplicij, & præmiorum locis.

De Christo sic scribit: Hęc dicit, qui habet gladium ancipitem, id est, sermonem euangelij, Hebr. 4. quo ecclesiam suam defendit, & hostes conficit, Esaię 40. 11. altera parte piorum veterem hominem iugulat, vt nouus viuat: altera impios, quos penitus perimit, scindit, Iohann. 12. Idem gladius acutus est, quia penetrat ad ipsa vsque viscera, separans spiritum à carne, consilia mundi, à consilijs Dei, &cæt.

Scio opera tua & vbi habitas, vbi sedes est Satanę) id est, Antichristi, qui spiritu Satanę agitur: tu inter impios, sed non impiorum more versaris.

Et tenes nomen meum.) fortiter confiteris nomen seruatoris Christi, qui non est diuisus, 1. Corint. 1.

Et non negasti fidem meam) nec ore, nec factis, nec corde.

Et in diebus meis Antipas) qui pro omnibus, vel contra omnes.

Testis meus fidelis occisus est apud vos, vbi Satanas habitat) qui homicida* est ab initio, & hostis sanctorum Dei, qui nullius rebus aduersis à confessione euangelij abarceri possunt. Rom. 8.

Sed habeo aduersus te pauca) semper. n. ecclesia opus habet ędificatione & correctione: constat. n. ex varijs generib. hominũ, Mat. 13.

Quia

Quia habes isthic tenentes doctrinam Balaam.) de quo Num. 23.

Qui docebat in Balac mittere scandalum coram filijs Israel.) Num. 31. 35.

Edere ex his quæ simulachris immolantur, & scortari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.) id est, habes homines libidini, luxui, auaritiæ deditos, qui ore euangelium crepant, vita Epicuros exprimunt.

Quod odi) non personas quas seruari cupio per pœnitentiam.

2 Resipisce.) veterem hominem exuens, & nouum induens. Hæc est nostra tempestate necessaria admonitio. Huic adijcit comminationem.

Alioqui veniam tibi citò,) vindicaturus in scelera tua.

Et pugnabo cum illis gladio oris mei.) .i. gladio spiritus, quo conficiá impium, 2. Thessalonic. 2.

Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesijs.) Catholicæ ecclesiæ.

3 Vincenti,) malum, mundum, iram, &cæt. 1. Iohan. 2. 5. Hac voce Spiritus sanctus ducem, prælium, milites, hostes, arenam, in qua prælium committitur, arma militaria, victoriam, præmium, considerandanobis proponit: quæ singula nota sunt certatoribus, quos Deus pugnantes cernit, deficientes iuuat, vin

centes coronat, id est, illis dat edere ex manna abscondito (ex pane vitæ in regno Dei, Ioannis sexto, Lucæ decimo quarto: qui Christus est, mundo absconditus, sed non suis, Iohannis decimo capite. O delicatam & mortalibus inexpertam dulcedinem mentis, Psalm. trigesimo primo) & dat illis calculum candidum (id est, claritatem diuinæ cognitionis: ipsum Christum, quo calculo à iure peccati & mortis absoluuntur ei fidem habentes) & in calculo nomen nouum scriptum (nomen hominis cœlestis, id est, vocabuntur hæredes Dei) quod nemo scit (per veterem naturam rerum cœlestium ignaram, Matth. 16. primæ Corinthiorum, primo capite) nisi qui accipit (regenerationis vi, cuius spiritus anima scrutatur) In suffragijs comitiorum, quæ olim calculis ferebant, nomen eius, cui fauebatur, calculo inscribebant. Hinc calculum album quidam interpretantur, ein gute zeugnus.

Vt hoc præmium consequamur, dignetur nos iuuare Christus Iesus dux noster & imperator,

Amen.

CON-

CONCIO CLXXIIII.

Apocal. 2.



NGElo Thyatirensis ecclesiæ scribe: Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes chalcolibano. Noui opera tua, & charitatem, & ministerium, & fidem, & patientiam tuam, & opera tua, & nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Hiezabel, quæ se dicit Prophetam, docere & seducere seruos meos, scortari, & edere ex ijs quæ simulachris immolantur. Et dedi illi tẽpus vt resipisceret à scortatione sua, nec resipuit. Ecce ego mitto eam in lectũ, & qui adulterio miscentur cum ea, in afflictionem maximam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis, & filios eius interficiam morte, & scient omnes ecclesiæ, quòd ego sim ille scrutans renes & corda & dabo vnicuiq; vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, & cæteris,

qui Thyatyræ estis. Quicuque non habet doctrinam hanc, et qui non cognouerunt profunditates Satanæ (quemadmodum dicunt) nõ mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis, tenete donec veniam. Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas virga ferrea, et tanquam vasa figuli confringentur. Sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi stellam matutinã. Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.

I

HAbemus in hac epistola ad pastorem ecclesiæ in Thyatira (quæ Lydiæ vrbs est: & interpretatur sacrificiũ contritionis) primo descriptionem Christi, qui filius Dei dicitur, & oculos tanquam flammam ignis habet, qui lucidi sunt & omnia contemplantur, Zach. 3. & omnem in ecclesia impuritatem expurgant, & impios ignea iudicij vi consumunt: item pedes similes chalcolibano, qui sunt affectus in Christo, ardentes amore in suam sponsam. Augustinus scribit: In oculis præcepta Dei dici, quæ lucida & ignita sunt: & in pedibus ignitis ecclesiam intelligi

telligi, quæ imminente die iudicij, nimietate preſſurarum probanda & igne examinanda eſt. Ideo aurichalco ſimilis dicitur, quod ex ære & igne multo ac medicamine perducitur ad auri colorem, &c.

2 Deinde habemus opera commendabilia, vt fidem, charitatem, miniſteriũ, patientiam, & in his progreſſum felicem: & reprehenſibilia in eccleſia, quæ ſcilicet ipſa lumen habens euangelij, multos corrumpi ſinat per Iezabelem 3. Reg. 16. quæ figura fuit Babylonis meretricis, quæ ſe ſuper omne id quod eſt numen Dei extollit. Cui Deus, nolens peccatorem perire, tẽpus dedit, vt reſipiſceret, quod ipſa negligit. Idcirco à iuſto iudice vnà cum ſuis ſcortatoribus & liberis in lectum, id eſt, morbum & afflictionem & mortem mittetur. Ex quo omnes cognoſcent Deum in ſua potentia & iuſtitia.

3 His additur conſolatio, & admonitio neceſſaria. Dicit enim Thyatirenſibus & reliquis omnibus: Quicunque non habet doctrinam hanc, & qui non cognouerunt profunditates ſatanæ, id eſt, qui malis diaboli artibus, vix penetrandis nõ decipiuntur: quemadmodum dicunt (ſibi ſatanæ artes ignotas eſſe, & ſe ſimplicem doctrinam euangelij ſequi) non mittam ſuper vos aliud pondus, ſcilicet ſuper id quod poteſtis ſuſtinere: tamen

id quod habetis, tenete donec veniam.

4 Quod autem erit præmium eorum, qui vicerint opera diaboli, vt accidiam, &c. & custodierint vsque in finem opera Dei, id est, à spiritu eius profecta, & quæ ipse facere iubet? Dabitur illis potestas super gentes, id est, super dæmones & malos homines, qui eos olim in seruitio Dei & in bonis operibus impediuerunt: quam potestatem ecclesia in Christo habet, cum quo omnia Deus donauit nobis, Romanorum octauo. Et qui antea in pios sceptro ferreo grassati sunt, tandem vindice Christo virga ferrea regentur, cuius duritie confringentur vt vasa figuli, quibus scitè comparantur, vt terreni ex luto ficti homines: sicut pij è spiritu nati, stellis cœli. Porrò per stellam matutinam vel ipse Christus Sol iustitiæ intelligitur, Apocal. vigesimo secundo, vel corporis & animæ dotes, vel prima resurrectio. Stella matutina noctem fugat, & lucem annunciat: sic Christus opera tenebrarum, id est, peccata tollit & gratiam tribuit. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in omnia secula, Amen.

CON-

CONCIO CLXXV.

Apocal. 3.

ET angelo ecclesiæ, quæ est Sardis, scribe: Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas & mortuus es, Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inueni opera tua plena coram Deo. In mente ergo habe, qualiter acceperis & audieris, & serua & resipisce. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquã fur, & nescies qua hora veniam ad te. Habes pauca nomina & Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, is vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius. Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.

I

EPistolæ à Ioanne ad septē ecclesiarum angelos, id est, legatos ac pastores missæ, indicant, quem statum ecclesia tum habuerit, & quem sequentibus temporibus, & præcipuè his nouissimis seculis sub restituti euangelij patefactionē habitura sit: quæque in ea laudanda, & vituperanda sint, ostendunt. Nominantur autem ecclesiæ Asiæ, vt quæ euangelij luce tum illustres essent.

In hac epistola ad Sardensem ecclesiam scripta (Sardis autem est vel princeps iucunditatis, vel canticum lætitiæ, vel id quod relinquitur vel remanet) & ministros & ecclesiam redarguit, quòd ea vita, quæ in Christi spiritu se per bonas actiones declarat, careāt. Dicit enim is qui habet septem spiritus Dei (id est, Christus, cui Deus nō ad mensuram dedit spiritum, sed ita impleuit eum, vt de plenitudine eius nos omnes accipiamus, Iohannis 3. 1.) & septem stellas (id est, septem angelos, imo omnes oues & Abrahami filios, in manu sua) Scio opera tua (eius enim oculi omnia in hac vniuersitate, bonos & malos, & eorum facta vident) quia nomen habes, quod viuas & mortuus es (id est, Christianus vocaris, sed non dignè Christo viuis: confiteris quidem illum labijs, sed factis negas: corpore quidem viuis, sed anima mortuus es. Vt autem

tem quis viuēs mortuus esse potest: sic etiam aliquis mortuus viuere potest. Qui enim credit in Christum, etiamsi mortuus fuerit viuet. Ioan. 11.) item, Non enim inueni opera tua plena coram Deo.

2 Deinde monet spiritus hanc ecclesiam, & omnes ecclesias, vt sint vigilantes, vtque pastores doctrina euangelij confirment cæte ra quæ moritura sunt, ne & ipsa moriantur: vt meminerint qualiter acceperint, id est, quomodo instituti fuerint, & audiuerint: vtque seruent, id est, doctrinam quam acceperunt teneant, & resipiscant, seu pœnitentiam agant, quò gaudio afficiant angelos in cœlo, & non pereant, Luc. 15. 13.

3 Postea minatur, ac dicit: Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescias qua hora veniam ad te. Ergo dormienti veniet Christus, sicuti fur: hoc est, quando veniet, iubebit tolli à seruo malo & pigro talentum, & dari ei qui habet decem talenta, id est, ei qui vigilauit & diligens fuit. Omni enim habenti dabitur & abundabit. Qui verò non habet, etiam id quod habet, auferetur ab eo. At vos fratres, dicit Apostolus credentibus ac filijs lucis, non estis in tenebris, vt dies ille vos tanquam fur opprimat. Cæterùm vt vigilare possimus feliciter, oremus cum Dauide, vt Dominus illuminet oculos nostros, ne obdor-

miamus in morte, & vt nos custodiat à malo. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.

4 Porrò quemadmodum vbiq; pauci sunt fideles & sancti: sic & in ciuitate Sardis. Dicit enim Dominus: Habes pauca nomina (id est homines, Actor. 1.) & Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, id est, qui se sancte gerant, vtpote vestiti vestem nuptialem, quæ Christus est, Math. 22. Roman. 13. quem induimus cum eius spiritum, in quo candor & puritas veræ probitatis cernitur, accipimus. Hoc qui aguntur ad omnia honesta officia peragenda, præmio ornantur, de quo sequitur mentio: Et ambulabunt mecum in albis, id est, habebunt partem mecum, eruntq; vbi ego sum, Iohann. decimotertio, decimo quarto: quia digni sunt, vtique non suo, sed agni merito & innocentia, qui fidelium innocentia & sanctitas est.

5 Quis præterea fidei purificantis corda finis sit, amplius exponit, nempe salus animarum. Inquit enim: Qui vicerit scilicet mundum & ea quæ in mundo sunt, vt luxuriam, &c. idque per fidem amore Dei ardente. Hæc enim est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra, primæ Iohann. 5) hic vestietur (à filio virginis) vestimentis albis, id est, triumphalibus, glorioſis, & lætitiam significantibus,

qua-

qualibus victores amiciuntur, & angeli indu ti sunt, Matth 28. qui vident faciem patris, stantes ante thronum eius, Math.18. Apocalypsis septimo. Et non delebo nomen eius de libro vitæ, id est, habebo illum pro ciue Hierosolymæ cœlestis, Heb.12.Luc.decimo: daboque ei vitam æternam, nec peribit in æternum, neque rapiet eum quisquam de manu mea, Ioann.10.neq; demerget eum, 4.Esd. 7. Et confitebor nomẽ eius coram patre meo & coram angelis eius, quasi dicat: nam & ipse confessus fuit me in hoc seculo, & fortiter pro nomine meo stetit, vt 4.Esd.2. & Matt.10. legitur.

Quanta hæc futura sit gloria sanctorum, ex contrario etiam intelligi potest. Quanta enim erit ignominia impiorum, qui nigris vestimentis induentur, id est, in exteriores tenebras conijcientur, vbi omnia nigra & atra sunt? quorum nomina ex cœlo expungẽtur? quos & Christus non agnoscet, sed negabit coram patre suo qui in cœlis est? Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesijs, Nihil enim frustra dicit. Quod vtinam ferè credamus omnes, Amen.

CONCIO CLXXVI.

Apoc. 3.

Et Angelo Philadelphiensis ecclesiæ scribe: Hæc dicit sanctus & verax, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, & nemo potest claudere illud, quia modicam habes virtutem. Et seruasti sermonem meum, & non negasti nomen meum. Ecce do de synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed mentiuntur. Ecce adigam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos, & sciant quòd ego dilexi te, quoniam seruasti sermonem patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum, vt tentet habitantes in terra. Ecce venio cito, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Et scribam super eum nomen

Dei

Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum. Qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs.

1

IN ſexta hac epiſtola Ioannis, quam iuſſu domini nuncio & præpoſito eccleſiæ, quæ fuit in Philadelphia (id eſt fraterna charitate) ſcripſit, primum obſeruanda ſunt epithe ta Meſsiæ. Eſt enim ab omni labe vacuus, ſanctificator fidelium, ipſa veritas: habens cla uem Dauid, id eſt regiam poteſtatem: aperiens (per ſpiritum arcana, & patrem oſtendens, Matth. 11. Iohan. 1. 1. Corint. 2.) nemine claudente claudēs (vel cœlum, vel infernum) nemine aperiente (Matth. vigeſimo quinto: nunc verò pulſanti aperiens, Lucæ vndecimo) Hanc clauem etiam apoſtoli tenent, ſed vt miniſtri, Math. 16. 18. videris Ieſa. 22. Iob. 12. Apocalyp. 1. Matt. vigeſimo octauo. Ipſe demum ſcit omnia opera eccleſiæ ſuæ, ſiue bona ſint, ſiue mala.

2 Deinde cognoſcenda ſunt illa quatuor, quorum potiſsimè mentionem facit in his literis, quater inquiens, Ecce.

Ecce dedi coram te oſtium apertum (de

quo Iohann. decimo capite, aperitur autem per fidem) & nemo potest claudere illud (vt aduersarius claudere tētat, cum euangelium vetat doceri, & professores eius persequitur) quia modicam habes virtutem (laus est Dei, quòd modicæ fidei ecclesiæ aperiat ostium, per quod ingrediens in regnum cœleste, inde vim sancti spiritus accipiat, qua ipsa fulta hostes vincat per fidem) Et seruasti sermonem meum (non aduersarij: seruatur autem, cùm fides euangelio adhibetur: & fides per pœnitentiam & benefacta declaratur, & cùm constanter fidem ore confitemur) & non negasti nomen meum (nec ore, nec factis.)

Ecce do de synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur (simulantes fidem, qua carent, & se & ecclesiam decipiunt) sed quid illis eueniet?

Ecce adigam illos, vt veniant & adorent ante pedes tuos (Ies. 60. Venient ad te curui filij eorum qui humiliaueruut te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Dei, &c. vel, Venient scilicet Iudæi amplexi Messiam, & patrem adorabunt in spiritu, Romanor. 11. ecclesiam reginam confitentes, Psalm. 45.) & sciant quòd ego dilexi te, Iohan. 3. De malis, à quibus seruantes sermonem crucis seruabuntur, habes & Luc. 21.

Ecce

Ecce venio cito (paremus ergo nos ad aduentum illius: quod fiet, si tenuerimus euangelium corde, fidem ei habendo, ore ipsum confitendo, benefactis exprimendo, sedulò cum mundo & satana principe eius pugnando, vt non tollatur à nobis talentum, Matth. vigesimo quinto, ne accidat nobis quod accidit Sauli, Iudæ, &c. quorum regnum & episcopatum acceperunt alij: 1. Samuel. 15. Actor, 1.

3 Tertiò perpendenda magnitudo præmij, quod dabitur vincenti, auaritiam scilicet & cætera mala, hominem vagum reddentia. Confirmabitur enim tanquam columna in ecclesia Dei (Psalmo septuagesimo quinto, Lucæ decimo sexto) extra regnum Dei nihil inuenietur quod concupiscat, sed semper delectabit eum manere in præsentia summi boni: appellabitur, & erit filius Dei, ciuis sanctorum & frater Iesu Christi: cuius est gloria, honor, potentia, & imperium in omne æuum,

Amen.

CONCIO CLXXVII.

Apoc. 3.

ET Angelo Laodicensium ecclesiæ scribe: Hæc dicit, Amen testis fidelis & verus, principium creaturæ Dei: Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque feruidus. Vtinam frigidus esses aut feruidus. Itaque quoniam tepidus es, & nec frigidus, nec feruidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis, diues sum & ditatus sum, & nullius egeo, & nescis quòd tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus ac nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum ex igni, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat dedecus nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Ego quoscunque amo, arguo & castigo. Æmulare ergo & resipisce: ecce ad ostium sto & pulso. Si quis audiuerit vocem meam & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici &

ei & consedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs.

1

IN hac epistola septima ad eos in Laodicea (id est, populum iustum) scripta, primùm describitur persona filij Dei, in cuius cognitione vita æterna consistit, Iohann. 17. Est enim amen testis, id est, fidus ac verus (nam testimonium fert veritati, Iohan. 7.18.) & principium creaturæ Dei, quæ per illum creata est, Iohann. 1. Colos. 1.

Deinde sub nomine Laodicensis ecclesiæ (in qua tolerati sunt multi, qui euangelio & eius fidei consentaneam vitam, frigentes amore Dei & proximi, minimè viuerent) reprehensio instituitur, qua generatim status, quem ecclesia posteris temporibus, & præcipuè his postremis habitura esset, reprehenditur: fore videlicet, vt existerent in ea, qui neque frigidi, neque feruidi essent, ardore nimirum diuini amoris carentes.

2 Postea acrem obiurgationem temperat dominus suaui hortatione, qua ecclesiam ad pœnitentiam cohortatur, qui nolit improbos, ad quos probos efficiendos in mundum hunc venit per suam improbitatem perire, sed potius ad se redire, vt seruentur. Ideo in-

quit *mirabilis ille consiliarius*, de quo Iesa. nono: *Suadeo tibi emere à me aurum*, &c. hoc est, amoris spiritum, *verbum* Dei, iustitiam, oleum spiritus, cruce *Christi* expressum, & per fidem nobis communicandum. Vel, aurum igne candens, id est, *sapientiam* cœlestem omnia humilia conculcantem, terrenaque *bona* conterentem: quemadmodum *Thomas* Kempisius exponit libro tertio de *Imitando* Christo, capite trigesimo septimo.

3 Postremò sequentibus consilium Christi, & Vincentibus per fidem hostes spirituales, vt superbiam, &c. proponitur *præmium*. Dicit enim: Intrabo ad illum (qui ingressus à *donis spiritus sancti* æstimatur) & cœnabo cum illo, & ipse mecum (scilicet in regno meo, Lucæ vigesimo secundo.) & dabo ei sedere mecum in solio meo (vt scilicet mecum imperet & iudicet, Matthæi decimonono.) Vbi enim ego sum, ibi & minister meus erit, Iohannis dnodecimo. Vtinam & nos omnes eò veniamus,

Amen.

CON.

CONCIO CLXXVIII.

Apocalyp. 14.

ET audiui vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriuntur amodo. Etiam, dicit spiritus, ut requiescãt à laboribus suis. Sed opera illorum sequuntur illos.

1

SIcut omnia quæ præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Romanorum 15. sic & hæc scriptura primùm omnium nos docet, quis sit status mortuorum, nempe beatus, si moriantur in Domino, qui suos tàm facilè in ipsa morte seruare potest, atque in vita. Beatitas autem quid sit, habetur Matthæi 5. Quam si quis cognoscere vult, veniat & videbit. Iohan. 1. Mori in Domino (de quo Philip. 2. Galat. 2. Apoc. 17.) est mori per fidem, Iohannis 11. in via, veritate, vita, luce, iustitia, &c. item propter Dominum temporariam vitam amittere.

2 Exhortatur nos, vt appropinquemus do

mino, & dicit: Este in domino: quemadmodum dum dicit: Beati misericordes, vult dicere: Sitis misericordes, Luc. 6. Venite ad me inquit Matth. 11. Omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos, &c. Nam vt in domo sua nemo potest mori, nisi qui in domo sua est: ita nemo in domino potest mori, nisi qui est in domino.

3 Postremò consolatur, quia promittit requiem & felicitatem mortuis. Cum ergo hác spem habeamus de ijs qui per Iesum obdormierunt, ne doleamus, sicut gentes, spem nullam habentes, Deuteron. 14. 1. Thessal. 4. Sed qualis est requies, & qui sunt labores, à quibus, qui in Domino moriuntur, vacant & quieti sunt?

Primò, quies hæc pacatæ & tráquillę conscientiæ aduersus peccatum, mortem & furias inferni, per sanguinem Agni victoris peccati, mortis & inferni nobis parta.

Deinde quies hæc cernitur in exantlata militia, in qua caro aduersus spiritum bellum gerit: quod, dum hæc mortalis vita in mortali corpore durat, perpetuum est, grassante in corpore morti obnoxio cupiditate aduersus legem diuini spiritus in mente versantẽ.

Demùm quies, quam in Domino ex hoc seculo migrantes nanciscuntur, in laborum & afflictionum vacatione cernitur: quę pios,

dum

dum corporis molem secum circumferunt, vexant: Quæ quàm variæ sint, non est opus explicare. Etenim præsens vita, quæ in mundo hoc degitur, simili is est eorum vitæ, qui in mari varijs procellis & fluctibus eius expositi nauigant, quos procellosi maris fluctus non prius superarint, quàm ad portum appulerint. Sic & sanctorum in hoc seculo vita, quæ non antea à suis laborum & calamitatum fluctibus quieuerit, quàm ad metam futuræ vitæ ab omni molestia liberæ gubernatore Christo pertigerit.

Notandum porrò quôd dicit, sua eos opera (id est, benefacta, quæ fides per charitatem edit) comitari, non nostra, vel aliorum, vnoquoque sibi præmium conciliaturo benefactis suis, non alteri: vt quisque pro se ad salutem comparandam Christo fidem habet, non pro altero. Stat enim illud, Abac. 2. Iustus fide sua viuet. Et hîc: opera eorum sequuntur illos. Et alibi: Vnusquisque suam mercedem accipiet, iuxta laborem suum. Quare magno errore purgatorium fingitur, in quo aliorum opera & merita alijs ad eorum peccata luenda & salutem impetrandâ prosint.

Quid est autem, sequuntur illos? præmio ornantur, non operum merito, sed gratia & fauore eius, qui sua in nobis opera coronat: qui

nimirum diuini spiritus in nobis spirantis & agentis opera sint, non naturæ: quod confitentur pij, vt omnis gloria Deo patri in agno & per agnum cedat: qui est omnibus Deus laudandus in secula, Amen.

CONCIO CLXXIX.

Apocal. 16.

ECCE venio, sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

1

DE aduentu suo, siue diei sui Dominus hîc obseruatione aliquid dignum loquitur: quia inquit, ἰδοὺ: Ecce. Veniet enim sicut fur, vt & Matth. 24. Luc. 12. 1. Thess. 5. 2. Petri 3. scriptum legimus: hoc est, ea hora qua non putamus, & præter expectationem impiorum, qui securi de malis, insolenter se gerunt. Summum enim furibus studium est, vt non expectati subrepant. Et ideò nocte intempesta, vbi putant vniuersam domum alto somno pressam, insidias struunt. Ad hunc modum & Christus furis instar fu-

ſtar adueniet, vbi nihil minus expectatur. Non quòd tectus & abſconditus, ſed quòd mortalibus in ſumma ſecuritate exiſtentibus venturus ſit.

Cum igitur aduentus Chriſti & certus, & inexpectatus ſit futurus, quid faciendum eſt nobis? Vigilandum, & veſtimenta alba induenda, quæ ſunt iuſtificationes ſanctorum, Apocal. 3. 19. Ait enim, Felix qui vigilat, ſuaque veſtimenta ſeruat: ne nudus incedat, eiusque obſcœna cernantur: Quoniam ſine dubio ſuperinduetur, 2. Corin. 5.

2 Quid eſt vigilare? Sicut dormire eſt verbum Dei negligere, in incredulitate permanere, & nihil boni facere: ſic vigilare eſt veram, lucentem, igneam, & viuam fidem habere, quæ ſit efficax per charitatem. Vigilare eſt vtrunque oculum aperire, & altero quidem ſeipſum probè obſeruare, ſibique attendere, altero verò intentum eſſe in Deum, illumque timere: ſiniſtro oculo ſeipſum aſpicere, vt ſe & deſpicere & odiſſe diſcat: dextro, cognoſcere Deum, & eundem ſuſpicere & diligere: item vigilare eſt oculis mentis nō ſolùm breuitatem huius vitæ conſiderare, vt manentem ciuitatem quæramus: & certitudinem mortis & iudicij meminiſſe, vt omni tempore ſic viuamus, quemadmodum expetimus atq; optamus nos, à domino venien te

ac pulsante ianuam, reperiri: sed etiam cogitare animoque perpendere æternitatem futuræ vitæ, & incertitudinem horæ, loci ac modi mortis, atq; iudicij extremi.

3 Quid est vestimenta induere & custodire, ne dedecus nuditatis nostræ appareat? Christum Iesum induere, accipiendo illum, vt donum Dei, & vt exemplum à Deo propositum, Romanor. 13. thoracem fidei & charitatis induere, quæ vestis nuptialis est, primæ Thes. 5. Matth. 22.

Intelligenda sunt hæc vestimenta non carnaliter, sed spiritualiter. Hinc D. Chrysostomus: Afferte, inquit, mihi animæ oculos, & ostendam vobis animæ nuditatem. Quid enim est vestimentum animæ? virtus. Quæ nuditas? peccatum. Quid delicatius diuite illo purpura vestito? Quid etiam Lazaro pauperius? & tamen ille nudus erat à virtutum vestibus: hic verò bene ornatus: Quòd si toleratis me dicentem, etiam ego nuditatem ostendam. Nudus in frigore stat & contremiscit, brachijs seipsum amplexans. Si igitur ostendam opulentos, hoc magis nudos, quò magis vestiti sunt. Quid igitur, dic oro, quando sermones de gehenna mouerimus, nónne magis quàm nudi illi tremiscunt ac stupent? &c. Idem in cap. Matt. 22. Nuptiale vestimentum est fides vera, quæ est per Iesum Christum &

ſtum & iuſtitiam eius, de qua ait Apoſtolus (Coloſſ. 3.) Expoliate vos veterem hominem cum actib. ſuis, qui corrumpitur ſecundum concupiſcentiam erroris, veſtientes vos nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Quod dicit, in iuſtitia, ad conuerſationem pertinet: quod autem in ſanctitate veritatis, ad fidei veritatem. Veſtimenta ergo veteris hominis ſunt pannoſa & ſordida opera carnis, corruptibilia & immunda. Veſtimenta autem noui hominis, ſunt fortia & decora opera ſpiritus, incorruptibilia & ſancta. Item in cap. 5. Gen. Et quæ ſunt (inquit) animæ indumenta? eleemoſyna & largitas in pauperes: hoc enim maximum animæ veſtimentum eſt, hoc & clarum illius indumentum. Si autem vis non ſolùm veſtimenta parare, ſed illam ornare etiam, ſicut corpus ſolet, appone adiutorium quod ex precibus eſt, & peccatorū confeſsionem, & cōtinuis lacrymis faciem tuam lauare ne ceſſes. Et in cap. 20. Ioannis: Non enim parua, dicit, eſt ignominia, nudum & inopem virtutum hinc migrare: neque corpus in ſepultum proiectum adeo ignominioſum videtur, vt anima hanc carēs virtutibus: hanc veſtiamus veſtibus ſemper duraturis. Ipſe Dominus Deus noſter omnipotens det nobis byſsinum purum & ſplendidum, vt

nos cooperire, ac præparare possimus, ne in aduentu Christi Iesu pudefiamus, sed fiduciâ habeamus, & parati simus, sicut sponsa ornata viro suo, Amen.

CONCIO CLXXX.

Apocalyp. 19.

Et dicit mihi: Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Et dicit mihi: Hæc verba Dei vera sunt.

1 Præstantem vsum sacrarum scripturarum esse constat non solùm ex epistolis D. Pauli, Romanorum 15. 1. Corinth. 10. 2. Timoth. 3. sed etiam ex hoc loco, & cap. 14. Apocal. vbi angelus, seu vox de cœlo dicit, monumentis literarum, visum de beatitate eorum, qui ad nuptiarum Agni cœnam vocati sunt, consignandum esse: vtique ad doctrinam & consolationem fidelium. Hinc etiam Apostolus 1. Thessal. 4. Proinde consolemini, inquit, vos mutuò sermonibus his, id est, verbis Dei, quæ certa, ac vera sunt, quemadmodum hîc legimus.

2 Quid autem scribere Ioannẽ iussit? Beati qui ad nuptiarum Agni cœnam vocati sunt.

Quid

Quid est beatitas? Est status omnium bonarum rerum congregatione perfectus. Beati ergo sunt, qui participes fiunt omnium bonorum in sponso Messia, quæ pater habet, sapientiæ, iustitiæ, vitę, gloriæ, &c.

Qui sunt illi vocati? Non isti qui venire nolunt, & se excusare incipiunt, Matth. 22. Luc. 14. sed illi quos trahit pater, & iustificat, Ioan. 6. Rom. 8. id est, quos vocat per sacri Euangelij patefactionem, eorum interioris hominis aures Agni spiritu percellente, vt euangelio fidem habeant, per quam fidem sponsa ecclesia sponso suo Christo desponsatur, Hos. 2.

Quæ est illa cœna? Quæ parata est cibo & potu, de quibus is, qui hanc cœnam parat, Iohannis sexto, clarè loquitur: cuius sacrum signum est, cœna ex pane & vino mystico constans. Nam hac mystica cœna qui vtuntur, spiritualis cœnę, quam Agnus sponsus præsens cum eis in hoc seculo pro primitijs cœlestis cõuiuij celebrat, in altero seculo plenè cum eis sit celebraturus, admonentur.

Ac quemadmodum tres gradus sacramentorum & sabbati sunt, primus externus, secũdus spiritualis, tertius pfectionis: sic & cœna dominica corticẽ habet, externá & sacramentalẽ celebrationem: et medullã quoq; animi, sc. cibationẽ ac refocillationẽ: deniq; & cœlestẽ perfectionẽ, cuius Christ. Lu. 22. meminit

dicens, Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, &c. Vide Gregor. Nazanzenum Orat. de Pasch. & Musc. in Decal.

3 In hac cœna habebimus fercula Magna: quia ibi corpus & anima plenè pascentur, & satiabuntur, Psal. 17. & Multa, nempe tot, quot sunt sancti & angeli in cœlo: nam vnusquisque nostrum tantum gaudebit de alterius gaudio, quantum de proprio, idque propter amicitiam & charitatem, quæ tunc maior erit, quàm nunc est matris erga filium. Membrorum autem & amicorum omnia sunt communia, Act. 4. 1. Corint. 12. & Dulcia, Psalm. 31. 34. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriam, Rom. 8. & Preciosa: quia Deus seipsum dabit nobis in premium, Genes. 15. Videbimus enim eum facie ad faciem, sicuti est, 1. Cor. 13. 1. Ian. 3. Si creatura potest lætificare hominem vt aurum auarum: quid poterit ipse creator in cœlo?

Quæ sunt nuptiæ agni? In quibus matrimonij lege sponsa ecclesia in omnium bonorum spõsi agni, id est, Christi statis ad ostium (Apoc. 3.) admittitur participatum.

Sed cur potius cœnæ mentio fit, quàm prandij? Cænæ meminit, quòd hæc vt sub finem

nem diei confectis laboribus paratur: ita cœna illa cœlestis non prius electis & fidelibus quàm cursus laborum & afflictionum huius seculi expletus sit, adornatur. Putas, si rex terrestris ad suum conuiuium aliquem vocet, nonne libens properabit? quanto magis ad cœlestem currendum est regem? Dicitur etiam cœna gaudium illud supernæ patriæ: quia gaudijs huius mundi transactis & elapsis, illud sequetur, quod semper permanebit. Ad quod gaudium sororem nostram, iam sepultam (cuius causa & congregati sumus) euocatam esse ex hac miseriæ, & lachrymarum valle, non temerè speramus: cùm pro gratia diuinitus sibi data vixerit quemadmodum piam mulierem Christiq; ouiculam decet. Nam pastoris sui Christi Iesu vocem libenter audiuit: eundem prosecrucifixum, mortuum, et à mortuis exitatum credidit: oreq; suo & εὐχαριστίᾳ, nec non labore charitatis confessa ac testata est: deniq; cum Christo, & pro Christo seruatore & domino suo parata fuit pati & mori. Quocirca illius nomine non tàm flere, quàm gaudere debemus, & Deo patri (ad quem profecta est: quiq; semper, vbiq; & in omnibus laudãdus est) gratias agere. Quantum verò ad nos attinet, orandus fuerit idem Deus pater noster cœlestis, vt nos quoque sua gratia erudi-

ar, ac doceat sobriè, iustè, & piè viuere in præsenti seculo, & post hanc vitam dignetur nos sibi adiungere conuivas in cœna illa cœlesti & magna: quod vtinam faciat propter magnitudinem misericordiæ & bonitatis suæ per Christum Iesum, Amen.

Vt habeas, optime lector, ex nouo quoq; instrumento, quemadmodum ex vetere, centum themata concionum funebrium, addam hîc præcedentibus octoginta, breuiter à nobis explicatis, illa viginti, quæ similiter aptè, conuenienter & vtiliter ecclesiæ, in vita defunctorum sepulturis, exponi possunt.

EX EVAN-

EX EVANGELISTIS.

THEMA CLXXXI.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient, Matth. 5.

THEMA CLXXXII.

Multi dicent mihi in illo die, Domine, domine, nónne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus? & per nomen tuum multas virtutes præstitimus? Ac tum confitebor illis, Nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. Omnis igitur qui audit ex me sermones hos, et facit eos, adsimilabo illum viro prudenti, qui ædificauit domum suã super petram, & descendit imber, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & nõ est prostrata: fundata. n. fuerat super petrã. Et omnis qui audit à me, sermones hos, et non facit eos, adsimilabitur viro fatuo, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit imber, & venerunt flumina, & flaue

runt venti,& impegerunt in domum illam,& deiecta est,et fuit ruina illius magna. Matth. 7.

TEMA CLXXXIII.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quòd mitis sim & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum commodum est, & onus meum leue est. Matth. 11.

TEMA CLXXXIIII.

Cum autem venerit filius hominis in gloria sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos, alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his, qui à dextris sibi erunt, venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi

mihi edere. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me: Nudus, & operuistis me. Infirmus, & visitastis me: In carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes, Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus? aut sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, et cooperuimus te? aut quãdo te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex dicet illis: Amen dico vobis, quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt, Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Esuriui .n. & non dedistis mihi cibum. Sitiui & non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me. Nudus & non operuistis me. Infirmus, & in carcere eram, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministra-

uimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quatenus non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti uerò in vitam æternam. Matth. 25.

CLXXXV.

Quum autem veſpera facta eſſet, venit homo ab Arimathea nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu: hic acceſſit ad Pilatum, ac poſtulauit corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus. Et quũ accepiſſet corpus Ioſeph, inuoluit illud ſindone munda, poſuitq; illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra, & aduoluto ſaxo ingenti ad oſtium monumenti, abÿt. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum. Matth. 27.

CLXXXVI.

Ieſus dicit diſcipulis ſuis: Quam difficulter hi qui pecunias habent, in regnũ Dei intrabunt. Diſcipuli verò obſtupuerunt ſuper verbis illius. At Ieſus rurſum reſpon-

respondens, dicit illis: Filij quàm difficile est eos qui fiduciam habent in pecunijs, regnum Dei ingredi. Facilius est camelum per foramen acus ingredi, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Illi verò supra modum admirati sunt, dicentes intra sese: Et quis potest esse saluus? Intuitus autem Iesus illos, dicit: Apud homines impossibile: sed nō apud Deum: nam omnia possibilia sunt apud deum. Marci decimo.

CLXXXVII.

Et ecce homo erat Hierosolymis, cui nomen Simeon, & homo iste iustus ac pius, expectans consolationem Israel, & spiritus sanctus erat super eum. Et responsum acceperat à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini. Et venit per spiritum in templū. Et quum inducerent puerum Iesum parentes, vt facerent secundū consuetudinem legis, pro eo, ipse quoq; accepit eum in vlnas suas, et laudauit deum, ac dixit: Nunc dimittis seruū tuum domine secū

dum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuũ, quod parasti ante faciẽ omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Luc. 2.

CLXXXVIII.

Dicebat (Iesus) ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam. Qui verò perdiderit animam suam propter me, is saluam faciet illam. Luc. 9.

CLXXXIX.

Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum, & dicens, Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua: & proximum sicut teipsum. Dixitq; illi: Rectè re-

Rectè respondisti : hoc fac, & viues. Luc. 10.

CXC.

Ait autem illi quidam: Domine, an pauci sunt qui salutem consequuntur? Ille verò dixit ad illos. Contendite intra reper angustam portam, quia multi dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cum autem surrexerit paterfamilias. & clauserit ostium, & cœperitis foris stare & pulsare, dicentes: Domine domine, aperi nobis. Et respondens dicet vobis, Nescio vos, vnde sitis: Tunc incipietis dicere, Edimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet, Dico vobis, nescio vos vnde sitis. Discedite à me omnes qui patratis iniquitatem. Ibi erit fletus & stridor dentium, cum videritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab oriente & occidẽte & aquilone, & austro, & accũbent in regno Dei. Et ecce sunt postremi, qui erunt primi: & sũt primi, qui erũt postremi Lu. 13.

CXCI.

Afferebant autem ad eum & infantes, vt eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Iesus autem cum illos ad se vocasset, dixit, Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis, quicunq; non acceperit regnum Dei veluti puer, non intrabit in illud. Lu. 18.

CXCII.

Et ait discipulis suis: Ne turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei mãsiones multæ sunt. Quod si secus esset, dixissem vobis, vado paraturus vobis locum. Et si abiero ad parandum vobis locum, iterum veniam & assumam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis, & quo ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Ioan. 14.

Non

CXCIII.

Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro his, qui credituri sunt per sermonem eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt et ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus quòd tu me miseris, & ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum: sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum, vt & cognoscat mundus quòd me misisti, & dilexisti eos, quemadmodum me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego & illi sint mecum, vt videant gloriam meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditum mundum. Pater iuste, & mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quòd tu me miseris. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Ioann. 17.

THEMA CXCIIII.

Superuenerunt autem quidam ab

Antiochia & Iconio Iudæi, qui cum persuasissent turbis, ac Paulum lapidassent, extraxerunt eum è ciuitate, existimantes illum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surrexit, & intrauit ciuitatem. Ac postero die profectus est cum Barnaba Derben. Quumque euangelizassent ciuitati illi, ac docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium, & Antiochiam, denuò confirmantes animas discipulorum, exhortantesq; vt perseuerarent in fide, & quòd per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum Dei. Actor. 14.

TEMA CXCV.

Et quum permaneremus dies complures (Cæsareæ apud Philippum euangelistam) aduenit quidam à Iudæa propheta, nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit cingulum Pauli, & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymæ Iudæi, tradentq; in manus gentium. Quum audissem

semus hæc, rogabamus & nos & cæteri qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. Tunc respondit Paulus ac dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego verò non solùm vinciri, sed et mori paratus sum Hierosolymis pro nomine domini Iesu. Quum verò illi non persuaderetur, acquieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat. Post dies autem istos sublatis sarcinis, conscendebamus Hierosolymam. Actor. 21.

EX APOSTOLIS.

CXCVI.

PRoinde fratres, debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus: nam si secundum carnem vixeritis, moriemini. Quod si spiritu facta corporis mortificetis, viuetis. Etenim quicunque spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clama

mus Abba pater. Idem spiritus testatur vnà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Quòd si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidē Dei, cohæredes autem Christi. Si quidem simul cum eo patimur, vt & vnà cum illo glorificemur. Nam reputo, non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Etenim sollicita creaturæ expectatio expectat, vt palam fiant filij Dei. Quippe vanitati creatura subiacet, non volens, sed propter eum, qui subiecit illam sub spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura congemiscit, simulq; nobiscum parturit, vsque ad hoc tempus: non solùm autem illa, sed & ipsi qui primitias spiritus habemus, & nosipsi in nobsipsis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri. Siquidem spe seruati sumus. Porrò spes si videatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur idem speret? Si verò quod non videmus, speramus, id per patientiā expectamus. Roman. 8.

Scimus

CXCVII.

Scimus enim, quòd si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo, habemus, domicilium non manufactum, æternum in cœlis. Nam in hoc gemimus, domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui desiderantes: Si tamen induti, non nudi reperiemur. Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati: propterea quòd nolimus exui, sed superindui, vt absorbeatur mortalitas à vita. Porrò qui parauit nos in hoc ipsum, deus est, qui idem dedit nobis arrabonem spiritus. Itaque bono animo sumus semper, & scimus quòd cum domi sumus in corpore, peregrinamur à Deo. Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Confidimus autem & probamus magis, peregrè abesse à corpore, & præsentes adesse apud Deum. Quapropter contendimus, siue domi præsentes, siue foris peregrè agentes, vt illi placeamus. Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt reportet vnusquisque ea quæ si-

unt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. 2. Corinth. 5.

CXCVIII.

Obtestor igitur ego coram Deo & domino Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos in apparitione sua & in regno suo. Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè: argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Nam erit tempus, quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores, y quibus pruriunt aures, ad fabulas verò conuertentur. At tu vigila in omnibus, obdura in afflictionibus, opus perage euangelistæ, ministerium tuum, ad plenum probatum reddito. Nam ipse iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius, 2. Tim. 4.

Laudan-

CXCIX.

Laudandus est Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui iuxta copiosam suam misericordiam regenuit nos in spem viuam, per hoc quod resurrexit Iesus Christus ex mortuis, in hæreditatẽ immortalem, et incontaminabilẽ, atq; immarcessibilẽ, conseruatã in cœlis erga vos, qui virtute dei custodimini per fidem ad salutẽ, quæ in hoc parata est, vt patefiat in tẽpore supremo, inquo exultatis, nunc ad breue tempus afflicti in varijs experimentis, si opus sit, quo exploratio fidei vestræ multo precioſior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem, & gloriam, & honorem, tum quum reuelabitnr Iesus Christus, quem quum non videritis, diligitis, in quem in præsentia, quum non videatis, credentes tamen, exultatis gaudio ineffabili & glorificato, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. 1.Pet.1.

CC.

Videte qualem charitatem dedit no-

bis pater, vt filij Dei nominemur. Propter hoc mundus non nouit vos, quia non nouit eum. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit id quod futuri sumus. Scimus autem, quòd si apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut & ille purus est. 1. Iohann. 3.

FINIS.

Laus æterno Deo & Christo eius.

INDEX

INDEX RERVM ATQVE verborum in his oratiunculis funebribus memorabilium.

A



Aronis mors, & quæ eius consolatio in morte. Concione 10

Abrahami sinus, quid & ubi. Concione 10. 119.

Accusatores hominum in die iudicij. 143

Adam quàmdiu uixerit. 3.38.

Adam ut statim à lapsu mortuus sit. 1.3. 108.124.

Aduentus domini quatuor. 110

Aduentus domini secundum carnem duo. 163

Aduentus domini ultimus nemini cognitus. 109. 111.171.120

Aduersarij nostri qui, cum quibus nos consentire oportet ante mortem. 101

Aegritudo nuncius mortis. 20.116

Aegrotamus omnes in hac uita. 26.56

Aeterna gloria quibus promissa. 97

Aeterna uita quærenda. 26.85.164

Aeternitas expers finis. 81

Aeternum supplicium quàm grande. 97.124

Affectio naturalis Deo non displicet. 4.90

Afflictionum iustorum & injustorum discrimen. 167.

afflictionum effectus. 121
agnitio mutua inter homines erit in uita beata. 10
amara res bona esse potest. 93.166
ambulandum quando & quomodo. 137.162
amicitia uera quæ. 133.160
angeli ecclesiarum qui. 371
angeli non offendendi. 101. sed gaudio afficiendi. 160
angelis Dei similem esse quid. 108.149
anima hominis immortalis. 105.133.147
animæ amissio magnum damnum. 90
animæ hominum separatæ à corporibus non uersantur hîc. 67.129
animæ indumenta quæ. 179
animæ in potestate Dei sunt. 105
animæ iustorum ubi sint. 67.136.140
animæ quærendum hospitium. 80.105
animæ uox uariè capitur. 11.95
animalia condita à Deo, testantur Dei bonitatem & potentiam, 43
anni uitæ quibus addantur. 18
apponi ad patres suos quid. 94.98
aqua uiua quæ: & quibus detur. 125
arbor scientiæ boni & mali cur prohibita homini. 1
arma christianorum. 23.72
arma quibus uincitur Deus. 49
Asæ mors. 20
ascendat in cœlum quis. 123
astrologi finem hominis nesciunt. 63

Bapti-

B

Baptizari in Christum quid. Concione 146
Baptizari pro mortuis quid. 147
beatitas quæ uera, & quæ falsa. 38.180
beati qui. 34.119.178.180
beatus nemo ante obitum dicendus quare. 78
benefaciat sibijpsi quis. 78
benefaciendum alteri quomodo & quando. 79
beneficiorum Dei erga nos causæ impellentes. 46
bona & mala in hoc mundo sunt tantùm umbra futurorum. 87
bona hominis quæ sint, quæq; non. 22.75.160
bona omnia á Deo. 77
bonum quid. 120.127
breuitatem uitæ considerare quid prosit. 8.35

C

Calcaria hominis duo. 71
Calculus candidus quid. 173
canities uera. 69
caro pro homine accipitur. 80.130
carnẽ Christi edere quid sit, et quãneceßarium. 130
cauere quid sit 111
charitas Deo familiaris. 76
charitas fortis ut mors. 65.121.156
christianismi summa. 140
Christus ac nuptias abiuit. 116
Christus carens peccato factus peccatum. 112
Christus Dei & hominis filius redemptor noster. 28.161.138

Christus heri & hodie & in seculd. 99
Christus in quibus sequendus. 125.132.167
Christus medicus. 107
Christus primus & nouissimus. 170.172
Christus serpens æreus. 123
Christus redit ad nos uel occultè, uel manifestè. 116
157
Christus solus ascendit in cœlum. 133
Christus tulit infirmitates nostras. 112.125
Christus uerus homo 112.125.162
Christus uia uitæ quibus. 102
Christus ubi sit. 120. 136.156
Christi aduentus consuetudini furũ comparatur.
Christi aduentus quatuor. 111 (117.175.179
Christi cohæredes qui. 128
Christi dilectio & zelus qualis & quantus. 65
Christi exaltatio. 123
Christi mors glorificatio dicitur. 136
Christi mors quid effecerit. 110. 161.163
Christi sermonis uirtus magna. 131.143
Christi uerba carnales carnaliter intelligunt. 130.
133
Christi uox audienda: & quid ea doceat. 132
Christo conuersari quid. 122.156.157
Christo dicere, Domine domine quid 103
Christo nihil impossibile 135
Christum non omnes rectè sequuntur 115
Christum, qui sapientia est, amare debet mori no-
lens 53

Christum super cor & brachiũ suum ponere quid 65
ciuitas manens quærenda, & qualis 164
cœna domini quomodo sumenda 154
cœna nuptiarum agni quæ 180
cognitio suijpsius & Dei homini necessaria. 34. 39.76
colligi ad populos, uel patres suos quid. 10.19.94. 98.142.147
comites quatuor nobiscum ad iudicem euntes 101
conclusionis concionum funebrium generalis formula 99.100.180
confitendi uera ratio quæ 144
conscientia bona retinenda 101.144
consolatio morientium. 10.52.94.129.134.142.151
consolatio pro deplorantibus suos mortuos. 69.94 134
consolationes in afflictionibus quæ. 119.121.172
consuetudo mala magnus lapis 139
conuersio ad Deum non differenda, sed acceleranda. 73.82.83
conuersionis acceleratio utilis ac bona 82
conuersionis tempus nunc est 30.83
conuersionem differre stultum, & iniquum est. 25. 59.73.82
cor humanum ut nauis in mari 78
corpus aggrauat animam 70
corpus cibus uermium 27.35
corpus cum anima magnam cognationẽ habet 14

corpus hominis multis morbis obnoxium 78
corpus instrumentum animæ 169
corpus nostrum fragile 105
corpus nostrum carcer immundus 151
corpus nostrum tabernaculum 169
corpus spirituale resurget 149
corporis nostri conditiones. 70.105.149
corpora defunctorum non abijcienda, sed sepelienda. 21.90.98.135
corpora impiorum etiam resurgẽt immortalia 97
creaturæ contrariæ sunt inobedientibus 95
creaturæ Dei de nobis testabuntur in iudicio 143
credens etiam mortuus uiuit. 134.153
credentes antequam moriuntur capiunt gustum uitæ æternæ 106
credentes quur moriantur 11.29
credentibus in Christum cur uita æterna ascribatur 129
credere cuiuis non est necesse 124
crux & paradisus non longè à se inuicem distant. 122
crux nostra suam magnitudinem habere debet 122
curiositatis effectus 136

D

DAEmones iudicium fore credunt 128
Damnatorum pœna, & querela 97.124
Dauidis mors. 17.142
Declinare ad dextram & sinistram quid 115
Deficiunt omnia in mundo 80

Defuncto-

Defunctorum comes misericordia 79
Desperatio uia perditionis, & quomodo cauenda. 88. 96. 113
Deus æternus 39
Deus bonus filium hominis agnoscit 50
Deus diligendus. 57. 123. 150
Deus omnipotens. 148. timendus 105
Deus qualia præceperit & prohibuerit 75
Deus uerus, & cultus eius quis 144
Dei ira & misericordia considerandæ 95. 151
Dei ira potens 43
Dei ira super quos maneat 124
Dei cognitio quàm præclara, & unde 138
Dei bonitas & seueritas in quibus appareat. 43. 87. 124
Dei meminisse semper bonum est 64
Dei timor quid efficiat 88
Dei uoluntas quæ 103. 128
Deum qui laudent, & qui non 30
Deum qui uisuri 28
Deum timere quid 71
diabolus auceps & piscator est 63
diabolus caupo malignus 78
diabolus non amandus 66
diabolus non timendus 105. 172
diabolus quando hominem maximè tentet, & quibus 73. 113. 168
dies domini ut fur in nocte 117
dies hominis ut umbra. 50. ut fumus 46

dies supremus uitæ nostræ, & mundi cur ignotus nobis. 63.169
dies ultima reperiet quosdam adhuc uiuentes. 97. 157
differre pœnitentiam stultum est. 59. 162
dij deiq; filij qui 38
dilatio in quibus rebus stulta 59
dilectio domini erga nos potens, & magna. 65. 123
dilectio fortis est, ut mors 65. 122
diligere Deum quid 165
dissolutio animæ & corporis nostri quid 155
diuersorium periculosum 76. 160. 168
diues post Lazarum moritur 119
diuitiarum uanitas. 35. 55. 136. 160. 165
dolorum metus utilis 71
dominus cum quibus sit 49. 71
domus deputata omni uiuenti 29
dormire, pro mortuum esse 133

E

Ecclesia candelabrum aureum 171
Ecclesia catholica est sancta 47
ecclesiæ septem quæ 171
Ecclesiastis scopus in libro suo 60
edere Christum quid 136
egestas unde 92
Eleazari mors 99
eleemosyna uiuentibus data Deo grata. 21. 142
ἐπιχαιρεκακία prohibetur 75
errorum causæ quæ 108

exal-

exaltationis modus 165.168
exercere se debet homo in tribus 214
exire de hoc seculo quantum prosit 12
Ezechiæ mors 18

F

FAcies mortuorum cur statim tegantur 135
Fame perire possunt etiam pij, sed rarò 92.
fatum non esse 128
fatuus quis 25.109
ficus dicitur homo 118
fides uia uitæ, & fundamentum salutis. 102. 113. 135. 158
fides ubi, ibi opera 127.146
fidei utilitas. 124.126.133.134. potentia. 156.
fidem in Christum habēti cur uita promittatur. 129
fide carens omnia perperam facit 137
fide nihil magis necessarium tempore mortis 112
fideles etiam mortui domini sunt, & uiuunt 108. 124.126.128.134.153.159.175
figurata loquutio quæ sit, quæq; non 130
filiorum officium 22
finem bonum omnes exoptant 119
finem uitæ nostræ meminisse, ad quid prosit 75
flori similis homo, eiusq; uita 46
funebrium concionum conclusio 100.180
funera amicorum cur honoranda 98
funus comitari laudabile est 98.114

G

Gaudendum non est de alterius morte 75.133

Gaudia mundana quando relinquenda 160
gaudium ob prolem natam. 7.14
gaudium piorum quando, & quantum 23.109. 114. 180
gehenna grauius, excludi à regno cœlorum 107
gehennæ comminatio utilis 124
gehennæ ignis acerbitas 44
gradus diuersi erunt, tùm beatorum, tùm damnatorum 97
gustum futuræ felicitatis qui capiant 106.124

H

HAEredes hominis mortui 7.176
Hesterni sumus 24
historiæ de rebus tristibus ut audiendæ 118
historiæ nullæ temerè reijciendæ 100
homo ad quid conditus ab ipso Deo. 1.66.148
homo cur dicatur terra 17
homo fidelis est omnia 128
homo in seipso quatuor res consideret 23.164
homo μικρόκοσμος 113
homo puluis & cinis 76
homo quid 76
homo se hominem esse sciat 31.76
homo se terram esse agnoscere debet. 2.76
homo uanitas est. 36.37.50
homo unde constet 67
hominis fragilitas, & miseria. 26.39.40.46.70.79. 114
hominis ingressus, progressus, egressus. 26.76

homi-

hominem miserum Deus agnoscit 50
homines imbecilles 49
homines omnes ægrotant, & mendici sunt. 26.92
homines peregrini sunt in terra. 37.164
hominum genus arbor ficulnea 118
hominum status duplex post hanc uitam 102
hora mortis incerta. 63.117.163
hostes nostri qui. 23.32.168.
humani defectus & infirmitates duodecim 112
humani generis status duplex 66
humanum corpus quale 90

I

IEhouam timere quid 57
Ignis gehennæ cruciatus 44
ignis gehennæ inextinguibilis 97
impatientiæ exempla 121.122
impatientiæ remedium 113.121
impedimenta in uia Dei quæ 102
impij lugendi 84
impij qui, & quis eorum finis. 31.54.56
incarnationis Dominicæ causæ 108
incredulitatis pernities. 124.
incertus modus, locus, tempus mortis 16.63
infernus quid: & quanti eius dolores. 44.97.107.
inferni imago in hoc mundo 87
inferno homines digni sunt 44
in inferno nulla redemptio 56.83.97.113
infirmitas mortis nuncius 16.20
infirmitatis causa 154

infirmitates nostras Christus suscepit 112
ignorantia hominum 70
inimicus noster 32
inimici diligendi. 15.34.75.140
insignia principum terræ 60
interficere seipsum nemo debet 100
Iobi liberi à morte non tuti 22
Iosiæ mors 19
iræ Dei potestatem pauci norunt. 43.124
Israelitæ qui 49 89
iudex Christus reddet unicuiq; secũdum opera sua 106,148
iudicabit dominus extrema terræ 143
iudicandus nemo temerè. 68 78.153.154
iudicatum homines redibit Iesus 106
iudices cur dij uocentur 38
iudicium extremum fideli non est terrori 126
iudicium mundi diuersum à spiritus iudicio 68
iudicium pro damnatione. 126.127
iudicij extremi meminisse utile est. 128,143.146.163
iurarit quando Christus 126
iustificatio hominis per quid 11
iustificatorum fide officium 146
iustificatus fide bona opera facit 127
iusti quare moriantur 11.29 94
iusti qui 67
institia Deo placens quæ 56
iustitiam exercere quid 55
iustorum obitus quid præsignificet 94

iustus nemo hominum in terra 11

L

Laborioſa cur ſit uita hominum 63.91
Labor mortalium telæ comparatur araneæ 41
lachrymas demittere ſuper mortuo charitatis indicium 90.100
lætari & contriſtari pium in una cauſa contingit. 133
lampas abſq; oleo quid 109
latronis exemplum in cõſolationẽ propoſitum 117
latronum cum Chriſto crucifixorum diſcrimen 122
Lazarus mortuus quorum figura 135
Lazarus pauper noſter doctor 119
legis diuinæ genera quatuor 17
liberorum noſtrorum mors non interitus eſt, ſed tranſitus 22
librorum ſcopus ſpectandus 60
lucernas ardentes tenere quid 116
luce oculorum deſtitui miſerrimum 137
luctus ob mortuos quando nõ diſpliceat Deo 4.90
luctus ſigna 22
luctus tempus 84
lugendi mos gẽtium non ſequendus. 12.61.114.157.
lugendi qui maximè 84.90
lumbos præcingere quid 116
lumine carent mortui 84

M

Magiſtratus ſunt mortales 85.98
Mala in hoc mundo quæ 94

Mala quæ à Deo, quæq; non 77
mala quæ maximè fugienda 87
maledicere fratri grande peccatum 9
malefica Saulo nihil profuit. 63
mali cur aliquando citò moriantur: aliquando diu uiuant 52
mali etiam reuiuiscent 127
malo omni tria sunt deteriora 77
malorum nostrorum omnium causa. 91.127.154
Manasses peccata 95
manna absconditum quid 173
Maria soror Mosis ubi mortua 9
medicina animæ 128
medicina nec uituperanda, nec adoranda 20
mendicare quid 92
mercatorem bonum agere 120
Messiæ regis titulus 60
mirabilia Dei quæ 48
miseriam huius uitæ considerare ad quid utile. 8.91
misericordes misericordiam consequuntur. 15.143
misericordia sola defunctorum comes. 75.178
morbi morientibus faciunt negocium 14
morbo longo æterna requies melior 86
morborum multiplex effectus 20.133
mori ante mortem discere debemus 120
moriantur iusti quur. 11.69.155
moriantur feliciter qui. 71.101.117.120
mori citò nonnunquam Dei beneficium. 19.57.69.94.

mori cum ratione bona Dei beneficium 140
mori cur desiderent fideles 69
mori cur sinat Deus probos iuuenes. 52.69
mori cur sinat Deus citò malos. 52.96
moriendi tempus est 59
moriendo, uel morte mori quid. 179
morientes non temerè iudicandi 68
morientur non omnes. 11.97.155.157
mori in domino quid 178
mori opus maximum & præcipuum hominis in terra 98.120
mori paratum esse oportet hominem semper 117
morimur quotidie 151
mors à Deo 77
mors Christi imitanda. 146.167
mors grauissima tentatio. 13.113
mors iustorum cur bona 11
mors nemini parcit. 20.29.38.58.65.79.85.98.114. 119.163 172
mors non timenda, & cur. 92.93.99.105.134.151. 153.
mors nostrorum ob quas causas non nimium deploranda. 12.84
mors peccatorum mala. 47.74.163
mors piorum quid portendat 94
mors piorum quomodo preciosa. 47.61
mors quæ, & qua ratione melior uita. 60.61.86. 92.99.100.
mors quarum rerum finis. 62.69 84 85.133.178

mors quæ deprecanda 32
mors quibus amara, quibus grata. 62.93.117
mors quid. 3.69.93.129.155.196
mors secunda quæ 172
mors somnus appellatur, & quare. 17.97.104.133 140.147.172
mors terribilis, & quibus. 26.32.62.109.84.129
mors ubiq; propè est. 8.151
mors unde homini, & per quid allata. 1.40.41.43. 66.77.85.139 145 150.154.
mortis Christi utilitas, & uis. 110.161.163
mortis dies incertus quare. 63.79.111.109.117 163
mortis genera. 32.38.68.115
mortis hora in Dei uoluntate continetur. 62.109. 142. 169.
mortis memoria utilis. & ad quid profit. 5.13.18. 19.26.27.35.74.75.136.163
mortis memoriam nobis familiarem facere debemus 13.98
mortis modus incertus 118
mortis nuncij tres 20.116. mortis potentia. 65
mortis quoties recordari debeamus 157
mortis tempore cur maximè tentetur homo 113.
mortis timor unde in nobis 62.105
mortis timor ut expellendus 129.151
mortem cur timuerint ueteres 18
mortem diligere quid 53
mortem libenter & facilè suscipere quid faciat. 63 69.93.117.151.156.161.170

mortem proximo qui precentur 75
mortem non uidere quid 131
mortẽ præcedat oratio ad Deum. 30 33 37.100.167
mortem sibi qui optarint .9.11 69.86.42.133
mortem suam & suorum quidam gentiles moderatè tulerunt 62
mortem sibi qui conscierint, & quur. 100
morte acerba affici non semper iræ Dei signum 68
morte insolita cur quidam perant 139
morte nihil certius. 19.63.79.163
morituri consolatio. 10.129 142.151
moriturum se cogitare, & scire, Dei donum 43
moriturorum breui officium. 20 85.98.100.138
mortui deplorandi, sed non ritu gentium. 12.68.84 90 141
mortui qui resurrexerint olim 147
mortui requiescunt 84.94
mortui spiritualiter, abominabiles sunt, & lugendi 84.90 141
mortuorum facies cur tegantur 135
mortuorum corpora olim lota 141.147
mortuorum resurrectio quomodo futura. 149.152
mortuorum trium à Christo excitatorũ figura 135
mortuis honor sepulturæ dandus cur 4 7 9.21.90. 98 135
mulierum prægnantium & parturientium dolor. 5.7 14.158
mundus præsens bonorum et malorum futũrorum umbram habet 87

mundus quæ habet contemptibilia sunt 136
mundi bona non propria hominis 160
mundi contemptus unde 35
mundi huius erit finis 80.87.134.164

N

NAsci homines maius est, quàm resurgere. 148
Natiuitatis die præstantior dies mortis 61
naturæ bona in pueris 73
negotiari quando, & quomodo debemus 120
nescire mori miserrimum 128
noctes in quatuor uigilias distributæ. 39.111.116
nomen pauperis Lazari cur indicetur tacito nomine diuitis 119
noße seipsum homo debet 76
nouarum rerum narrationes ut audiendæ 118
nouissima sua recordari quid, & quæ illa sint. 74.153.
nouissimus dies nemini cognitus 109
nuditas animæ 179
nundinæ nunc sunt 120
nuptiale uestimentum 179

O

OBdormire leniter non semper signum gratiæ Dei. 68
obedientia nihil melius 1
oblationes offerendæ Deo quæ 79
oculi Domini super quos 71
oculus eruendus qui. 107
ocium inuisum Deo, & cur fugiendum. 1.91.92
odio

odio hominem habens Deum perdit 76
odium sapientiæ quod 53
oleum sumere secum, aut non sumere quid 109
opera bona comitantur fidem 127
opera pietatis exercentes non moriũtur mala mor te. 120. *ut quidam* 47. 96. 102.
opus maximum peragẽdum homini in terra quod. 13. 98. 120
optare sibi mortem, uel uitam quando liceat, & quomodo 9
optimum homini quid 13. 156
orandum in omni angustia, quomodo, quare 3. 33 111. 113
orans duo cernat 33
orationem quid accendat 70
originis & finis nostri recordatio utilis 22
Osor suijpsius quis 53
ouium Christi officium 132
Oze mors ob tactam arcam Dei 16

P

Paradisus patria nostra. 25. 122. 171
Parentes honorantium uita prolongatur 52
passiones huius mundi ab infernalibus longissimè distant 44
patientia necessaria omnibus. 118. 122
patientiæ studioso quæ cogitanda 122
paruulorum bona naturalia 73
pauperes mercatores sunt olei 109
pax seruis Dei quando 23

pax maneat iustos post mortem 94
peccare non uolenti quid agendum. 71.74.75.143.
146
peccatum à Deo separat 34
peccatum in credentibus etiam punitur 6
peccatum odio habendum. 42.145.150.154.155
peccatum peccato malius 97
peccatum unde 85.145.158
peccati auoramenta & fructus qui 14.16
peccati comites 85.97
peccati occasio uitanda 107
peccati odium unde concipiendum. 85.139.150
peccato sublato tollitur mors 147
peccata capitalia cuius consideratione uitentur. 27
75.90.144
peccata punit Deus 74.139
peccantes eadem non semper patiuntur. 118 139
peccantibus decies millies spei locus est, quàm diu
hîc sunt 54.117.
peccatorum mors mala 74.141
peccatorũ remissio beatificatio est hominis. 34.147
peccatorum supplicium Deus differt 118
perditionis uiæ quæ 88.96
peregrini sumus in terra. 4.8.37.48
perfectio hominis 18 20
perseuerantia usque ad finem necessaria. 106.115.
120.122
pestis non grauissima pœnarum 95
pestis tempore multi præmaturè obeunt 69

pestem qui euasêre quid facere debeant 49
pharmacorum uirtus 18
pœnas vult Deus metui 72
pij qui & quod eorum præmium 31
pœnitentia in morte periculosa. 82.83.117
pœnitentia omnibus necessaria 118
pœnitentia quando agenda. 54.82.83.162
pœnitentiæ causa impellens 75
pœnitentiam certam quid faciat. 34.96
pœnitentia sera 56.82.117
pœnitentia uera 96
præcipere domui suæ quid 18
præmia militibus Christi promissa 23
præparatio ad mortẽ necessaria. 13.98.104.117.157
procrastinatio conuersionis ad Deum unde 73
profecturus aliquò tribus opus habet 102
promissio nequam per omnes gradus 73.83
promissis suis contraria cur sinat Deus fieri 155
proximo nostro reconciliari debemus ante iudicium 101
pulueris pedum Apostolicorum vis 143
puniuntur quidam in terrorem alijs 118
purgatorium fingentes errant 67.163.178

Q

Quies mortuorum in Domino quæ 94.178

R

Ratio de quibus reddenda in iudicio 143
Raziæ mors 109
redemptio nulla in inferno 56.83.113

Regna huius mundi qualia 60
regni Dei imago in hoc mundo 87
regnis regum terræ affiguntur sæuæ bestiæ 60
regno cœlorum priuari grauius gehenna 107
regnum Dei uidere quid 106
res bonæ, & malæ huius seculi imago sunt futurarum 87
respicere à tergo quid 115
res prosperas aduersæ comitantur 22
resurgent omnes homines. 127 144
resurrectio duplex 127.146
resurrectio futura uirtute Christi 134
resurrectio prima necessaria 146
resurrectionis memimisse utile est. 127. 128. 144. 146
resurrectionis Christi fructus 28
resurrectionis mysterium in liberis Iob. 22
resurrectionis uox non unum significat 147
resurrectionem mortuorum esse probatur. 128. 147. 148
resurrectionem mortuorum non omnes credunt. 108 128. 144. 148
resurrecturi gloriosè qui 152
resurrecturi mortui quomodo. 28 97 127. 149.
resurrexerint olim qui 147 149
resuscitandorum ingens discrimen. 97. 127. 149. 152

S

Sacramento cœnæ dominicæ quidam utentes saluari possunt 130

Sacramenta quibus nihil prosint. 130.139.154
sacramentorum, & sabbati tres gradus 180
sacramentorum utilitas 154.
Sadducæi negant resurrectionem carnis 108
saluandorum ex numero sit, nec ne homo, unde scire possit 34
Samson seipsum interemit 100
sancti qui 47
sanitas, Dei ingens beneficium 86
sapientia cœlestis necessaria 70
sapientiam qui oderint 53
sapientum uita quæ 74
Saræ mors & sepultura 4
satanæ potentia 22
scire non expedit, quæ Christus nescire uoluit 63
scripturarum sacrarum usus præstans 180
seculum præsens laborum, futurum præmiorum est 59.
securitas uia perditionis 89
senectus honesta quæ 69
senectus mortis nuncius. 20.112.120
senectutis incommoda 64
separatio hominum quando 127
sepeliendi mos apud Iudæos. 20. *antiquus.* 9
sepelire mortuos laudabile. 15 21.90.115.
sepulchrum est domus parata omni uiuenti 29
sepulchra cur lapidibus muniantur 135
sepulchra nostra per Christum consecrata 20
sepulturæ illaudatæ quæ 135

Sepulturæ locus cæmeterium uocatur 94.138
Sepulturæ locus sit honestius 98
Sepulturæ locus ubi olim 114
Sermo Dei aduersarius noster quomodo 101
Sermo euangelij gladius anceps 173
Serpentum prudentia 69
Similitudines in illustrandis articulis fidei, non aspernendæ 148
Somnus frater mortis 17.133
Spes in quo collocanda, in quo non 51.88.116
Spes iustorum qualis, & quem finem habeat. 56.98
Spes liberationis nulla in inferno 97
Spes peruersa uia perditionis 96
Spiritũ Christi habitare in aliquo vnde probetur. 152
Sponsam Christi quid deceat 65.100
Status hominum duplex post hanc uitam 102.119
Stulti qui 24.25.84.106
Supplicio cur afficiat Deus quosdam, & quosdam non 118.139
Supplicium aliud alio grauius erit 97
Supplicio rum in hac uita illatorum utilitas 154

T

TEmpus iuuandi nos inuicem in hac uita 83.162
Tentatur homo præcipuè in morte 113.168
tentatio grauissima quæ 13.113
terra mater omnium 91
terror iudicij vtilis 71.163
timendus quis 105
timere dominũ quid, et quã bonũ. 57.71.88.92.105.

tenta

tentati quid facere debeant 178
timor Dei unde 57.71
transitoria omnia in mundo 80.160
tristitia sequitur gaudium 16.22

V

Vanius nihil peccato 36
Vestimenta alba, & nigra quæ 175.179
via à miseria ad felicitatem 122.128
via uitæ, & mortis diuersæ 87.102
via uniuersæ terræ quæ 17
viæ perditionis duæ 88,96
viam regni Dei uolenti ingredi quid cauēdum 115
vigilare ut debeamus, & cur 23.109.111,113.179
vita æterna amanda, & quærenda 26.63. 85. 132. 138
vita æterna quibus promittatur 132
vita æterna cur in Christum credentibus detur. 129
vita fidelium & impiorum dissimilima 119. 127
vita futura qualis 165
vita hominis in terra militia 23.168 173
vita hac finita damnatum nemo liberare potest 56 83
vita nostra breuis. 8. 24. 25. 36. 42. 81. 89. 113. 166
vita nostra in manu Dei 105. 109
vita nostra nauiganti similis 3 151. 178
vita nostra nihil 41. 81. 113
vita nostra nox 118
vita nostra peregrinatio 8. 164. vita nostra similis arbori, quæ arroditur à muribus 166.

vita nostra ut sermo, seu fabula. 41. ut ho[illegible]
liena domo. 80. ut umbra. 26 ut comædia 98 76.
incerta. 63.166. carcer. 156. indigna [illegible]
uitæ. 102. 127. 131. mors. 102. 127. uia dicitur. 101.
151. uita per quid, & quem restituatur homini. 1.
129. 130 134.
vita quorum decurtetur. 52.54
vita quorundam deterior morte 84.92
vitæ breuitatē et finem cognoscere dei donū 35.75
vitæ genus non unum 52.57.60.96.
vitæ æternæ gustum fideles etiam hîc percipiunt.
106.124.128.130
vitæ huius tempus cursus ad mortem. 13. 17. 38.
42. 127.
vitæ longæ causæ. 3.52.54
vitæ præsentis acerbitas. 42.86.132
vitæ præsentis miseria. 6.8.42.60.91.132.151.166.
vitæ præsentis conditiones sæpe considerare utile.
63.166.
vitæ præsentis tēpus etiam precio sum. 54. 142. 165
vitæ tœdium unde. 58.62.166.168.
vitam æternam desiderantes sint Israelitæ. 89. quid
facere debeant. 165
viuendum in mundo quomodo. 133. 142. 169. 179
viuere cur sinat diu aliquando Deus malos 52
voluntas Dei non solùm cognoscenda, sed & facienda. 103. 128.

TELOS.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
DOM
D Nº 93006

I. N. 1981



